
VITA, THEOREMATA ET OPUSCULA, INSIGNIS MYSTAE, VENERABILIS FRATRIS IOANNIS A...

Mathurin : de Saint-Anne





Colonna 8. Tav. 3. num. 8.

VITA,
THEOREMATA
ET
OPVSCVLA,
INSIGNIS MYSTÆ,
VENERABILIS FRATRIS
IOANNIS A S. SAMSONE
COECI AB INCVNABVLIS,
Laïci Ordinis Carmelitarum Reformatorum,
Prouinciæ Turoniæ.

Per R. P. MATHVRINVM A S. ANNA,
Eiusdem Prouinciæ alumnum.

Confiteor tibi, Pater, Domine Cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & Prudentibus; & reuelasti ea paruulis. *Matth.* 10.


Spectat ad Conv. S. Anna.ae de Vrbe





LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN,
& MARCI ANTONII RAVAVD.

M. DC. LIV.
PERMISSV SVPERIORVM.



Reuerendissimo Patri Magistro

MARIO VENTVRINO,

VNIVERSO CARMELITARVM

Ordini nouissimè in Comitiis Generalibus Romæ Præposito.

MVLTIFARIAM *audit hodie apud homines Reformationis nomen* (Reuerendissime Pater) *Plerique vt sanctum, vtique subiectum ab Apostolo Christianæ æmulationis argumentum religiosissimè venerantur. Alij floccifaciunt, & vt inanem amplioris prælatæ Religionis vmbram (vti authumant) aspernantur. Sunt denique quibus est non leuiter exosum, & mirum quantùm auersantur. Cuius equidem auersionis, & vilipensionis æquitatem vel iniquitatem (vt non est meum) ita non disquiro: Omnibus enim abundè satisfecero, si & multiplices illius næuos, & frequentissimas cùm in membris tùm in corpore defectiones, lubens agnouero. Dolendam certè rerum humanarum vicem, vtique institutorum omnium, sanctissimorúmque Collegiornm sortem: veterascente nimirum, & sensim euanescente restitutâ*

per gratiam sensus nouitate & simplicitate spiritus, quam versipellis natura (supra modum nequitiâ peccati, in seipsam reflexa) adulterare iugiter & corrumpere non desistit.

Non est mihi animus eam apud te commendare (Reuerendissime Pater) *quam semper altissimè cordi defixam habes, (vtique tenerrimam & amantissimam) nostram Turonensem Obseruantiam: pronum est enim omnibus, quantus sit tuus erga eam affectus & quàm summa ad eam fulciendam atque propagandam, animi tui propensio. Mihi certè plusquam satis superque probata est, ex gratissima quam habui cum sua Reuerendissima Paternitate in Comitiis nostris Generalibus Romæ consuetudine: Cùm primùm ei animum meum explicui, & hanc meam opellam (si fortè gratam haberet) prope diem consecrandi, consilium aperui. Vnum hoc dumtaxat intendo, eius tibi specimen germanum exhibere in specie alumni eius simul & parentis, Venerabilis Fratris Ioannis à S. Samsone, veri omnino Carmeli incolæ; vtique iugi legis Dei meditationi, diu noctúque numquam non intenti. Ex cuius aspectu, liceat prima eius elementa, progressus & incrementa; nec non & adæquatam (si qua tamen sit) certè qualemcumque, obseruare perfectionis plenitudinem. Si quidem hanc ipse, annis aliquot antequam occiperet, vaticinâ mente prædixit; duósque ad illam principes operarios R. P. Philippum Theobaldum, & R. P. Matthæum Pinaldum*

non

non minus ſapienter quàm auſpicatò direxit; qui àfflatâ cœlitus hac ſponſione roborati, ſanctiſsimum opus viriliter aggreſsi, firmiſsimæ illius (vberiùs aſtipulante & votis eorum & laboribus ſecundo numine) fuère poſthac baſes & columnæ: Et huius ſuprà humanum fidei indubium pignus præmiſit, cum ex tempore habitum petiit, & paulo poſt Ordinem ingreſſus, vota ſua etiam ante reformationem, vocantem ſe continuò ſecutus, audacter emiſit. Quantùm verò deinceps ei contulerit, cum vitæ ſanctitate, & potentiſsimis ad Deum precibus, tum piis colloquiis, & indefeſsâ omnium omnis generis exercitatione virtutum, ex omni hac elucubratione videre eſt, & aſſequi gratiſſimum.

Exhibemus ergo tibi hominem verè reformatum, & vt tuum aſſerimus tibi ſcientem apprimè circumciſionem, verum Carmelitam. Rectiùs dixerim non reformatum, planè nec reformandum, qui reformatione nunquam indiguerit; vtique à primis annis Deo prorſus addictum, ſibi ac mundo verè mortuum; Et emensâ iam tum ſecularis ſuæ conditionis ſanctitate, cum adhuc adoleſceret, in omni virtutum chriſtianarum praxi perfectè conſummatum. Proptereáque tandem ab æterno numine (lectiſsimum certè liberalitatis eius ac prouidentiæ munus) directum ad nos aptiſsimum inſtrumentũ; quo Carmeli ruinas, & diremptionẽ inſtauraret multiplicémque, & exuberantẽ, quã ſanctiſsimo huic Monti contulit vnctionẽ (dum

fructus eius & optima *ad delicias & saturitatem* comedentem *cernimus*) *palam faceret & manifestam.*

Ecce quod tibi subiicit sincernm specimen eorum quæ in dies æmulatur sanctissimorum charismatum, qualiscumque sit, & apud homines audiat, tua iam tum (R^{sime} P.) *Turonensis Reformatio, suæ singularis Obseruantiæ, & inuiolabilis in omnibus obsequij, perenne monumentum. Siquidem pretiosius non habet, & quod (vt ex ingenita qua etiam ex facie relucet integritate, Religionis zelo, & promouendæ perfectionis eius studio ac sollicitudine, non imprudenter auspicatur) magis arrideat munus: quo felicis suæ inaugurationis ad Ordinis clauum, testatam faciat suam lætitiam & gaudium singulare. Hoc nuncupatim omnium nouissimus, sed addictissimus, humillimæ suæ subiectionis patens symbolum; & latens altissimè cordi infixum, quam apprecatur integerrimæ prosperitatis, votum, tholis suis supplex appendit.*


Suæ Reuerendissimæ Paternitatis

Obseruantissimus & Obsequentissimus
Filius Fr. Mathurinus à S. Anna,





PRÆFATIO.



RACVLVM eſt æternæ veritatis, nobiſcum in carne commorantis: *Non eſt occultum, quod non manifeſtetur, nec abſconditum quod non cognoſcatur & in palam veniat.* Lucæ 8. Quod effatum vniuerſaliter, nuncupatim veriſſimum eſt; & iure potiori ſignatim ſibi vendicat locum, in occultis virorum fortium præclarè factis: vtique mortuorum cum Chriſto, in Deo abſconditorum latentibus heroicis actibus, & eximiis virtutibus. Quæ vt opera lucis ſunt & luce digniſſima; ita illam naturâ ſuâ appetunt: vt nimirum oculis omnium ſubiecta, lucis, ſuæ ſpecie, & pulchritudine (quaſi fœcundo germine) in eiuſdem naturæ partus erumpant alia virtutum præclara facinora. Et amplius atque amplius adaugeantur.

Eum in finem reſerat nobis in dies cœlorum velum, diuina pietas & ſapientia; profértque cum ei collubitum eſt, ſidus aliquod nouum, cuius repentino præſtricti fulgore, & inſolito pleniùs expergefacti lumine, torpentem mortiferæ noctis huius ſæculi ſomnum acriter excutiamus. aſſurgamúſque vigiles, & erigamur intenti ad fulgentem illam beatorum ſedem, patriam noſtram, in qua ciues conſcripti ſumus: æternæ illorum beatitudinis aliquando conſortes futuri. Quam vberem efficacémque gratiam, credere eſt, & ſperare; diſpenſaturam Eccleſiæ ſuæ, diuinam hanc pietatem, vſque ad conſummationem ſeculi;

In qua veritas huius oraculi pleniſſimè comprobabitur: patentibus ſcilicet in oculis ſolis huius, omnibus omnium hominum, cùm bonis, tum malis operibus. Quæ ſors eſt mortalium omnium fixa & ineluctabilis, vt nos admonet. Apoſtolus 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, pro vt geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.*

Gloriatur quidem ſacer Ordo Carmeliticus, externæ ſolitudini olim planè addictus, internæ verò ſemper, & & vbique numquam non intentus; vtique iugi legis Dei meditationi diu noctúque perenniter aſtrictus: quòd ab emẽſis trium ferè mundi huius ætatũ ſeculis, cùm in veteri tùm in noua lege: innumeros propemodum in ſinu ſuo coceruat ſanctos, Dei fideliſſimos famulos, & intimos amicos; qui procul ab hominum congreſſu dum hic degerent, ei vni vacantes: eundem vnum habent virtutum ſuarum, heroicorúmque actuum conſcium & teſtem: fideliſſimum, vtique liberaliſſimúmque iam tum remuneratorem: aliquando vero, in regeneratione ſcilicet coram celeberrimâ illâ omnium qui vnquam extiterint hominum frequentiâ, magnificum præconem habituri. Verum dum ineffabilem hanc & exuberantem ſenſum omnem, præſtolatur alumnorum ſuorum lætitiam & gloriam, placet Deo, pro ſingulari ſuo, erga ſacrum Matri Ordinem affectu, nonnullos identidem ex iis tenebris in lucem educere iſigniores ſuos amicos, quos affigi iubet Eccleſiæ ſuæ firmamento; vt ſint in faces proprias, & ſpecialia luminaria, militantibus adhuc, & diurnæ illi nocturnæque contemplationi, vacantibus in ſolitudine copiis. Hos inter etiam à triginta quatuor aut quinque annis (ne præcedentium reuoluam ſeculorum ſeriem) nemine non fatente meritò

gloria

gloriatur ſanctiſſimo ſuo Præſule Andrea Corſino, Seraphica matre Thereſia à IESV, nec non & Maria Magdalena *de Pazi*. quorum certè præcelleus gloria, & ſuauiſſimus (etiamnum per orbem vniuerſum integer) effuſus odori potentiſſimi ſunt, Carmelitis omnibus, ad eorum ſequenda veſtigia, illectus, & ſtimuli.

Nolim ego (abſit hoc à me) cum iis iam tum fixis, obſeruandíſque Eccleſiæ ſideribus tabellam meam appendere. Apprimè ſcio, & religioſiùs obſeruare volo, quæ ſanctiſſimus felicis recordationis Vrbanus Papa VIII. ſapienter ſanciuit, circa illorum venerationem, & eorum præconia operum, qui cum odore ſanctitatis, & virtutnm, è viuis exceſſère. Vnde & abſtinui, quantùm potuit fieri, ab his vocibus (ſanctitas, beatitudo, miracula,) & aliis huiuſmodi nominibus: ne quid verbo contra huiuſmodi decretum, quantominùs animo peccarem. Mens mea eſt, germanam dumtaxat & expreſſam eminentis Contemplatiui, perfectíque Myſtes ſubiicere ideam: quàm auſpicatò nactus ſum in vita V. Fr. Ioannis à S. Samſone, cæci perſpicacis & acuti, ſi quiſquam alius æui ſui; Qui illiteratus, vel certè per aliquot dumtaxat pueriles annos ſtudio literarum leuiter imbutus: pluſquam centum tractatus de eminentiori vita ſpiritus, myſticáque Theologia, doctiſſimè conſcripſit. In quibus cùm mirabiles nobis arcanorum huiuſmodi ſuas experientias, & altitudinem ſui ſtatus aperuit: tùm multiformes Dei in animam ſuam emanationes, & eminentiora Spiritus S. chariſmata, vel inuitus, vel certè ſupra modum ſimplex, (diuinâ planè prouidentiâ) nec modicùm ſupra ſe reflexus, expreſſit. Vnde & nobis innotuit altitudo viarum eius, & ſingularis perfectio, quam vtique luce dignam: (vt Eccleſiæ Dei ædificationi,

cùm addendis ambulantibus in via ſpiritus animis: tùm alendæ multorum pietati, non parùm profuturam) arbitrati ſumus. Licet enim non multo afficiatur ſenſu perlegentium plurimorum animus, his Dei in animabus myſticis operationibus; quas ex eius operibus exſcriptas non infrequenter attextimus; vt ipſemet (ſiquidem vix alter poterat) ſe ſuo penicillo adumbraret: præcipua tamen illis dignitas, inter inſignia, & eminentioris, quæ hic habetur ſanctitatis, tutiora argumenta, negari non poteſt. Nec eſt quiſquam adeo rudis, & à viis ſpiritus alienus, qui ex horum, lectione minimùm non intelligat, hæc ſcribentem eſſe in Deo altiſſimè immerſum; multáque & ſumma de eo percipere, ſapere, & guſtare: licet ea ipſe non capiat.

Prodimus itaque hominem verè occultum, vtique ſolitudinis & ſecretioris ſeceſſus, quo ad vixit, omnium amantiſſimum: palam facimus abſconditam in ſinu dilecti ſui, caſtiſſimam ſponſam, quæ ei vni cui ſe probauerat, ſingulariter, ſed indeſeſsè placere ſtuduit. Fateor equidem religioni duco, illam ex his ſponſi ſui caſtiſſimis amplexibus (in quibus æternùm commorari dum vixit ſemper ardentiſſimè concupiuit,) tam ſuauiter quieſcentem extrahere; nec attentare præſumerem foras eductam omnium oculis ſubiicere: ni me expreſſa eius, (facta poſt exceſſum ſuum) licentia, quam in extrema hacce tabella videre eſt, ab hoc ſcrupulo, & conſcientia releuaret. Quomodo enim tam admirabilem eius ſpeciem, & incredibilem exhibere potero pulchritudinem? qui nec in illam intendere, nec ipsá oculorum acie tantam celſitudinem, niſi remotiſſimè valeo attingere? quomodo inquam, & vnde mihi, de hac loqui ſpecioſiſſima ſponſa, quæ præ ſuis immerſionibus

aſſiduis

aſſiduis & frequentiſſimis per amorem conuerſionibus in eum qui ineffabilis eſt: effecta eſt & ipſa ineffabilis? Quo ordine, qua ratione, & methodo procedam; vt ad hominis huius vel leuem graphidem aggrediar, qui ſeipſum ita exceſſit, & ſupergreſſus eſt: vt in Deum prorſus abſorptus, diuinis eius perfectionibus totus informatus euaſerit. Enimverò onus eſt in me ſuſcipere, cui non poſſum non eſſe infinitis partibus impar; méque ad multa quæ vix credentur, & à multis non intelligentur, aſtringere proferenda. Sed obedientia quæ loquitur victorias, vtîque ſuas; ducto primùm triumpho, ex ſubacto in obſequium ſuum, meo iudicio: eriget ſibi trophæa de mea tenuitate, & inopia, quæ olim erexit de Moyſe, Ieremia, & aliis omnibus à Deo actis hominibus, ad ea implenda, in quæ ab eo aſſumpti ſunt, diuina opera.

Vt ergo nos illi pleniùs, & abſque vllo vel minimo ductui eius relicto obice: ſicut in operis ſubſtantia, ita & in implẽdi ratione, permitteremus: néve tenebras vllas offunderemus puriſſimæ luci, & ſapientiæ diuiui huius Myſtæ; natiuámque illius formam, ſpecie quidem imperitam, & profanis hominibus ingratam: ſed ſapientibus, & ſpiritualibus ſummè ſuauem, & delectabilem, adulterâ humanæ artis induſtriâ obliteraremus: venuſtos procul reiecimus Latinè dicendi flores; ſtilóque ſimplici, & vulgari ſermone, quo ad fieri potuit, vſi ſumus, imò & aliquaudo barbari eſſe libenter tulimus; maximè cum eum induximus loquentem; Scilicet, vt & idioma vernaculæ ipſius linguæ, & expreſſos conceptus, pro viribus æmularetur, quo mentem eius perfectiùs aſſecuti, omnibus aliis faciliùs aſſequendam, (qui vtique ſcopus noſter eſſe debuit) exhiberemus. Quòd ſi quæ verba, à nobis præter morem vſurpata, iis

qui in Theologia mystica nullo pacto versati sunt, videntur exagerantia, & duriora: mihi satis est, non nesciri ab eruditis quibusque, aut vnctione spiritus vtcumque imbutis: & veritati, & dignitati subiecti, adhuc longè imparia esse, & inadæquata. Idipsum est enim quod enixè lectorem obtestor, vt certocertiùs, & indubiè credat; omnia quæ hic à nobis de hoc eminenti astruuntur Mysta, collata cũ eius incredibilibus quibus à Deo cumulatus est donis, quæ in ima humilitatis eius abysso: cum eo consepulta sunt: pro nihilo prorsus esse habenda. Hæc sunt naufragij huius non contemnenda reliqua, & cœlestium illarum dapum quibus lautè pastus est, pretiosissima fragmenta; quæ colligere iussus sum ne perirent, ad alendam multorum pietatem, excitandúmque lectissimarum Iesu Christi sponsarum primitium feruorem, peruulganda. Faxit Deus cedere in gloriam suam, & eorum, qui illa non dedignabuntur, spirituale incrementum. Quod ex eius pietate eò fidentiùs expecto: quò ipse vnus operari, & suâ in hoc nenegotio potestate, impensiùs vti videtur. Siquidem abscondito humanæ sapientiæ sacramento, humilem hunc fratrem laicum, cæcum, in lucem sui seculi eligit: & manum cæci alterius in viis amoris sui, & contemplationis: ad aperienda sua in hoc Mysta eminente prodigia, non respuit.

Porrò vestrum est (qualecumque sit) opus, omnes Carmelum inhabitantes Mystæ & Contemplatiui; orationis, silentij, & solitudinis, si non eremi, saltem cordis, amantes; qui iugi internæ cum Deo negotiationis cultu, easdem vias experti: arcana hæc & secretiora Dei in animabus agnoscitis, vtique & persentitis opera. Aut certè eadem æmulantes charismata, ad montis huius, in quem vos in-

vos

duxit Deus, in dies aſpiratis, eminentiora cacumina. Ad vos maximè dirigitur, prouinciarum vtriuſque Germaniæ, Belgij, Bohemiæ, Poloniæ, aliarúmque orbis partium ſtrenui cultores, & fideles operarij; ad vos inquam, qui ab aliquot annis reformationem amplexi: directionis eius opem tam ſollicitè conquiritis. Etenim veſtri ergo ſuſceptum eſt; ſcilicet vt hunc noſtrum verè mirabilem Myſtam, per quem iis omnibus bonis ad quæ iugiter anhelatis, iam tum ditati ſummus, quantùm in nobis erat vobis exhiberemus. Propterea latinum fecimus; vt qui noſter hactenus ſingulariter fuit: vulgari apud omnes linguâ donatus, deinceps & veſter eſſet. Iſte eſt ignis diuini amoris, & dudum aſtuans apud nos perfectæ feruor caritatis, quem Spiritus S. in medio noſtri accedere non eſt dedignatus; cuius faces & ſcintillæ foras erumpentes, ad vos vſque conuolarunt. Iſti ſunt fontes ex quibus prodiêre riui, in quibus tandem vobis eſt datum largiùs bibere ſpiritales aquas myſticæ ſapientiæ; ſitímque veſtram ad delicias explere. Siquidem obſecundante votis veſtris aliquando numine, ad vos vſque deriuarunt. *Bibite* ergo *&* *inebriamini chariſſimi* Cantic. 5.



INDEX

Capitum, quæ in hac vita V. Fratris Ioannis à S. Samſone continentur.

PARS PRIMA.

Vita eius in ſeculo.

PARS SECVNDA.

Vita eius in Clauſtro.

PARS TERTIA.

Singulares eius virtutes, Dona S. Spiritus, & gratiæ gratis datæ, qualis decoratus est.



INDEX

Titulorum Theorematum, & effatorum spiritualium.

PRÆFATIO.

XIV. *De*



INDEX

Capitum Opuſculorum.

Speculum & flammæ diuini amoris, quibus diſponitur Anima ad Deum in ſeipſo amandum. A. V. Fr. Ioanne à S. Samſone Religioſo Carmelita Prouinciæ Turoniæ digeſta.

Ad poſtulationem Illuſtriſſimi Dom. Antonij de Reuol, olim Epiſcopi & Comitis Dolenſis in Britannia minori.

II. Quod

CAP. III. Debere amorem prodire ad opera virtutum tanquam ad proprios effectus suos.

CAP. IV. De exterioribus quæ fieri debent vnicè in amore.

CAP. V. De via Mystica.

CAP. VI. De Aspiratione.

TRACTATVS II.

De Amore aspiratio, aut de effectuosa Animæ in Deum aspiratione.

TRACTATVS III.

De suprema Animæ in Deum per amorem consummatione. Simplici Theoriâ praxísque expositus.

VII. *Quod*

Nobilissimi

NOBILISSIMI ET ILLVSTISSMI Domini D. Le Duc, *in supremo Aremoricæ Tribunali Præsidis, de vita V. Fratris Ioannis à sancto Samsone, testimonium.*

NOs Marcus Le Duc, Regis Consiliarius, & in suprema eius Aremoricæ Curia Præses, Certum facimus omnibus ad quos spectabit in honorem Dei, & ædificationem proximi: quod cum antea Catolici Aduocati in dicta Curia fungeremur officio, vsi sumus consuetudine V. Fratris Ioannis à S. Samsone Religiosi laici, cæci, Conuentus Carmelitarum Rhedonensium. Vir erat (pro communi opinione) insigni sanctitate, eximiâ virtute, continuâ austeritate, & oratione ac contemplatione omnino singulari. Accepimus à personis fide dignis, multos febre laborantes, aliísque morbis, qui videbantur insanabiles, precibus eius sanos extitisse, & sospites. Vrbs Dolensis & omnes eius Accolæ cum in ea demoraretur, persensère per diutinum tempus efficacissimos optimi huius Religiosi pietatis effectus. Et ab eo tempore quo eum diuina Prouidentia, in hanc vrbē Rhedonensem euocauit: testes sumus cum multis dignioris status personis, singularis eius modestiæ, silentij, & humilitatis, in hac tam insigni virtutibus & sanctitate, vita. Illustrissimi Antistites Rhedonensis, Dolensis, Nannetensis, & Briocensis, eum habebant vt sanctum; & vt hominem planè diuinum sæpiùs adibant; demirentes altissimam eius sapientiam, & ex eius virtutum exemplo maximum spiritualis profectus lucrum reportantes. Denique nos omnes piis suis colloquiis, diuinísque affectibus inescatos, maximè modestiâ & humilitate suâ in admirationem sui rapuit. Post eius mortem verè coram. Deo pretiosam, multi ægrotantes, quam non potuerant obtinere naturalibus remediis sanitatem, ad eius sepulchrum recepêre. Cuius singulare est argumentum superposita corpori eius, voto & pietate Præsidis huius Senatus, marmorea tumba. Et illustre posteritati relictum monumentum, restitutæ

ō sibi

ſibi perfectæ ſanitatis, inuocatione, & interceſsione V. Fratris Ioannis à S. Samſone: cum pluſquam ſuptuagenarius grauiſſimè ægrotaret, & iam tum proximus agoniæ à Medicis deſperaretur. Hæc eſt ſinceræ veritatis teſtificatio, cui in agnitionem qualemcumque multarum quas à Deo accepimus benedictionum, meritis diuini huius hominis, cuius memoria nobis eſt ſummè venerabilis & obſeruanda, vltro adſcribimur; & appreſſum voluimus ſcutarium noſtrum ſymbolum, fidem illius vbicumque facturum. Datum Rhedonis die ſextâ Aug. 1650.


locus ſigilli. MARCVS LE DVC.

Approbatio Doctorum.

ATtendat nedum pius, quin & quiſquis lector; idem ſentire debere de Venerabili Fratre Ioanne à S. Samſone Carmelita reformato Prouinciæ Turoniæ laico, cæco ab incunabilis: quod S. Hieronymus de Didimo Alexandrino cœco ab infantia, ſuum videntem appellans. Cæcutiret ſiquidem quiſquis lector huius operis arcana myſticæ Theologiæ, ſupereminentem diuini amoris ſcientiam, & ſecreta cæleſtia vix intelligendo, ſi hunc Venerabilem Fratrem, ſuum videntem non fateretur. Nec R. Pater Mathurinus à S. Anna, eiuſdem Inſtituti ac Prouinciæ Religioſus ſoli adiunxit cicindelam, cum vitam, theoremata, & aliquot opuſcula eiuſdem oculati cæci, quæ nec ſole nec luna creatis egebant, cum increata Dei claritas

ritas ea circumfulserit, à vulgari idiomate in Latinum traduxit, digessit, & ordinauit. Quæ sic ab eodem R. Patre elegantis stysi nitore traducta, maturo iudicio digesta, & compendiosa methodo ordinata, ego subscriptus dignissima esse censeo, quæ sublimiorum Mystarum commodo typis mandentur, & viris virtutem & spiritum Eliæ anhelantibus commendentur. Auenione, hac die 17. Ianuarij, anno 1654.

Dominicus Honoratus Sacræ Theologiæ Doctor, Sanctæ Aueniomensis Ecclesiæ Canonicus.

Iesus Maria Ioseph.

CVm perlegi [vitam, theoremata, & opuscula aliquot Venerabilis Fratris Ioannis à S. Samsone, Laïci Ordinis Carmelitarum strictioris Obseruantiæ à R. Patre Mathurino à S. Anna eiusdẽ instituti Latinè conscripta,] ad Caluariæ & Thabor culmina, vt clariùs me explicem, ad summum Euangelicarum virtutum quæ exercentur, & diuinarum deliciarum quæ prælibantur hac in vita, fastigium ascendere me credidi; huc vsque peruenit lynceus hic cæcus author, duplicis Eliæ spiritus germanus hæres, huc vsque & vitæ sanctissimæ exemplo, & mystici huius libri ductu animas euehit, vt in illo, Iesu Christi eminenti scientia instruantur, & in altero diuinæ sapientiæ & amoris splendoribus, & ignibus illustrentur, & ardeant: hunc enim in illa crucis palæstra cum Apostolis, & primis eremi ascetis, & in hoc gloriæ transeuntis theatro, imò in empyreo inter Cherubin & Seraphin edoctum, & quæ

ō 2 gessit

gessit, & quæ scripsit, certissimè suadent. Vitaque ipsius quæ libri verum fuit exercitium, inter tenebras & radios, inter cruces & extases peracta, & liber, qui de abnegatione, de morte mystica qua nobis ipsis morimur, de heroïca, praxi virtutum in theorematis; & de flammis diuini amoris, de aspiratione, & de consommatione animæ amantis in opusculis: adeo sublimia enunciat: facilem & compendiosum ad geminum illum & crucis & gloriæ statum, aditum indicant & pandunt. Quisquis ergo hunc oculis & mente euoluens librum, non modo inoffenso decurres pede, vt de S. Hilarij libris sacer Doctor Hieronimus loquitur, & fidei puræ, consonæque orthodoxæ & Romanæ Ecclesiæ, laude præcellentem probabis: Verum maximum in eo reperies & ad fidem argumentum, & ad pietatem diuinúmque amorem incitamentum. Ad fidem fortiùs obfirmabit omni rationum vi, ingens miraculum viri rudis literarum, à cunis cæci, de virtutibus, de rebus mysticis, & de diuinis arcanis tam altè disserentis. Ad pietatem & Dei amorem ardentiùs omni alio stimulo excitabunt vitæ sanctimonia & libri documenta & oracula è cœlo deprompta. Hæ tantùm animæ quæ noctuæ sunt, quas ipse belluinas vocat, ad lucem & ardorem huius cæci perspicacissimi cæcutient & rigebunt. Quæ verò Aquilæ sunt & spirituales, quas diuinarum rerum amor tangit, magis clarescent & accendentur. Itaque ad maius Dei amantium solamen & Ecclesiæ decus hunc prælo dignum existimo, & meo calculo comprobo. Auenione xv. Kalend. Febr. M. DC. LIV.

Carolus Iosephus Suares V. I. Doctor
& Ecclesiæ Metropolitanæ Canonicus.

Per

Permissio Reuerendissimi Patris Generalis.

FRATER IOANNES ANTONIVS PHILIPPINVS SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER, ac humilis Prior Generalis totius Ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmelo.

AVthoritate nostra harum serie facultatem concedimus, vt typis mandari possint [vita, Theoremata & opuscula aliquot V. Fratris Ioannis à S. Samsone Ordinis nostri professi laïci,] latinitate donata à Patre Mathurino à S. Anna Prouinciæ nostræ Turoniæ Professo Sacerdote, si aliis ad quos pertinet ita videbitur. In cuius rei fidem &c. Datum Romæ die 4. Octobris 1653.

Fr. IOANNES ANTONIVS PHILIPPINVS *Generalis Carmelitarum.*

Fr. Gabriel à S. Iosepho Prouincialis Daciæ & Secret.

Permissio R. Patris Prouincialis.

FRater Basilius de Remezan Sacræ Theologiæ Doctor, & in Prouincia Prouinciæ Ordinis Carmelitarum Prouincialis. Harum serie facultatem facio vt typis mandari, in lucémque edi possint; vita, Theoremata, & Opuscula aliquot Venerabilis Fratris Ioannis à S. Samsone, Laici Ordinis nostri, à R. P. Fratre Mathurino à S. Anna composita, seruatis aliis seruandis Datum Massiliæ die 3. Ianuarij anno 1654.

Fr. Basilius de Remezan Prouincialis.

Approbatio Theologorum Ordinis.

EX ſpeciali commiſsione R. P. Prouincialis huius Prouinciæ Prouinciæ, perlegi librum cuius inſcriptio eſt: [Vita, Theoremata & Opuſcula aliquot ſpiritualia V.Fr. Ioannis à S. Samſone, Ordinis Carmelitarum reformatorum Prouinciæ Turoniæ, per R.P. Mathurinum à S.Anna Carmelitam Reformatum eiuſdem Prouinciæ,] in quo nihil occurrit Orthodoxæ fidei contrarium, nihil non congruum Chriſtianis & Religioſis moribus. Imò vero in eo demirari liceat Diuinæ Prouidentiæ ſuauitatem erga ſuos, quæ puerum ſolis huius luce priuauerit, quò ſuſcipiendo diuiniori lumini fieret aptior; eundémque in regni angulo, & breui cella recluſum, vitam degere ordinauerit, vt inde poſt mortem eius qua in ſe perfuſus eſt, lucis radios per exteras quoque Prouincias efficaciùs diffunderet; dum huius vitæ exempla, & eximiæ ac planè myſticæ doctrinæ documenta communi idiomate publica fiunt. Quamobrem opus exiſtimo dignum quod in lucem prodeat: ne diutiùs lateat ſub modio lucerna, cuius luce religioſæ mentes illuſtrari, & quæ vias myſticas altiùs ingrediuntur, per illas caligines certiùs poſſint dirigi. Datum in Carmelo Auenionen. 26. Ian. 1654.

Fr. Seuerinns à S. Petro, Theologiæ Profeſſor.

Superiorum

SVperiorum iussu [Vitam Theoremata, & Opuscula aliqua V. Fr. Ioennis à S. Samsone, in Prouincia Turoniæ Carmelitæ Reformati Laici, à R. P. Mathurino à S. Anna eiusdem Ordinis & Prouinciæ Religioso,] Latinè conscripta, optimáque methodo disposita, pari cum animi attentione ac voluptate legi, vidi equidem videntem cæcum, infirmum heroica patrantem, ignarum diuinam sapientiam eructantem, spiritum etiam profunda Dei scrutantem. Et licet multa (vt pote diuina) humanum captum excedant, nihil tamen fidei dissonum, nil rationi aut bonis moribus contrarium reperi, imò omnia sancta, diuinam bonitatem simul ac sapientiam summopere redolentia, inueni. Quapropter vt in lucem prodeant dignissima censeo. Auenione, die 30. Ianuarij, anno 1654.

Fr. Albertus à S. Stephano Carmelita Theologus.

VIsa per nos attestatione & approbatione suprà dictorum Doctorum, & Theologorum doctinæ in hoc Libro contentæ qui inscribitur: [Vita, Theoremata, & Opuscula aliquot Venerabilis Fratris Ioannis à S. Samsone Laici, Ordinis Carmelitarum, &c.] Quam affirmant orthodæ fidei, & bonis moribus omnino congruentem: nos illis adhærentes iudicamus illum dignum qui in lucem prodeat, vtique multis profuturum. Datum Lugduni die 1. Mensis Septembris, Anni 1654.

DENEVFVILLE Vic. Gen.

VIso consensu supra dicto Domini Vicarij Generalis, non Impedio Impressionem per Ioannem Antonium Huguetan,& Marcum Antonium Rauaud dicti Libri, qui inscribitur vita, Theoremata, & Opuscula aliquot venerabilis Fratris Ioannis à S. Samsone,&c. cum inhibitionibus in simili casu requisitis. Datum Lugduni die 6. Septembris 1654.

BOLLIOVD MERMET.

VIso Procuratoris Regij permissu, vt dictus Liber à dictis Bibliopolis Ioanne Antonio Huguetan, & Marco Antonio Rauod, excudatur: permitto. Datum Lugduni die Septima Septempris Anni Millesimi Sexcentesimi quinquagesimi quarti.

SEVE.



VITA INSIGNIS MYSTÆ, VENERABILIS FRATRIS IOANNIS Á S. SAMSONE, COECI AB INCVNABVLIS,

Laïci Ordinis Carmelitarum Reformatorum, Prouinciæ Turoniæ.

PARS PRIMA.

Vita eius in ſeculo.

CAPVT PRIMVM.

Natiuitas eius, cauſa cæcitatis, & quibus exercitiis fuit primùm applicitus.

FIDELIS Dei famulus, ad cuius vitæ & virtutum delineandam tabellam aggredimur; Senonibus in Burgundia natus eſt: Parentibus nobilitate, fortunæ bonis, maximè verò inſigni virtute, & ſingulari erga Deiparam Virginem deuotione clariſſimis. Pater eius, cui nomen PETRVS DV MOVLIN, & Mater dicta MARIA D'AIZ, tres ex ſuo matrimonio ſuſcepère filios. Primus militiam profeſſus, æmulator partium Henrici Magni, Galliæ Regnum armis ſibi vindicantis; ad proſtrati muri plagam, vrbem inuaſurus, fortiter occubuit. Alter ſtudiis literarum addictus, tantùm in

illis profecit, vt in Curia Romana, in qua diu satis est demoratus, magnam sibi conciliârit prudentiæ & eruditionis opinionem, vnde Lutetiam posteà reuersus, cum Regina Maria de Medicis, Galliam primùm ineunte: Regij Commentariensis, Quæstoris, nec non & Castrensis Stipendiarij munere functus est. Tertius natu minor, remisso nuntio primùm rei familiari, tùm demum seculo: pretiosissima hæreditariæ virtutis, & domestici Beatæ Virginis cultus, cuius se famulatui in sacro eius ordine mancipauit, sapienter primogenita tulit, & iam num (si ex subiiciendis in hac lucubratione, bono certamine, seruatâ fide, & consummato cursu) non augurari modo, sed asserere licet cum Apostolo reddendam iustitiæ repositam coronam, feliciter cœlo intulit.

Annus agebatur ab Incarnato Seruatore millesimus quingentesimus, septuagesimus primus, dies mensis Decembris supra vigesimum nonus, cùm inter mortales primùm connumeratus est. Aquis lustralibus initiatus IOANNIS nomen accepit: Sanctissimi illius Eremicolæ futurus aliquando strenuus imitator: non quidem externæ, sed internæ cultu solitudinis, iugíque & assiduâ suæ mentis in Deum attentione. Nondum triennis cum boâ laboraret, mater eius, & nutrix, leuiùs credentes iter habenti cuidam ignoto: septicum malagma ad oculos eius admorunt, vt spissiorem quæ morbo increuerat, crustam exederet; sed res prorsus contrarium votis sortita est exitum: nam putatum huiusmodi remedium, & cristallinum oculi sinistri penitus exhausit humorem, & accersitus Ophtalmicus qui seruaret alterum, assequi non potuit, nec impedire, quominus albugo remanens, puerum & hoc priuatum lumine, cæcum omninò ad vitam constitueret. Nonnulli diu, sed frustra conquisitum per vrbem totam ignotum hunc hominem, arbitrati sunt Magum fuisse quendam, aut Dæmonem, quasi iam ex tunc, bellum indiceret infanti, à quo toties fugandus & debellandus erat. Et verò si (vt benè multi, nec insipienter autumant) sicut custodem ita aduersantem habemus, vnusquisque suum, Angelum: quidni crediderim hunc insidiatorem, ad nocendum in omnibus positum, funesti huius euentus authorem, & indubium doli mali machinatorem & architectum. Sed diuina Prouidentia cui seruiunt & obsequũtur omnia, infensissimorum eius hostium magis rebellantia corda, & vulnera: vertit malum in bonum,

&

& hanc corpoream cœcitatem, tanquam efficaciſsimum medium, ad ſublimen contemplationis ſtatum, ſapienter ordinauit. Enimverò quod illa non conceſſerit puero ſanitatem, ſed permiſerit temporali lumine, & rerum viſibilium aſpectu priuari; vt ſpiritualia meditaretur impenſiùs, & liberiùs ſpecularetur æterna: euentus certiſſimè comprobauit. Non impediuit tamen aduerſus huiuſmodi caſus quin ſummâ curâ, & ſolicitudine, non tantùm educaretur in timore Dei (quod vtique à tam piis, Deóque addictis parentibus erat expectandum) ſed etiam in ſtudiis literarum, muſicéſque promoueretur.

Ad decimum circiter annum vtroque parente orbatus, Auunculus (cuius tutelæ creditus eſt) ſtudiorum eius curam ſuſcepit; quibus tantùm dedit operam, quoad vſque latinam linguam vtcumque calleret. Eodem enim ſimul tempore, muſicam, & organicorum diuerſi generis inſtrumentorum vſum, perfectè eſt edoctus, maximè autem Pneumatici organi, quod ſumma cum dexteritate & induſtria, adhuc duodennis pulſabat, fuitque per annos aliquot Eccleſiæ ſancti Dominici Senonibus Pithaules proprius: cum pleniſſima muneris huius apud omnes probatione. Indè & ad ſolemniores quoſcumque muſices concentus, ſemper aduocabatur.

Interim amor Dei, qui ex tunc in corde eius primùm diluceſcebat, eum ab omni alio abalienauit ſtudio: & etiam aliquoties ſua muſices exercitia cogebat intermittere: vt ſpirituales libros ſibi legi curaret. Qua de cauſa dramaticis omnibus choreis, feſtiuiſque muſicæ conuentibus, deinceps adeſſe recuſauit. Cùm autem propterea, ab interpellantibus Tutore & Parentibus, moleſtiam frequentiùs ſuſtineret, decreuit patriâ cedere, vt ſe ab huiuſmodi vanitatis mundanæ ſtimulis omninò liberaret, vocantémque ſe interius Deum planè ſolutus, auſcultaret.

CAPVT SECVNDVM.

Prima eius ad vitam ſpiritus allectatio, fuga è domo Auunculi, ſtudium librorum ſpiritualium, & inde enaſcens diuini amoris, deliciarúmque eius exuberantia.

NOn fuit leuis animi anguſtia adoleſcenti, rerum omnium gratiſſimum mortalibus, ſolis lumen non videnti & oculorum vſu penitus orbato, multiſque propterea neceſſitatibus & miſeriis obnoxio: exire de terra & cognatione ſua, & aduenam degere in regione extranea. Sed ſermo Dei viuus & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, hanc abſque vllo negotio primùm operatus eſt diſiunctionem, pertacturus aliquando vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum eius, & diſcreturus cogitationes & intentiones cordis eius. Hærebant animo grauiter infixi ſenſus & affectus ſpiritualium illarum lectionum, quas auiditate famelicâ abſorptas, velut hoſtia munda, Deo omnipotenti in ſacrificium addicta, iugiter meditabatur, & verſabat mente; nec aliò quietum eſſe patiebantur, æſtuantem hunc animum, quàm in ipſamet ſua ſede, interna, ſcilicet cordis ſolitudine; in qua liberiùs audiret quid loqueretur in ipſo Deus, & optatâ frueretur pace, quam loquitur ſuper ſanctos ſuos, & eos qui conuertuntur ad cor. Aufugit itaque, & clam ſe ſubduxit è domo Auunculi, comitem habens ſecreti conſcium vnum ſuum famulum; peregrinatúſque eſt annis aliquot à patria, parentibus & amicis: implens opere quod olim tantoperè concupiuit, & etiamnum tentauit adhuc infans noſtra Thereſia, fideliſſimum ſancti Spiritus conſilium: ſuadentis animæ, ad ſponſæ dignitatem aſpiranti, obliuiſci populum ſuum & domum patris ſui.

Hoc in exilio ſpontaneo maiorem ponebat ſui temporis partem in ſpiritualibus lectionibus, quas ab amicis ſolicitè emendicabat; non abiecto tamen ſuo Muſices ſtudio. Aderat libentiſſimè, & ſumma cum animi ſuauitate, (vti ſemper à primis annis conſueuerat) rebus diuinis, & piis concionibus; quas memoriâ feliciter

feliciter retinens contendebat insuper pro viribus obseruare. Sic pueriles ludos, solitásque infrunitæ iuuentutis helluationes, & ganeas; virtutis amore, magis quàm cœcitatis ergò, sapientissimè declinauit.

Inter alias autem quas libentiùs vsurpabat lectiones, singulariter in deliciis habuit libellum quendam, dictum *Sponsi palliolum*, qui de mediis agit exuendi seipsum cum Christo Iesu, ad crucis eius pedem: repetendo per singula capita hæc Apostoli verba, *Christo confixus sum cruci* Mirum in modum delectatus est huiusmodi verborum sacramento: arbitratus propter se vnum esse conscripta, vnde & ea tam altè in corde suo defixit, vt per omnem vitæ cursum pro chariori lemmate semper habuerit; & pro nouissimis iam iam moriturus religiosissimè pronuntiarit. Legebantur etiam illi libri de imitatione Iesu Christi, de interna abnegatione, Institutiones Tauleri, & alij similes: in quibus adeò delectabile, acceptúmque gustui suo interno, exugebat manna, vt illud insatiabilem in modum, & quasi insaturabiliter appeteret.

Audiebat & alias sub iisdem initiis alterius generis lectiones, vt Historiarum & Poëseos; sed Deus tam vehementibus luminis sui radiis, vrgentibúsque amoris sui affectibus, breuì cor eius inuasit: vt statim omni alij studio, imò etiam cogitationi, præterquam vnius virtutis, & internæ recollectionis, veræ Sanctorum Scientiæ, funditus renuntiare decreuerit. Adeò vt ex tunc sanctum animo concipiens horrorem, sanctámque omnis alterius scientiæ, quàm Iesu Christi crucifixi nauseam: totum se mentalis, aut vocalis orationis; pœnitentiæ, mortificationis, & aliarum austeritatum exercitiis; frequentandis Ecclesiis & Sacramentis; audiendísque lectionibus, de via perfectionis, & diuini amoris agentibus; deinceps dederit.

Vt sanctissimis huiusmodi exercitationibus faciliùs liberiúsque vacaret; Lutetiam profectus est Anno 1597 & apud fratrem suum, de quo supra diximus illic tunc coniugatum, est demoratus. Hîc sibi comparauit quotquot potuit, mysticæ Theologiæ libros, maximè sancti Dionysij opera, Rubrochium, Taulerum, Gersonem, & Harphium, quorum lectio post orationes, & frequentem Sacramentorum vsum; gratior erat eius negotiatio, & adæquatum studium.

Quanti & quàm veloces fuerint sacri huius studij, & negotiationis fructus, absque admiratione cogitari non potest: Tandem enim aliquando, tot ei contulit Deus suauissimas vnctiones, & exuberantes gratias, semetipsúmque in animam eius tam abundanter effudit: vt exinde quasi inexplebili remanserit studio affectus, curâ, & solicitudine: quomodo & qua ratione tam liberali & profuso erga se Deo, iugiter responderet. Assiduus erat in meditatione dolorum Passionis Filij Dei: ita vt ob oculos mentis numquam non dolendam, chari huius Saluatoris semper haberet imaginem: plagis vndique suffossam, ex quibus omnibus, tanquam ex tot sacratissimis spiraculis videbantur ei mille,& mille faces amoris erumpere. Vnde in posterum, per omne vitæ suæ tempus mirari non destitit: quomodo non incenderentur, & consumerentur omnes quotquot sunt homines, ad aspectum tam horrendi, támque amabilis spectaculi. *Ergone* (inquit in quadam contemplatione) *intentum obiecti huius obtutum, non abripere extra seipsos homines, non comburere, & irrecuperabiliter æternùm consumere in immensô amoris tui omnia consumentis igne. O amoris abyssus? quis deinceps timebit appropinquare tibi, propter terribilem tuam iustitiam, cum teipsum deglutiat, & in horum gurgitem malorum absorbeat.*

Tales erant ex tunc, suaues eius & amabiles in Deum effluxus, vtique sentientis ardentissimum in corde suo, sanguinem pro sanguine,vitam pro vita,amorem pro amore charissimo suo Saluatori rependendi desiderium. Aliunde Deus nunquam amore,& liberalitatevincendus,gratiarum suarum copiam & exuberantiam in cor eius amabile magis ac magis effundebat,adeò vt tot Dei sui profusionibus supereffluens & exundans, sub ineffabili diuini amoris onere, ipsum (quasi torrente rapido) deliciis & consolationibus inundante, suauiter gemere cogeretur. Et reuerà præ multitudine deliciarum, sæpissimè compellebatur Deum inclamare, vt donorum suorum temperaret excessum: ni vellet ipsum vi amoris occumbere. *Quoties ô amor meus*, (sic loquitur in soliloquio) *rogaui te, vt protinus recederes à me, ni velles me gaudio & amore sub oculis tuis expirantem videre: hoc agebatur, ô amor meus, quia anima mea in amoris tui exercitationibus, quibus in tuis sponsis sub initium delectaris adhuc nouitia pertimescebat ne deficeret viribus, vehementésque voluptuosi & luminosi amoris tui impetus valeret sustinere.*

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Prima virtutum eius specimina, singularis deuotio erga Beatam Virginem, & tenerrimus circa res pias affectus.

DOctissimè omnino Seraphicus Doctor: cum dixit, amorem esse donum in quo omnia alia dona donantur. Donatus affluenter, tam pretioso diuinæ largitatis munere, noster Proselytus; simul & incredibilem penè erga suum beneficum, gratiam accepit. Itáque his deliciis, & voluptatibus vbertatis domus Dei, quibus inebriabatur interius: iugi, & indefesso virtutum omnium studio maximè pœnitentiæ & austeritatis; exteriùs respondere nitebatur. Nihil eo humilius, nihil demissius, nihil laboris & tolerantiarum auidius, nihil à temporalium rerum affectu magis alienum. Vna eius ambitio, cura & sollicitudo, vt vices rependeret amore suo, diuino amori; à quo dulcissimè suauissiméque intus vrebatur, & consumebatur. Ieiunia eius erant asperrima; semel in die dumtaxat comedebat; nihil omninò sumens vespere. Integras Quadragesimas in pane, & aqua visus est ieiunare, aliàs tribus consequentibus diebus ab omni cibo penitus abstinere. Præter Ecclesiastica totius anni ieiunia, singulis diebus Mercurij & Veneris, per vnam quamque hebdomadam, ieiunium obseruabat. Ad textum setis indusium disciplinam frequenter adiungebat, huiusmodi macerationibus suum corpus iugo crucis amantissimo assiduè substernens. Quam pœnitentiæ supellectilem cum absconderet, & quantùm poterat, occultaret; deprehensam aliquando Dei permissu: agnouit ingenuè; faterique compulsus est, se illâ interdum vti; vt in aliquibus Iesu Christo nonnihil similis effici mereretur.

Bellè quidam à 30. circiter annis scripsit, Castitatem, adeò tenerum delicatúmque esse florem, vt vel minimâ contrectatione flaccescat, scilicet hortus est Sponsi conclusus, & fons signatus, cui vni licet aperire, & ingredi: omnibus aliis nefas. Dixit quidem, & sapienter, sed minùs cautè seruauit: Ipse enim speciem eius tam frequenter ob oculos posuit, tótque coloribus & pigmentis

mentis excultam, tamdiu ad aſpectum ſubiecit, vt apud omnes huic virtuti ſincerè addictos, non modò ſigillum hoc ſacratiſſimum aperuiſſe, ſed & conſpurcaſſe viſus ſit, vnde lumen tantùm prætulit, quo exploratam, omnibus palam faceret ſuam offenſionem. Habentes igitur hanc præ manibus facem non impingimus in eundem errorem, ſed florem hunc hominis omnium caſtiſſimi illibatum aſſeruamus; aſſerimúſque Ieſu Chriſto, virginum omnium, & caſtarum animarum ſponſo:contenti dumtaxat illum per clathros, & cancellos, aliquantulum foris intueri. A primis annis hanc virtutem ita ſtudiosè coluit, vt ferre non poſſet quidquam ei verbis obſcœnis ſe præſente detrahi: acriter eos corripiens qui ad hanc procacitatem liberiùs ſoluerentur, etſi aliundè manſuetiſſimus eſſet, & in perferendis aliorum defectibus patientiſſimus. Ita modeſtus erat,& rectè compoſitus in inceſſu, veſtitu, ſermone, & omni ſuo exterioris hominis habitu; ita ſibi ipſi inuigilans, & in omni rerum agendarum ratione cõſideratus: vt qui eum attentiùs obſeruarũt, nihil vnquam in eo viderint, quod vel minimùm grauitatem dedeceret; aut qualemcumque proderet ſenſuum remiſſionem. Sicut de S.Malachia refert D. Bernardus, & de ſancto Martino Seuerus Sulpitius. Nec mirum videri debet, cùm ſit hæc inuiolabilis, perfectáque caſtitas, humilium animarum, & verè contemplatiuorum, (qui ab infantia Euangelicæ perfectionis ſubière iugum, qui paſcuntur inter lilia, & Angelorum pane veſcuntur) beata ſors & ſingulare priuilegium. Per hanc autem corporis animíque ſanctimoniam, perfectam Deiparæ Virginis integritatem, quàm proximè poterat exprimere contendebat; ad cuius exemplar effingere ſe iugiter, & efformare nitebatur.

Enimuerò ſuxerat hanc pietatem, religioſúmque animum erga futuram Matrem, Sororem, & Patronam, vnà cum lácte nutricis: Et ab ipſis incunabulis tanquam pretioſiſſimam hæreditatem, ex multis temporibus in familia ſtudiosè conſeruatam, à parentibus acceperat. Audiuimus enim ex ipſiuſmet ore, Auiam eius, quæ tunc adhuc ſuperſtes erat,cùm primâ lucis vſura donatus eſt:in vigiliis ſolemnitatum, B.Virginis etiam ex voto cum omni ſua domo ieiunare ſolitam, cúmque aliquando per incogitantiam carnes paraſſent & miniſtraſſent, non attendentes craſtinum diem eſſe Feſtiuitatem Virginis: ne ſuum ſoluerent votum inſigni miraculo fuiſſe

fuisse diuinitus admonitos : nam appositum ex tempore sublatum est è mensa ferculum, nec vnquam post accuratam & sollicitam disquisitionem, quid de eo sit factum, explorare potuerunt.

Hæres igitur deuotionis huius, & pietatis erga Deiparam; iam à puero solicitè eam colere, ac singulari animi sui sensu & affectu, velut amantissimam Dominam, & vt Magistram, venerari cœpit : quæ quidem pietas ita in corde eius increuit, vt illius omnes, quibuscum agebat, participes facere conaretur; frequenter commemorans patrata ab ea, in gratiam eorum qui ipsi deuotè famulantur, miracula ; nec non & initia, munia, & priuilegia, Confraternitatem sacri Scapularis, & Rosarij. Vnde & benè multos ei lucratus est, & in eius obsequium famulatúmque coëgit. Quod si hæc præstitit adhuc degens in seculo, quid expectandum est cum ipsi ex voto deuinctus, in eius familiam relatus, & tesserariis vestibus indutus ; tantæ Dominæ celsitudinem per triginta annos meditatus, exploratam si quisquam alius, atque compertam habuerit.

Plurimi faciebat omnia ad pietatem, cultúmque diuinum pertinentia, quorum vsus in Ecclesia sancta receptus est. Singularis erat, haud frequens, & planè exemplaris eius veneratio sanctarum Reliquiarum, quas cum nancisci poterat, maximo cum religionis sensu deferebat. Paruulam B. Virginis imaginem ad collum appensam habebat, cui plurimùm confidebat, & erat deuotissimus, quæque dum adhuc viueret, & post eius mortem, multos quibus applicita est, sanitati restituit. Incredibilem habebat honorem sanctissimis Iesu, Mariæ, & Sanctorum nominibus; dicebátque omnes nonnihil spirituales, ad id ex conscientia teneri, & per hoc sensum & amorem, quibus erga illos afficiuntur, debere prodere, & testificari.

CAPVT QVARTVM.

De angustiis, quas primùm interius passus est, & quomodo se bonis suis temporalibus penitus exuit.

SIc dilatatus cœlestibus donis, & exundanti gratiarum profluuio perfusus, spiritualis vitæ feruens candidatus, celeriter percurrit virtutum omnium Christianarum stadium : sed quia ad excellentiora præordinatus erat charismata, vtique ad osculum oris, à sponsa tantoperè concupitum, admittendus; in quo edocendus erat scientiam Arcanorum Dei, & intellecturus verbum eius absconditum : propterea ablactandus fuit ab huiusmodi deliciarum lacte, & ab vberibus tot cœlestium consolationum vlteriùs abducendus; sicut in Isaia legimus, *quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum, ablactatos à lacte auulsos ab vberibus.* Transactis igitur annis aliquot in huiusmodi allectationibus & blandimentis, tandem subduxit ab eo Deus has omnes suas vnctiones, & sensibiles gratias; earúmque loco amarum, suæ crucis substituit calicem. Et vt experiretur, purgaret, planéque firmaret virtutem eius & fidem, constituit eum in statu nudissimo, desertissimo, obscurissimo, & secundùm sensum miserrimo; in quo eum per plures annos omni consolationis refrigerio prorsus destitutum reliquit. Adeò vt ipse sibi videretur omni hoc tempore abiectus à Deo, & reprobatus; nec posset sibi in animum inducere, se vnquam ad eam Dei consuetudinem quâ aliàs vsus fuerat, posse rursum admitti; húncque statum Deo esse acceptum, & ad eminentiora gratiarum munera arctioráque strictioris vnionis vincula, disponentem. Ideò reflectens postea super hunc suum statum, sic in Soliloquio quodam diuinam alloquitur Maiestatem : *Quod mihi mirum olim visum est, charissimè mi amor, cum tibi nouiter adhuc sponsata eram, est vtique, quod vsus sis actiuo meæ repudiationis medio ad amoris tui in me consummationem, nósque nihilominùs sub Sponsi & Sponsæ nomine solemni matrimonio coniungendos.*

Licet autem hoc in statu ita se haberet, quasi si repulsus à Deo & abiectus esset, tamen, tantùm abest vt propterea animum despondenderit:

sponderit, quin è contra inuiolabilis erga eum suæ fidelitatis actus congeminare cœpit; proposito gaudio nudè eum sustinens, in horrendo & aspero spiritus sui deserto. Perfugium eius vnicum erat oratio, & sacra Synaxis, quam ferè singulis adibat diebus: etenim per omne quod supererat tempus, semper intra se receptus & recollectus, iugiter orationi vacabat; nullibi, nec aliò solatium vnquam & leuamen quærens, quam in sacratissimis charissimi sui Saluatoris crucifixi vulneribus & plagis. Impiger etiam erat, & assiduus in exercitatione virtutum, contemptu suiipsius, & omnium suorum appetituum, naturaliúmque studiorum abnegatione; quæ funditus, & ad radicem perscrutabatur. Cauebat autem solicitè, ne quæ patiebatur interius ex sensibili & amara nimis, dilecti sui absentia, foris innotescerent, quod expertis similia, relinquimus ponderandum.

Non illum interius tantùm, suorum subductione donorum probauit Deus, sed etiam exterius omnis in hoc mundo subsidij & consolationis exortem fecit: eodem enim anno abstulit ei &, fratrem & sororem, quibuscum Parisiis (vtique necessitatum eius curam gerentibus) inhabitabat; vnde miser & infelix cœcus, parentibus omnibus superstes, humano omni auxilio planè destitutus, solus remansit. Ipse interim hanc tentationem de manu Dei ex animo suscepit, & ex his aduersitatibus consilium eius sapienter auspicatus, ipsum ad summam interius & exterius adigendi inopiam: ad implendum perfectè adorandum huiusmodi decretum, ex parte sua concurrere voluit. Quamobrem libentissimè omni rei suæ familiari renuntiare decreuit, vt vnam deinceps in sua paupertate perfugium haberet paupertatem, pauperque omninò viueret & ignotus, ad eius imitationem, qui cum esset diues, & omnia possideret, factus est egenus, vt nos illius inopiâ diuites essemus.

Eo tempore Prior quidam Regularium Canonicorum ordinis S. Augustini, dictus Dominus *de Montdidier*, Abbatis villâ prosequendæ litis ergò Lutetiam profectus, cœcum nostrum apud se recepit, propter contractam cum defuncto eius fratre necessitudinem: cuius consuetudine, cum apud Eminentissimum Cardinalem *de Peluë* Romæ degeret, fuerat vsus. Disposuit suauiter hoc medium mirabilis Dei prouidentia, (vtique in Sanctis suis) ad finem (quem & fortiter attigit) fortem scilicet & inuictum

noui sui bellatotis animum, in perferendis durioribus egestatis incommodis, quorum frequentissimam illic habuit copiam. Licet enim iste Beneficiarius multâ charitate, & teneritudine erga pium hunc Cœcum voluntate pauperem abundaret: tamen negotiorum necessitate, quibus per solidos instabat dies, domum suam serò tantùm, & quidem tardiùs rediens: seruus Dei (qui interim in Ædibus sacris flexis genibus ante sanctissimum Sacramentum in oratione perseuerabat,) famem, sitim, frigus, & alia id genus, multa incommoda diutiùs perpetiebatur: sed absque vlla animi ægritudine, tædio, aut querela, pro more Sanctorum; Iugiter in sua oratione persistens, quoad vsque nutritius ipsius, tandem à negotiorum suorum cura reuersus, illum per puerum ad vescendum accerseret. Probatæ virtutis, & singularis meriti nostræ Prouinciæ Turonensis alumnus, cuius testimonio sæpè nobis vtendum est: sicut & de eo plura in multis enarrationis huius locis, habemus dicenda, illum multoties ante sanctissimum Sacramentum in Ecclesia Conuentus nostri Maubertini, horâ de meridie, prima, ieiunum inuenit, & ab oratione ad reficiendum cibo aliquo attenuatum corpus, abduxit.

Apud hunc Priorem vt plurimùm pane dumtaxat, & aquâ vescebatur, præ se ferens tamen sanctâ simulatione, significánsque (si quando sciscitaretur ab iis quibuscum agebat) multâ se cum humanitate & honestate victus ab eo exceptum. Quod singularem eius prodit virtutem, mirabilémque hoc in negotio probat patientiam: est vtique quod hic Beneficiarius idem ipse est, in cuius vtilitatem iure hæreditatis cesserat, multùm se lucratum arbitratus, aliquem inuenisse, in quem onus hoc graue deponeret. Quanquam huius cessionis nihil huic Priori reuerâ obtigerit, propter causas quibus (vtique ad propositum non pertinentibus) non immoror hîc recensendis.

Cuinam amabò cæterorum hominum facultates, & terrena commoda possidentium, conuenientior erat, & æquiori iure concedendus relictorum à parentibus temporalium bonorum vsus? quàm misero huic Cœco, omnibus parentibus orbato, & aliunde ab eorum affectu ita alieno, vt ea tanquam non possidens, & vt non sua, prout Apostolus præcipit, verè possideret. Si metas Historici fas esset tantisper excurrere, & Oratorem nonnihil agere: ingenuè, fateor, libenter digrederer ad innumeras propemodum

modum paupertatis ærumnas & molestias, vt nunquam non laudandam heroïci huius actus generositatem, in lucem efferrem. Parco autem, & impræsentiarum satis mihi est ex his aliqua duntaxat obiter præstringere, quas attentiùs meditanti, vtcumque pondus & sublimitas tantæ virtutis innotescat.

Sit igitur quasi hoc vno verbo definita paupertas, aut his consequentibus eam effectibus veluti descripta, scilicet eam modum omnem & rationem pœnitentiæ complecti: quæ spiritu & corpore sine intermissione patitur, quæ semper timet & veretur, semper suspirat & angitur, semper gemit & lachrymatur, semper laborat & opprimitur, semper exulat & ab omnibus expellitur, semper frenum suum mandit & tædio conficitur: quia lachrymarum suarum fontem, & dolorum miseriatúmque fomitem semper habet adiunctum & intimum. Vnde & Sapiens sapientissimè dixit *omnes dies pauperis malos*, quia rerum quæ ad vitam pertinent iugis inopia, humanarum miseriarum verè caput est. Quæ si verè, de pauperibus generaliter & absolutè dicta sunt, quantò magis de verecundis & latentibus, quos pudor & conditionis honestas à libera mendicitate retrahit; qualis fuit hic noster cæcus spiritu & rei veritate pauperrimus, qui se ita diuinæ Prouidentiæ commisit, vt præter eam vnam, amplius sibi nihil reseruârit.

Sunt quidem in Ecclesia Dei renuntiantes omnibus quæ possident, & solemni voto paupertatem profitentes benè multi, sed eorum aliqui temporalia bona in commune possident, quibus, omnibus eorum necessitatibus liberaliter subuenitur. Alij solemni titulo honorificæ paupertatis ostiatim quæstuantes, tantùm eleemosynarum à Christi fidelibus regulariter excipiunt; quantùm satis est, vt vniuscuiusque necessitatibus vtcumque prouideatur. Hic autem pauperum omnium quasi miserrimus, nec cum aliis, nec priuatim, quidquam possidet; nec quæstuatur publicè, nec secretò eleemosynas colligit, nec paupertatem suam apud quemcumque commendat; sed omninò hominibus ignotus, à Deo solo, cui vni viuit: in silentio & spe, sustentaculum suum omne præstolatur.

CAPVT QVINTVM.

Quomodo plagâ amoris in corde vulneratus est.

ADeò verum eſt, quòd ipſa nobiſcum degens pronuntiauit Incarnata Veritas; non renuntiantem omnibus quæ poſſidet, non poſſe eſſe ſuum diſcipulum: vt etiam viuentes in ſeculo ad huius conditionis dignitatem euocati, huic legi ſubiaceant; & exuere ſe compellantur omni re familiari, ac iure, dominióve temporali. Scilicet primitia ſunt hæc non tantùm regularis Inſtituti, ſed etiam omnis Chriſtianæ perfectionis fundamenta, & fulcra; ſine quibus aſſurgere nihil poteſt, & conſummari ſolidum atque ſublime. Hoc igitur præſtitit adhuc in ſeculo, cœcus noſter corpore, mente oculatiſſimus. Et hoc fortiter ſapientérque demiſſo angulari lapide: cœpit acriter, & ſine intermiſſione inſtare ſuæ perfectionis operi. Vocantémque ſe feruenter, & ad exanimationem inſequi nudum Ieſum Chriſtum, theſaurum ſuum, ſtudium, finem & omne bonum. Séque iam omni terreno ſolutum impedimento, & humano deſtitutum ſubſidio; tradere amori diuino funditus prædandum. Qui quidem amor poſtquam eum per acerba cruciatuum, & anguſtiarum ineffabilium, traduxit itinera, tandem in eo ſtatu conſtituit, quem plagam amoris appellat. Hæc autem plaga, quam æquè aſperam, ac delectabilem in ſuis ſcriptis nominat, fit, inquit, in anima in ſtatu caliginis & obſcuritatis diuinæ; in quo languet & infirmatur, propter maximam diſtantiam quâ ſe videt ab vnitate diuina ſemotam. Tunc enim Deus occulto & incomprehenſibili amoris myſterio, in centro animæ quaſi abſconditus, ſenſim eam cædit & ſauciat: hócque amoris myſtico ferit vulnere; quod eam ad omnem vitam, languentem efficit. Ipſemet nobis in quodam ſoliloquiorum ſuorum, quæ huiuſmodi diuina paſſus eſt, his verbis expreſſit.

Cur amor mi chariſſimè abſcondebaris in me, in corde meo, & in anima mea? Nunquid ſciebas me remanſurum hoc amoris effectu ita ſauciatum: vt mihi mæſtè & dolenter reliquum vitæ meæ tempus in perpetuo amoris languore, abſque ſolatio & leuamine, foret tranſigendum? Quid chariſſima mea vita & omnia mea? ignoras quantus

tus est languor meus, quàm durus & molestus? Ha! quis dabit mihi à corpore mortis huius absolui, vt finem accipiant languores mei, optatâ (ô amor mi) tuâ possessione. Hæc mortalis, verè amoris plaga, adeò fuit in hoc homine diuino immortalis; vt quandiu vixit, semper eam in corde gestauerit: in tantùm vt ad minimam mysteriorum salutis nostræ, maximè cruentorum recordationem; recrudesceret & prorsus innouaretur. Idipsum est quod in libro suarum contemplationum innuit, super Circumcisione Domini nostri. *Impossibile*, inquit, *est considerantes nos, & scrutantes amorem tuum adeò immensum & altum, in proprio suo fonte, vtique in te ipso, ô amor meus & vita mea, & in exundante fluxu effectuum eius: nos inquam non remanere plagâ amoris igneâ, quæ operatur in nobis famem, sitim ardorem, & languorem amoris, omninò sauciatos.*

Porrò tantùm abest vt tempus, morborum omnium, tùm corporis, cùm animi fidelissimus medicus; vtpote quod non tantùm lenit ægritudines mentis & molestias; acrioresque grauiorum afflictionum obtundit aculeos: sed etiam immutata, vel aëris intemperie, vel humorum exuberantiâ, vel immoderato qualitatis vnius suprà aliam excessu, vel aliâ quauis alteratione, ad iustum temperamentum sæpiùs adducit corpora: Tantùm abest, inquam, vt huic amaro simul & suaui cordis eius mederetur vulneri: quod è contra magis ac magis exulcerabat, atque exacerbabat: quia amor, illius author & fautor, in dies augebatur & inardescebat. Verum quidem est, quod in hac suprema contemplationis quiete, de qua inferiùs agendum nobis est, videtur esse liber ab huius plagæ amabilis effectibus; sic enim loquitur in supra dicto contemplationum suarum libro. *Quod si nobis est satis nostra suprema quies, nostrùmque explet desiderium supra statum plagæ amoris, & supra famem, sitìmque inexplebilem eiusdem amoris: Idipsum est in quo abundè contenti sumus.* Quæ tamen subsequuntur manifestiùs arguunt, nullum esse statum quantumuis sublimen, etiam supereminentis quietis, ab huiusmodi amoris vulnere immunem. *Amor*, inquit, *tantùm sit discretus, quantùm anima diuina, ad perferendas in se omnes diuini eius ignis operationes, sine læsione, debilitate, aut impedimento, quantùm ad corpoream suam naturam exteriùs. Etsi verum sit interiùs in seipsa esse plagâ amoris altissimè sauciatam.*

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Ardens eius ſtudium ſalutis animarum.

QVia bonum, eſt non tantùm quod omnia appetunt, ſed etiam quod appetit omnia, vt in omnibus effundatur, vtique naturâ ſuâ diffuſiuum; Aliundéque amor vbicúmque eſt, (ſi verè amor eſt) iugiter operatur; pius noſter Cœcus bonis cœleſtibus copioſè cumulatus, & diuini amoris incendio interius æſtuans, & exuſtus, vehementer exoptabat nanciſci aliquos, quos bonorum huiuſmodi, & pretioſorum theſaurorum in proprio cordis vniuſcuiuſque fundo abſconditorum, faceret participes; Sicque ardentes amoris flammas quibus acriter & abſque remiſſione intus vrebatur, foris ventilans, & ex parte euomens, incendium ſuum vtcumque temperaret. Maximè vero in iis ſublimioribus ſpiritualis perfectionis ſtatibus, ad quos Deus ſauciam hanc amore ſuo efferebat animam: ſubiit illius animum vehemens ſtudium, & ſuauiſſima propenſio, ad nota facienda hominibus omnibus, quæ operatur Deus in animabus, quas ſibi in Sponſas aſſumit, incredibilia amoris oſtenta; Adeóque, ſi quas inuenire poſſet ad tantum amoris huius Sacramentum idoneas, ſummâ curâ & ſolicitudine numquam non quæritabat. Et verò agebat eum Deus ad hoc ſuum opus, digniſſimo vtens gloriæ ſuæ inſtrumento, in meliorem plurimorum frugem, & ſanctificationem. Ideóque omnes qui eius vtebantur conſuetudine, mirabiles ex eius colloquiis fructus percipiebant: In quibus tamen tam modeſtè, tam diſcretè, & moderatè ſe habebat, vt rarò foras proderet, quos intus patiebatur, amoris exceſſus: Et licet caſtiſſimis diuinæ Sapientiæ generationibus ſupereffluéret; conabatur tamen hæc omnia abſconſa, ſeruare, & ſermones ſuos vniuſcuiuſque captui induſtriè & ſcienter accommodare. Vt verè dicam, non leuem patiebatur difficultatem, in comprimendis vehementioribus ſtudiis & motibus, quibus ſæpiſſimè corripiebatur: vaporandi foras flammas amoris, ipſi cordis medullam acriter depaſcentis. Vndè ſic Deum in Soliloquiis alloquitur. *Me-ne miraberis (ô amor meus) quaſi inſanam in abundantia*

abundantia meorum exceſſuum, qui me præconem prodigiorum amoris tui ad omnes creaturas efficerent; ni me coërceret ipſemet amor tuus, & prohiberet exceſſuum meorum impetus, ſignificatione tuæ voluntatis; quæ vtique eſt vnionem noſtram in ſecreto perfici, atque poſsideri. Ha! quantis in deſideriis habeo palam te hominibus facere, propter abundantem quâ in te ipſo penitus inundaris, & me inundas plenitudinem, in tantùm vt per amorem tuum, ex me ipſo, in te ipſum, omnino conuertar.

Actus igitur perpetuò & indeſinenter, vehementi hoc ſtudio; preſſúſque ardenti charitate Ieſu Chriſti, piæ animarum venationi operam ſuam dare: Inter alias multas hoc ſuum implendi deſiderium, quas ipſi diuina obtulit prouidentia, hæc ſe ſingulariter dedit occaſio, quæ quia plurimùm confert ad continentem vitæ eius ſeriem, hîc à nobis fuſiùs eſt referenda.

Diximus anteà pium hunc Cœcum, ſingulis ferè diebus in ædibus ſacris Patrum Carmelitarum Conuentus plateæ Maubertinæ perdiù orare ſolitum; quadam igitur die ſanctæ Agneti ſacrâ, cui addictiſſimus erat, poſt participata ſacro ſanctæ Euchariſtiæ myſteria; permouit eum Deus vt rogaret Conuentus Pithaulem, liceret ſibi pneumaticum pulſare organum, ad honorem Sanctæ, per ſolemne Conuentus ſacrum. Hic Pithaules, iunior erat profeſſus Conuentus Dolenſis in Britannia, dictus Frater Matthæus Pinaldus, qui poſteà fuit inſignis inter præcipuas reformationis noſtræ columnas; & qui tunc Philoſophiæ operam nauans, meditabatur Deum inter & ſe, verſabátque animo dicti ſui Conuentus expetitam reformationem, vtique & aſſociationem R. P. Petro Behourtio, rudiora tunc in Conuentu noſtro Rhedonenſi fundamenta iacienti eius, quæ poſteà per vniuerſam noſtram Turonenſem Prouinciam, aliaſque quamplures non tantùm intra Galliæ regnum, vtique enim in omnes, ſed etiam extrà, in Belgium, Inferiorem & Superiorem Germaniam, Boëmiam, atque Poloniam, ſeſe feliciter extendit, & etiamnum diffunditur.

Nactus igitur hoc ſubiectum ſanctiſſimus venator, ad concipiendam diuini amoris flammam idoneum; continuò anſam arripuit, & ſub obtentu ſcientiæ pneumatici organi, cœpit huic iuniori Religioſo conſueſſere frequentiùs. Primùm induſtriè ſubiuit animum eius diuinis ſuis colloquiis; tùm demum

volens cum Deo perfectè lucrari : sciscitatus est ab eo viuendi in Cœnobio rationem, num orationi mentali interdum vacaret, & librorum spiritualium lectioni ? Quibus Frater ingenuè respondit, se anno ætatis supra decimum tertio ordinem ingressum, nec vllius vnquam reformati Conuentus Ascetam, orationis mentalis penitus esse nescium ; séque præter orationem vocalem, & lectionem spiritualium operum Dominorum *de Nerueze* & *d'Intras*, pro suâ innatâ eloquentiâ tunc celebrium, aliud non habere pietatis exercitium. Tum Cœcus, ipsi author fuit vt huiusmodi mutaret libros, & deinceps minus disertis, simplicioribus, magísque erudientibus vteretur, vt Ludouico Granatensi, Aria, & similibus, quos ipsi commodare, vltro spopondit.

CAPVT SEPTIMVM.

Quomodo diuino instinctu cum prædicto fratre contraxit amicitiam, in bonum Reformationis nostræ Prouinciæ.

APerto sibi auspicatò ad propositum huiusmodi aditu, & initâ iam quadam societate cum iuniore nostro Fratre Conuentus Pithaule ; prædam suam insequitur amantissimus venator ; vtique cum agente supremo venatore & per eum, iam tùm ordiri incipiente sanctissimum suum rete, in quod feliciter incidêre tot adolescentulæ, quæ in odorem vnguentorum eius hactenus cucurrêre, & modò currunt, & in seculum vsque ad reditum nostri Ducis & Protoparentis Eliæ (vt supplices apprecamur, & ex odoris suauitate, exuberantiáque vnctionis ominamur) iugitur sunt cursuræ. Vt igitur consultam, ampliùs vrgeret lectionem, (etsi anagnostem apud se haberet) rogauit eum semihoram temporis sui per singulos dies, vt legeret sibi aliquem, è maximè mysticis, quem secum afferret librum. Assentiente Fratre, cæteroquin propter sua Philosophiæ studia nonnihil auerso ; hanc suam lectionem in Capitulo Conuentus per aliquod tempus æquè piè ac vtiliter vsurparunt. Sed quia locus

locus iste omnibus aliis Religiosis erat peruius, vtique & ad lectionem aduentantibus: prudens Cœcus postulauit in cubiculo deinceps fieri; vt liberiùs posset de lectione loqui, & ei paruas quasdam, quibus eum instituere moliebatur, exercitationes adiungere. Vbi primùm in cubiculum ambo se receperant, statim procumbebant in genua, hymnum *Veni creator Spiritus* præmittentes, & inuocato religiosè cœlesti numine, lectionem suam aggrediebantur; quam vt plurimùm per horam & vltra prosequebantur; & eâ absolutâ, iterum genua ponebant, recitantes Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, vt Deo grates pro collatis sibi muneribus humiliter agerent. Cum aliquid occurrebat quod affectum mouere posset, iterum, atque iterum repeti curabat, vt altiùs impressum & Religioso, & sibi ipsi amplius prodesset.

Ad hæc multis eum sanctioribus spiritualis vitæ, & virtutum imbuebat institutis, & identidem seriò percontabatur ab eo, quid post studia sua de se vellet factum; cui reponebat Frater Matthæus, enasci à diebus aliquot reformationem in Conuentu nostro Rhedonensi, quam amplecti, etsi multis agitatam difficultatibus, (si modo stabiliret eum Deus) apud se fixum & constitutum erat; secùs, reuersurum se in Conuentum suum Dolensem, vbi cum Religiosis satis simplicibus, etsi non reformatis, Deo posset cum maiori pace & animi tranquillitate vacare.

Sic edoctus summatim multùm oculatus Cœcus, de Conuentuum Prouinciæ nostræ, maximè Dolensis, statu; déque consilio reformationem in iis instituendi, frequenter hortabatur Fratrem Matthæum, vt aliam omnino viueret vitam, ab ea quam non reformati viuunt, séque bonum, & virtutem amplexantibus firmiter adiungeret; Cæterùm non debere propter graues, quàs in suis cunis patiebatur obseruantia molestias, animum despondere: sed pro certo habere, eum breuî futurùm Religiosorum numerum, qui ad eam fulciendam, conseruandámque satis esset. Eundem in modum tunc adhortatus est & P. Philippum Theobaldum, eiusdem Prouinciæ nostræ alumnum, vt adscriberet se socium; certiorem eum faciens, si operi manum admouere vellet (vt ipse reuerâ acri erat ingenio, magno animo, & insigni virtute præditus) plurimùm profuturum His cum verbis, tantâ vi, tantóque pondere prolatis, aggressus est, vt

in corde eius, quasi quodam fulguris ictu saucio, deinceps altissimè defixa remanserint; vti ipse multoties Patri Matthæo posteà confessus est. Sic sapiens Dei prouidentia iam tùm vtebatur hoc Religioso seculari, ad promouendum nostræ reformationis consilium: eundem ipsum paulatim disponens, & vt basis eius certior aliquando fieret, & firmius fundamentum.

Transactis autem hoc in spirituali commercio duobus annis, in quo secularis Religiosum, non secularibus, nec è claustro, sed è cœlo diuinis acceptis instituebat disciplinis; Dominus *de Montdidier*, qui vt diximus, Cœcum nostrum apud se recipiebat, peractis suis negotiis, illum Abbatis-villam secum abducere voluit. Sed Deus aliter omnino disposuit; Ipse enim Parisiis remansit, tam perfectè diuinæ permissus prouidentiæ, vt neminem adire, nec minimùm quid petere, sibi temporaliter subueniendi gratiâ, firmiter apud se statuerit. Vbi eius animum explorauit Pater Matthæus, admonuit eum, nolle vti mediis, indigentibus & mendicis communibus, esse Deum tentare, quod non est licitum, sed culpæ & peccato obnoxium. Insuper & obtulit officiosum sui, & amicorum interuentum, ad obtinendum ei Abbatiæ sancti Victoris, tunc temporis vacans Pithaules officium. Sed propositam Cœcus recusauit conditionem, asserens Deum sibi non defuturum; addiditque, hoc vnum se dumtaxat precari eum; gratam haberet suam consuetudinem, & solitum familiare consortium.

Liceat hîc Dei mirabiles obiter explorare vias, suauiter omnino media sua disponentis; quà subtrahendo, quà reiiciendo, quà conciliando, vt finem suum fortiter assequatur. Tot iam tunsionibus, pressurísque expolitum lapidem, decreuerat angularem spiritualis fabricæ, Obseruantiæ Rhedonensis; imò & reformationis totius Ordinis iamdudum feliciter inceptæ, & adstipulante eodem numine propè diem perficiendæ: huic placito pro sua omnipotentia sapienter subiicit omnia, vt obseruanti videre est: sed imprimis viui huius lapidis simplicem animum, qui se tam libenter eius voluntati substernebat, & adæquatè cooperabatur; vt videatur iam tùm cœlitus fuisse admonitum, aut vaticinâ mente auspicatum, quid de se Deus vellet in ordine nostro aliquando factum. Hoc enim eodem tempore P. Petrus GEOFROY, eiusdem Conuentus Maubertini Religiosus, cum

cubiculo

cubiculo suo excipere, & ex parte (Superiorum permissu) alere, si modò ipsum pneumatici Organi cantum vellet edocere, sponte obtulit. Quam conditionem etsi repulsâ longè inferiorem, pius Cœcus accepit, non concedente Deo eius ab hoc Conuentu secessum, ex quo vocandus erat ad Religiosum Carmelitanúmque institutum.

Illic frequentior eius cibus, sicut hucusque fuerat, panis & aquæ dumtaxat erat; licet enim Religiosus qui eum susceperat, & is cuius consuetudine iamdudum vtebatur; quæcumque poterant, vt ei subuenirent, libentissimè impenderent: tamen non erat in eis, præ inopiâ, omnia quæ in votis habebant ei conferre subsidia; aliundè verò nolebat Dei famulus ab hac sua iamdudum vsurpata viuẽdi ratione discedere. Vix cum alio quàm cum iis duobus Religiosis agebat, qui ipsi alternatim anagnostæ munere fungebantur. Sed quia virtus semetipsam prodit, & foras semper vel inuita diffunditur; mille insignia eximiæ suæ virtutis, omnibus Conuentus Religiosis subiecit specimina, quæ veluti susceptum cœlitus semen, vitæ sanctioris & sinceræ pietatis in benè multis, cum tempore fructus emisêre.



CAPVT OCTAVVM.

Post effusas ad Deum preces pro defuncto Fratre, videt animam eius ex igne lustrico exeuntem; & subinde ad Ordinem Carmelitarum euocatur.

ADuentante iam horâ, in qua sterilem satis & tunc temporis inopem Turonensis Prouinciæ Carmelum optatissimo thesauro Deus ditatum voluit; homine dico in speciem exiguo, & coram hominibus permodico, sed coram se meritissimo & pretiosissimo: Sapienter (vt assolet) difficultates receptioni eius obicem allaturas anteoccupauit. Scilicet singularem suam erga eum dilectionem, & vicissim potentissimam ipsius erga se gratiam, efficacissimúmque orationis interuentum, hoc insigni specimine, testatissima fecit.

Iam à multis annis obierat diem Frater eius natu maior, pro quo Deum exorare non audebat, quod eum crederet extra sa-

lucis viam. Occisum enim in ipso feruore certaminis, partium Henrici Magni nondum ad Ecclesiam reuersi defensorem acerrimum : erroris etiam metuebat sectarium. Sed consilio & directione prudentis sui Confessarij Domini de Blanzi Doctoris Sorbonici ; quadam die Deum humiliter est contestatus pro ipsius animæ quiete, in eámque, suæ Synaxeos meritum omne direxit. Hac ipsâ die cum ad solemne sacrum Conuentus nostri Maubertini vnà cùm Patre Matthæo alternatim organa pulsaret; circa Euangelium, animus eius semper in seipsum altissimè receptus, & Deo summè intentus, ideóque ad suscipiendum cœlestè lumen omni tempore comparatus : continuò à sensibus auocatus, horrenda piacularum flammarum, quibus anima fratris sui cruciabatur, vidit tormenta Ad hunc aspectum ingentia seruus Dei imo ex pectore trahebat suspiria, & situ corporis sui, semisectísque vocibus, quas identidem edebat, visionis horrorem indicabat. *O Deus* ! *inquiebat*, *misericordia* : *heu* ! *quantus horror* : & his similia. Demum aliquandiu pòst vidit hanc animam è flammis emergentem, & ad Cœlos euolantem. Statímque cœpit manibus plaudere in signum lætitiæ, positísque genibus, cum effusione in laudes Dei precatus est adstantem Religiosum, vtique videntem omnes gestus suos, verbáque audientem, vt secum diceret hymnum *Te Deum laudamus*, in gratiarum actionem ; pro liberatione animæ fratris sui à pœnis purgatorij, cuius tandem Deus misertus erat. Posteà eidem Religioso, Patri Matthæo confessus est, hactenus se non esse ausum pro eo Deum precari, quod crederet illum ab Ecclesiæ vnitate occubuisse discretum ; sed hac die de consilio sui Confessarij, sacram adeundo Synaxim, directè ei suffragari, & iuuare illum, quantùm potuerat, intendisse.

Hoc argumentum singularis eiùs meriti, & gratiæ apud Deum ; maximam illi apud P. Matthæum suprà iamdudum conceptam, conciliauit opinionem : licèt enim tantas, támque insignes, quæ in eo elucebant virtutes, non posset non demirari : tamen non eum arbitratus fuisset eò progressum perfectionis & meriti : nisi talem, subiecto specimine Deus ipse prodidisset. Itaque exhinc Cœcum hunc, vt hominem sanctissimum, & insignem Dei amicum colere & venerari cœpit ; pluris faciens sanctam eius consuetudinem, & ex auspicato tot singularium virtutum

turum eius exemplo amplius proficere lucrarique contendens.

Paucis abhinc interiectis diebus, præfinita dies vocationi diuini huius hominis ad Ordinem Carmelitarum tandem illuxit. Motus igitur interius vt sacri Ordinis nostri habitum postularet, statuit apud se charo suo confidenti P. Mattheo suum aperire consilium. Antequam ei animum explicaret, iterum sciscitatus est ab eo, sed efficacissimè vtrum in proposito reformationem amplexandi persisteret; quo respondente se nunquam ab eo recessurum, etsi solus esset, nullúmque socium secum habiturus esset: reposuit ipse, non, non eris solus, iam enim tuus sum, tibíque, me à Deo efficaciter ad suscipiendum habitum in Conuentu vestro Dolensi accitum profiteor. Ad hæc turbatus primùm audita Religiosus, rem impossibilem, aut certè difficillimam exposuit. Primò quia à quadraginta annis nullum fratrem laïcum Prouincia Turonensis ad habitum admiserat, videbatúrque inexpectandum quod à cœci receptione de nouo inciperet. Secundò quia Conuentus Dolensis tantâ premebatur inopiâ, vt nullus in eo reciperetur nouitius, qui non persolueret minimùm Religiosam vestem; (quod videbatur supra vires hominis istius facultatibus omnibus spontè spoliati; & nihil à quoquam petere profitentis.) Demum quod esset extraneus, vtique ab vltimis fermè regni finibus Aremoricæ oppositis. Adde quod iuniore Religioso, qui nec accessum, nec gratiam apud Superiores haberet, mediatore tantùm & suffragatore vteretur.

His omnibus adductis difficultatibus, Dei seruus vno verbo respondit, eum se dumtaxat hoc vnum rogare: scilicet scriberet ad R. P. Prouincialem, & ad Conuentum suum, pro certóque haberet petitionẽ suam fore auscultandam. Ceterùm non defuturos vestitui suo, & itineri necessarios sumptus; quod paucis postea diebus, vt ipse dixerat, impletum est. Accepto enim per epistolas R.P. Prouincialis, Communitatísque Dolensis assensu: nonnulli à Deo permoti, plus illi pecuniarum attulerunt, quàm esset necesse in eius viaticum, & vestitum. Voluit insuper vt cum Nuntio ipsum deducturo, non expectatis huiusmodi eleemosynis ageretur; euidens argumentum, & compertæ ei plusquam humanitus diuinæ voluntatis, & veritatis indubiæ vocationis eius; cuius adhuc dignitas & præstantia, in modò subiiciendis euentibus, plurimùm enituit.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Eius è seculo discessus, & quæ in eo speciatim obseruanda.

LEgimus in Exodo, Moysis faciem ex consortio sermonis Domini, iteratis quadraginta diebus & noctibus in monte Sinai, adeò fulgentem micantémque populo apparuisse: vt operire eam cogeretur, si quando loquebatur ad eum; Eo quod, vt ait Apostolus, non posset intendere in faciem Moysis, propter gloriam vultus eius. Exprimit hunc fulgorem sacer textus cornuum metaphorâ, quæ pictoribus ansam dedit, vt Moysi in fronte cornua semper affigerent. Scilicet, ita lucida erat facies eius, vt radios luminis vibraret, & veluti flamma ignis assurgens, atque in acumina desinens, quasi cornua emittere videretur. Quia Deus lux est & fons lucis omnis, & luminis, quo signati sumus omnes quasi vestigio creatoris: hinc fit, vt qui cum Deo loquutur, & cum eo orantes sæpius agunt: instar Moysis, radiis eius afflentur, fulgeántque in anima, & subinde in corpore; extendente Deo suum, in creatura vestigium, & quasi altiùs imprimente, per assiduum & iuge cum eâ consortium. Sic planè visa est coruscare Diuæ Virginis veneranda facies, ex assidua cum Incarnato Verbo consuetudine, vt à sancto Dionysio, nisi fides eum prohibuisset, pro Dea habita foret. Sic D. Antonij in oratione pernoctantis ita fulgebat vultus, vt ex eius dumtaxat lumine, & iucunditate, inter Monachorum millia discretus, agnosceretur. Sic & noster exoculatus, qui nullâ visibilium specie, à Philosophiæ suæ studio auocatus, totus Deo indesinenter & indefessè intentus adhærebat: sæpè visus est vultu suprà humanum splendenti, & fulgido; vt in subsequentibus operæ pretium est palam facere & manifestum; dum interim hoc impræsentiarum specimen subiicio.

Abeunte illo & vale faciente Religiosis Conuentus, cùm hospitibus suis, tùm amicis, & pro sua humilitate benefactorum gratiam referente: Doctissimus Ecclesiasticus dictus Dominus *de Morlencour*, vir non solum doctrinâ, sed etiam pietate, & virtutibus insignis; proptereáque Regibus nostris Henrico

tertio

tertio & Henrico quarto acceptiſſimus: ita præoccupatus eſt, & præſtrictus neſcio quo radianti inſolitóque lumine quod ex eius facie prodire animaduertit, vt per diutinum tempus fixè eum intuitus, & ſolicitè obſeruans, ſummam de eo, ex primo hoc aſpectu, opinionem conceperit; In tantùm vt dixerit debere Cæcum hunc, aut eſſe doctiſſimum, aut Myſtam eminentiſſimum. Cui cum fuiſſet ſubiectum, reuerâ mentalis orationis eſſe ſtudioſiſſimum, & huic exercitationi à multis annis addictiſſimum; ſtatim repoſuit, hoc certiſſimè, fulgorem vultus eius, & micantem aſpectum ſatis enuntiare, & comprobare veriſſimum. Inſuper audiens à P.Matthæo illic adſtante, quod Aremoricam proficiſceretur ſuſcepturus ſacri Ordinis noſtri habitum; adiecit, Carmelitarum Ordinem pretioſiſſimam hac die ſibi comparare gemmam; Et exhinc initâ cum Patre Matthæo neceſſitudine, ſæpiùs inquirebat quomodo ſe bonus Cœcus haberet; rogabátque impenſius vt ſe precibus eius faceret commendatum.

Tanti viri iudicium, quod ſubinde Candidato noſtro accidit, equum ſuum conſcendenti, inſuper confirmauit. Calcitrante enim equo, & in poſticos pedes de repentè ſurrecto, cum propter cœcitatem equeſtris artis omninò inſcius, regere eum, & moderari non poſſet; parum abfuit quin eum in terram deiecerit. Hoc in diſcrimine Cœcus noſter planè immotus, planè idem, & æqualiter placidus: iungit manus ſuas faciémque in Cœlum attollit; non aliundè quærit nec inclamat auxilium, hoc vnum habet, in tanto periculo, ad quod confugiat præſidium. Quæ ſecuritas, & firma ſui poſſeſſio; illum omnibus aſtantibus virum ſanctiſſimum, & Deo verè iugitérque intentum indubiè comprobauit; qui in tanto támque inopinato periculo, nec minimùm conturbaretur, ſed ſummam animi pacem, tranquillitatémque ſeruaret.

Fuit in deſiderio multis è noſtris, quorum aliqui non tantùm ſtudiis & affectibus abeuntem ſunt proſecuti, ſed etiam inſecuti; reformationem iam tùm Rhedonis prodeuntem amplexantes. Quod idem præſtitit vnus è Lectoribus eius Procuratoris Pariſienſis filius. Non defuerunt etiam è ſeculo, qui diſceſſum hunc ægerrimè tulerunt, quos inter mulier illuſtris Domina *d'Andreſel* Præſidentis coniux: non leuem ſe ex hoc diſ-

cessu iacturam pati, sincerè demonstrauit. Licet enim nunquam eum esset allocuta: de virtute tamen illius alta sapiebat, & pro sancto eum habebat, videns eum in Ecclesia nostra iugiter orantem, foris, in specie, situ, & omni corporis habitu, Dei præsentis reuerentissimum, & quotidie flexis genibus ante sanctissimum Sacramentum per sex aut septem horas, statiuas excubias agentem. Et reuerà non sine speciali Dei prouidentia arbitror contigisse; quod homo iste, cui cibus & vita, erat oratio, assueuerit iuxta scamnum huius Dominæ ordinarium sibi locum vsurpare; vt ex religionis eius & modestiæ typo, quam deinceps semper habuit, summam vitæ interioris assequeretur opinionem: vnde & eum multùm reuerebatur, cauens diligenter ne ad sedem suam accedens, orationem eius tantisper interrumperet; aut incommodum vllum quocumque modo afferret, illíque summa cum humilitate semper assurgens, vt, ad sacram Synaxim accedenti, & ad organa pulsanda transeunti, locum daret. Insuper & lucrari se multùm arbitrabatur, si quando ei, mensæ Eucharisticæ cum illo accumbere contingeret; Adeò verum est seruatam in ædibus sacris grauitatem, & modestiam, esse ad conciliandas, lucrandásque Deo animas, efficacissimum medium; Adeò verum est internam cum Deo conuersationem, & assiduum ex oratione consortium, homines etiam foris afflare, & fulgentibus diuinæ lucis collustrare radiis: quibus intuentium perstringunt oculos, animósque & corda suauiter ad se abripiunt.

CAPVT DECIMVM.

Appendix ad præcedentia.

SIc igitur discessit noster Candidatus anno ab Incarnatione Domini 1606 & expetitâ veste sacri Ordinis Fratrum B. V. Mariæ de Monte Carmeli, Britanniam Minorem appulsus, in Conuentu Dolensi auspicatò indutus est. Quo sensu & affectu, quibus animi sui deliciis & suauitatibus, relinquimus ponderandum, ex sublimitate status tanti viri, & vocatione tam insigni & miranda. Et verò dolemus non modicùm, ingemiscimúsque, tot vitæ huius, in seculo quidem translactæ, sed reuerâ

cœlestis

cœlestis & diuinæ: nesciri facta insignia, æterno digna encomio; tot heroïcos singularium virtutum actus, tot æstuantes tam ardentis charitatis motus, sensus, & affectus, quibus per triginta quinque annos ex amore dumtaxat viuens, & in amorem iugiter refluens; dilectum suum, verè amantium animarum sponsum, ad exanimationem vsque secutus est, penitus ignorari. Quod si Deo prouidente, P. Matthæus, pauca ab eodem de ortu & natalibus ipsius, déque viuendi ratione in adolescentia, & iuuentute non didicisset, & modicùm de austeritatibus eius, pœnitentiáque asperrimâ expiscatus fuisset: hic homo planè perditus sibi, mundo, & hominibus, exul in terra, & verè pauper spiritu; vni Deo & Angelis eius agnitus, penitus nobis periisset.

Fatemur ergo, nec abnuimus, iamdudum perfectum, imò & perfectissimum Ordinem nostrum esse ingressum; nec ab ordine, nisi extensiuè, sed Ordinem per eum multa esse perfectione donatum, aut potius perfectioni restitutum. Siquidem, vt diximus, æterni Numinis singulare donum est, quo depopulati & inculti penè his in oris, misertus Carmeli; ruinas implere dignatus est: Et vt vero Eliæ filio, vtriusque eius spiritus hærede, restituere nobis omnia. Habuimus quidem ex eiusdem Numinis abundanti munere operarios quamplures, & cooperatores strenuos; qui explorantes hæc Carmeli infirma, direptionémque eius amplius non sustinentes, prouocauerunt nos ad ascendenda altiora eius iuga, vtique & possidendam Patrum nostrorum hæreditatem; virtutem dico, & strictiorem viuendi rationem tot Prophetarum illic iampridem in lege Domini die noctéque meditantium; tot Patriarcharum & Præsulum exinde ad pedum & infulam auulsorum; tot millium Martyrum, & sanctorum Confessorum, quorum illi suo sanguine, hi virtutibus & miraculis, Ecclesiam vbique terrarum illustrarunt: Quique insuper spondentes verbo, & opere probantes, hanc posse nos vt propriam nobis asserere; mirum quantùm in arduo hoc opere promouendo feliciter profecêre. Inter eos autem verè inuictum Dei exercituum, bellatorem & Ducem, nostrum agnoscimus Iosuë; R. P. Philippum Theobaldum, qui nos zelo suo, sagacitate, & solertiâ, quasi manu ducens, verè introduxit in terram Carmeli; cuius cum multiplici benedictione, & gra-


tiarum actione, iam nunc comedimus fructum, & optima. Eius enim hæc laus est, & singularis gloria, quod expulsis omnibus inimicis, interfectis bestiis, & domitis monstris, quæ Carmelum nostrum impunè depopulabantur: quasi sorte terram nobis distribuerit, & montem sanctum incolumem restituerit. Vnde & suis oculis, multis etiam annis antequam eos clauderet in Domino: iam in hoc seculo mercedem ab eo accipiens, vidit vniuersam Prouinciam non tantùm reformationis iugo subactam, sed etiam ampliatam octo Conuentibus, nec non, & duobus Sanctimonialium, Ordini insuper additis. Vidit & Aquitanicam Prouinciam, in quam plures direxit fortes obseruantiæ & disciplinæ regularis athletas. Vidit & Belgium quod ipsemet lustrauit, & suis manibus excoluit: nostra æmulantes charismata, & iisdem quibus nos legibus & institutis, Religionis decus gloriámque promouentes. Habuimus inquam hunc Antesignanum & Ducem nunquam non laudandum; habuimus & alios huiusmodi cooperatores & operarios insignes, multifaria pij Numinis dona: Sed super eos omnes amicissimum, & in tota domo fidelissimum famulum Moysem in monte, manus & brachia ad Deum diù noctúque protendentem; ex cuius iugi contestatione, & indefessis orationibus, salus omnis, & felix suscepti operis pendebat exitus. Huic enim, omnis debetur, internæ cum Deo conuersationis, & iugis contemplationis (quæ certè Carmelitarum est pars optima) si quis eius est apud nos vsus, honor & gloria. Si quidem ex eo tanquam ex suo fonte, manarunt hæc omnia, iam nunc haud ita rara, feliciter aspirante Deo, initialis nostri spiritus meliora charismata: éstque nemine non fatente summus Magister spiritualis vitæ & Protomysta, tùm eorum qui iam è viuis excesserunt, cùm eorum qui adhuc superstites sunt; quorum nemo non se profitetur eius discipulum, & gloriatur (quicumque ille sit) ad pedes eius esse institutum.

Fatemur ergo & liberè profitemur, verè perfectum, Deíque amicissimum Ordinem esse ingressum. Sed insuper illud etiam adiungimus, quod qui studio tantæ perfectionis inescatus, finem illius & obseruandam singulatiter, consummationem visurus; in alteram vitæ eius partem, æquali ferè annorum numero in claustro computatam, se se conuerterit: fatebitur & ipse illum,

multo

multo plus in eo quàm attulit, perfectionis comparasse: cùm animaduerterit quousque tandem eam extulerit, & eius innumerabiles penéque infinitos quos acquisiuit gradus, indiligenter obseruauerit. Planè enim intelliget, scholam esse, lycæúmque virtutis claustrum; verúmque perfectionis acquirendæ statum, non quod non multiplicem contineat & superefluentem, sed quod quauis partâ & acquisitâ, maior semper & abundantior supersit acquirenda: proptereáque exhauriri non posse, quod semper habeat vnde acquirat. Denique intelliget ex variis probationibus, & omnis generis exercitationibus toties repetitis, quibus exploratus, mundatus, & ad purum vsque collatus est, hunc eundem esse statum, in quo (sicubi aliàs in vniuerso orbe) in tuto posita est, & secura perfectio.





PARS SECVNDA.

VITA EIVS IN CLAVSTRO.

CAPVT PRIMVM.

Nouitiatus eius, & Professio.



ONCORS est Sanctorum Patrum, Theologorúmque consensio, solemnem votorum obedientiæ, paupertatis, &-castitatis emissionem, quibus stat religiosa professio : tantæ virtutis esse & meriti apud Deum, vt peccatorum omnium, non tantùm eluat maculam : sed etiam pœnam omnem & reatum exoluat, proptereáque ab eorum nonnullis, vt Cypriano, Hieronymo & Bernardo alterum Baptisma nuncupetur. Inde moris est hodie apud benè multos strictioris disciplinæ Religiosos cœtus, in huiusmodi regeneratione alumnis suis, dimisso lustrico, nouum nomen imponere. Vt scilicet intelligant, iterum se renatos in Christo ; & quasi modò adhuc geniti infantes, sincerum sine dolo perfectæ renuntiationis, non tantùm Diabolo & Angelis eius : sed etiam seculo & commodis eius, lac concupiscant. Non egebat vllo pacto hac nominis innouatione noster Candidatus, qui iamdudum vtrique tam perfectè renunciârat ; vt neutri vnquam benè voluisse : sed semper vtrumque æqualiter odisse verè possit, debeátque affirmari. Itaque (vt ante reformationem consuetudinis erat,) lustricum nomen Ioannis, quo primùm initiatus erat, retinuit ; Eo quod vt alter Ioannes, ad solitudinis, contemplationísque studium (sicut ante præmisimus) reuerâ electus erat ; Et vt verus Eliæ filius, virtute eius spiritúque plenus, assiduâ suâ oratione, iugi silentio, & internâ cum Deo negotiatione, cor filiorum ad eiusdem spiritus Patris eorum studium, cultúmque conuerteret. Additum est postea cognomen

men Sancti Samsonis, qui Patronus est Episcopalis Ædis, sicut & Vrbis Dolensis: Sic disponente forsitam numine propter maximam, quàm habiturus erat cum celeberrimo illo antiquæ Legis Samsone, populi sui iudice similitudinem; multò minùs ratione cœcitatis corporeæ, quàm diuinæ fortitudinis & animi magnitudinis.

Ecce igitur auspicatò, quem deinceps Fratrem Ioannem à S. Samsone habemus appellandum: Conuentus Carmelitarum Dolensium in Britannia minori Nouitium. Hoc in Conuentu tot primo aditu, dedit specimina virtutum omnium, vitámque expressit ita Angelicam, & diuinam, vt ipse Dei Paradisus, & cœlestis beatitudinis sedes appareret. Præter enim singulares secretásque, quas infrà proferam, in anima eius, Dei operationes: gratiæ eius insignis, & potentissima apud Deum merita foris in ædificationem animarum, & solamen corporum, mirabiliter effulserunt. Vnde & quasi noua lux, & Sol felicis influxus, ab omnibus conspiciebatur. Porro tot mirabiles hoc in agro absconditos explorandi, palámque faciendi thesauros, hæc se dedit occasio. Paucis diebus à sua receptione, incidit in febrem, cui non inuerisimiliter causam præbuit aëris mutatio. Hæc eum febris suâ diuturnitate & feruore, ad eum redegit statum, vt omnes Religiosos moueret ad commiserationem. Accidit eodem tempore, vt Illustrissimus D. Antonius *de Reuol*, nouissimè inauguratus Dolensis Episcopus, R. P. Ludouicum *de Cenis* Ordinis nostri celeberrimum Concionatorem, sacræ Theologiæ Parisiensis Doctorem, & tertiò Prouinciæ suæ Franciæ Exprouincialem, miserit ad disseminandum per Quadragesimam in Basilica sua S. Samsonis Dei verbum. Is nostrum hoc in statu miserando nactus, Fratrem Ioannem, sapienter admonuit; vt deficientibus ad recuperandam sanitatem humanis auxiliis: ad diuina confugeret; diceretque firmâ fide, hanc, quam Romæ viderat à Sacristis S. Petri super febricitantes orationem, publicè pronunciari. *Dominus Iesus, qui curauit socrum Petri à febribus quibus tenebatur; ipse curet famulum suum à febri quâ laborat. In nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Amen.*

Hoc saluberrimum Frater amplexus consilium, die sequenti qui dies erat febris, lustratus sacrâ confessione, & cœlesti Eucharistiæ pastus alimoniâ; hanc orationem tam perfectâ fide

pronuntiauit, vt ipsâ die integram sanitatem recuperârit. Quod eo Religiosos omnes Conuentus affecit gaudio, & eâ consolatione recreauit, vt eorum aliqui etiam febre laborantes eum sint deprecati, vt & eandem super se proferret orationem. Ipse renuit quidem initio, ex humilitate, sed posteà obedientiâ coactus annuit; & continuò hos ægrotantes sanitati restituit. Cuius rumor per vrbem delatus febricitantes omnes acciuit, quos & ipse eadem suâ oratione sanauit, vt capite sequenti fusiùs exponitur.

Alia insuper eximias virtutes huius Nouitij prodidit occasio, pestis scilicet, quæ tunc grassabatur in vrbe Dolensi; correptóque & in sepulchrum illato Religioso Conuentus, alium etiam inuasit adhuc Nouitium. Hoc aduerso casu conterriti Superior & Religiosi, decreuerunt cedere Conuentu, vnum dumtaxat relinquendo Fratrem Clericum Oliuarium nomine, cum famulo seculari, qui ægroto sucurreret. Sed noster Nouitius ardenti charitate succensus, (etsi cœcitas eum videretur ad seruiendum laborantibus reddere inhabilem) nihilominùs apud se constituit hærere firmiter,& se illorum ministerio audacter deuouere, sperans Dei gratiam naturæ defectum hoc in negotio suppleturam. Non fuit cassa & inefficax hæc in Deo confidentia: Cum enim quadam die Religiosus peste simul & phrenitide laborans, per fenestram dormitorij agere se vellet præcipitem: ipse (cuius cubiculum satis erat distans) ex eo statim egreditur (ductus procul dubio superno lumine) rectà ad phreneticum tendit, & in loco præcipitij comprehensum sistit; vocánsque Religiosum & famulum, qui præ timore morbi in imum hortum se recipiebant, infirmum lecto recumbere coëgit; illíque semper præsens adfuit absque vllo periculi metu; Deum enixè obsecrans vt non nisi, suiipsius compos, & Ecclesiæ Sacramentis adiutus, obiret. Vtrumque Deus illi concessit. Ex tempore enim rationis vsum recepit; & accedente auspicatò ad vicinum locum, Conuentus Priore, vt de Religiosi laborantis (qui nepos eius erat) inquireret ægritudine: cœcus noster brachiis suis amplexum ad fenestram defert, & expunctis peccatis sacrâ Confessione lustratum, ad lectum refert, in quo statim expirauit. Inde cum aliis corpus in terram extulit; & circa pestiferum cadauer, donec effossâ, & superingestâ operiretur humo, semper in oratione permansit;

summum

summum arbitratus lucrum, si in his charitatis, & Christianæ pietatis operibus mori sibi contigisset.

Percusso eadem pestilenti luë, & alio dumtaxat superstite Religioso, ei pari studio, & assiduitate succurrit; non recedens ab eo per viginti quatuor horarum spatium, quibus graui lethargiâ consopitus fuit; monens identidem, & prouocans eum, ad cor suum sursum in Deum erigendum. Porrò Deum orauit pro huius infirmi sanitate, quam & statim exorauit. Demum morem suum Deus erga illum tenuit, & communem illi esse voluit cum vniuersa Sanctorum natione, ipsóque Sancto Sanctorum, patientiæ & humilitatis exercitationem. Tot enim labores, & operas tantâ charitate, & assiduitate in ministerium huiusmodi peste laborantium impensas, simili pestilentiæ morbo compensauit. Veruntamen quia adhuc ad maiora destinatus erat: hæc lues quæ foris prodierat, statim intrò regressa est, nec alium habuit effectum præter febrem quartanam, & inde ortam diuturnam hydropisim; quam vtramque mirâ & verè angelicâ pertulit patientiâ. Post hæc deductus est ad locum, eorum qui peste fuerunt infecti secessui, & lustrationi assignatum. Vbi per aliquod tempus demoratus, adhuc testatam fecit insignem suam & singularem erga ægrotos & agonizantes charitatem: eos enim tantâ virtute & efficaciâ in hoc decretorio æternitatis articulo adhortabatur, vt cum incredibili pace & consolatione spiritum Deo redderent.

Exempto à pestilentia Conuentu Dolensi, reuersísque in eum Religiosis, feruens hic Nouitius ad professionem admissus, se Deo solemnibus paupertatis, castitatis, & obedientiæ votis, ad mortem vsque astrinxit. Pronum est cogitatione assequi, quàm iucundum Deo, acceptúmque fuerit hoc amabile sacrificium, vtique oblatum ab homine in obseruantia huiusmodi votorum, etiam antequam ea eius labia in facie Ecclesiæ distinxissent, perfecto & absoluto, qui per annum probationis suæ, ita dignè vocatione suâ ambulauerat; vt licet grauia multa in omni genere pateretur (quod solent omnes studiosi mortificationum in Communitatibus non reformatis, vbi multis eorum necessitatibus non subuenitur, de quibus inferius,) certóque sciret grauiora adhuc se manere per omnem vitam perferenda: nunquam tamen de re-

tro respiciendo, aut stadio deserendo, vel minimùm cogitauit. E contra magnis animis, sanctóque feruore, ad brauium se altissimæ in Christo suæ vocationis extendens; pretiosissimum Euangelicæ perfectionis lapidem, Carmelíque fructus, & optima, hoc in Conuentu nondum reformato, sapienter adinuenit.

CAPVT SECVNDVM.

Singularis eius erga ægros charitas, & curationum gratia ab Jllustrissimo Ordinario Dolensi explorata, & comprobata.

BIduceliorum Ciuitas, quæ sedes est Episcopalis, & vnica in Diœcesi totâ Dolensi: propterea Cœlum non aspirat salubre, nec felicis potitur auræ, quod in paludibus constructa est; aut illis ferè vndique circumcingitur. Vnde & grauissimis periculosissimísque febribus non infrequenter æstuant illius ciues & accolæ. Hæc populi calamitas, & regionis aduersa valetudo iuge est, & continuum tenerrimæ Fratris Ioannis à S. Samsone commiserationis obiectum. Omnibus his infirmantibus ex corde compatitur, & cum singulis, pro ratione ægritudinis, imò etiam grauiùs infirmatur. Scilicet eos omnes habet in visceribus suis, in quibus præ latitudine non angustiantur. Ipse vnus & omnium simul, & singulorum singulatim angustiá premitur, & angustiatur. Recordati Superiores efficaciæ precum illius quæ iam tum, cùm Ordinem est ingressus, in huius morbi sanationibus mirabiliter effulserat; præceperunt ipsi, vt eandem super aduentantes febricitantes, etiamnum recitaret orationem. Quod cum præstitisset, & cum eodem euentu: tanta deinceps ægrotantium affluxit multitudo, vt necesse fuerit, statam illis præfigere horam, in qua pluribus simul congregatis semel satisfacere posset.

Assuescit continuò populus singulis diebus manè conuenire, ante altare maius Basilicæ nostri Conuentus; vbi post dictam primam, deductus à iuniore fratre, statim aderat noster Cœcus; qui salutato, breui oratione, Sanctissimo Sacramento, conuer-

sus ad ægros flexis genibus per ordinem dispositos, super vnumquemque illorum suprà exscriptam pronuntiabat orationem; nec non & aliquando sancti Alberti Confessoris Ordinis nostri, cuius virtus in curandis febribus, efficax semper, & mirabilis extitit. Deinde adhortato vnoquoque eorum, ad viuendum more ritúque Christiano, & exercenda pro cuiusque conditione bona opera: dimittebat eos cum accepta benedictione, lætos & alacres.

Placuit Deo in huiusmodi charitatiuo opere, humilem suum & obedientem exaltare famulum, omnes enim hi febricitantes per totam regionem iactabant vndique, se precibus eius sanatos fuisse; adeò vt ad aures vsque illustrissimi Episcopi D. Antonij *de Reuol*, viri singularis omninò virtutis, pietatis atque eruditionis, rumor iste peruenerit; in tantùm vt quidam è domesticis eius, inueteratæ febris (quæ nullis remediis curari poterat) tædio affectus; elatâ voce palam dixerit, se Fratrem Ioannem vt ab eo sanaretur, aditurum. Quod cum expresè prohibuisset Episcopus, & ipse nihilominùs se quadam die cum aliis ægrotantibus obtulisset: domicilium Episcopale sanus & alacer est reuersus. Vnde Sapiens hic & vigilans Pastor, pro sui officij munere, volens experiri quidnam hîc ageretur, sequenti die, mane cum Domino *Bertelot* sacræ Theologiæ Pariensis Doctore, nec non & Theologicis in Canonicorum suorum collegio præfecto, aliísque multis non ignobilioris status, maximè verò literatis hominibus, ad Ecclesiam nostram se contulit. Frater qui non erat præmonitus orationem suam super ægros ex more recitat; obseruat eum Episcopus, & omnem agendi rationem diligenter aucupatur. Post quæ elatâ voce, & asperiori tono, percontatus est vndénam illi tanta esset audacia, populum suum coram se benedicendi? Ad hæc humilis Frater statim procumbit in genua, & aduentus ipsius causatur ignorationem: vrget Episcopus, arguit eum, & acerbè coram omnibus obiurgat; contestans omne istud quod operabatur, esse illusionem dumtaxat & fraudem, vtique & superstitiosam eius orationem. His omnibus Frater obmutescit, altissimè intra seipsum receptus, corde humillimus, & in imum sui nihili deiectus, nequidem de excusatione & iustificatione cogitans; nisi quod ad hæc vltima verba, quibus superstitionis insi-

mulatus est : petitâ prius humiliter loquendi facultate, respondit ; habe me excusatum Illustrissime Domine, perfectus est orationis sensus, & absque superstitione, hanc à Theologo Doctore sum edoctus

Post alia multa etiam duriora verba, ad quæ omnia strenuus Christi æmulator non aperuit os suum ; conuersus Episcopus ad suum Theologicis præfectum, sciscitatus est ab eo quidnam de his omnibus ipsi videretur ; cui ipse, omnibus his ad sanctuarij pondus expensis, ingenuè respondit. Illustrissime Domine, non alia, nec maiora præstitere Apostoli : Si Fratris Ioannis viueremus vitam, & tantam haberemus, quantam ille fidem ; haud dubiè ægros omnes orationis huius pronuntiatione, curaremus. Tùm conuersus iterum ad fratrem Episcopus inquisiuit, quid nam eum moueret ad huiusmodi auxilium febre laborantibus exhibendum ? quo respondente se Superiorum suorum obedientiam implere : Ipse qui hoc in negotio Dei gloriam dumtaxat intendebat, nihil non Euangelio, & charitati Christianæ congruentissimum videns ; subiunxit suauiter & humanè ; omnino mi Frater, & ego obedientiæ tuæ, in posterum prosequendi, & ægrotos sanandi, mandatum adiungo. Sic discessit tam æquo animo, támque profundâ Religiosi huius humilitate & subiectione contentus, vt eum deinceps multùm sit veneratus ; & apud omnes viros illustriores frequenter commendarit : imò etiam ab eo voluerit præcipuas & singulares internæ suæ directionis institutiones tam viuâ voce, quàm scripto, humiliter emendicare ; factúsque sit deinceps humilis huius laïci sedulus auscultator, & exploratæ virtutis assiduus præco.

Inter alios laudauit eum tribus aut quatuor abhinc annis apud Dominum Durandum Officialem Maclouiensem, tunc concionatorem suum, virum doctrinâ & morum integritate conspicuum ; quem & rogauit, vt virtutis Religiosi huius caperet experimentum. Annuente illo, eo simul animo ad Conuentum nostrum accedunt, & cum Fratre Ioanne loquentes aggreditur eum Concionator, & sæuire cœpit, inuehique in eum asperius : vocans hypocritam, seductorem populi, hæresum disseminatorem, improbum, & impostorem, qui mundum vniuersum vanâ suâ sanctitate dementaret. Demum quæcumque potuit, vt

eum

eum ad viuum pungeret, & animum eius ſubtiliter expiſcaretur, liberiùs effutiuit. Quibus Illuſtriſſimus Epiſcopus multa id generis, etiam cum grauioribus minis eum incarcerandi, inſuper adiecit. Verum tantùm abeſt vt patiens Dei ſeruus, huiuſmodi verborum aſperitate & inclementiâ motus ſit: quin è contra ſummam in corde ſuo lætitiam conſolationémque perceperit, credens id ſeriò & abſque ſimulatione fieri: adeóque probationem hanc incredibili humilitate ſuſtinuit; agnoſcens ſe ſincerè maximum peccatorem, ſicque ſæuientes contra ſe enixè obſecrans vt Deum pro ſua conuerſione deprecari dignarentur. Ad hanc tamen vocem hæreſeos, ne quod veritas, & honor Dei, diſpendium pateretur; ingenuâ humilitate repoſuit, in ſua pro infirmis orandi ratione, hæreſim eſſe nullam: ſéque Deum dumtaxat obteſtari, nihil omnino addens de ſuo, vt ſi ipſi collubitum eſſet, ſanitatem eis reſtitueret. Omnibus aliis penitus obmutuit, nec de ſe iuſtificando minimùm cogitauit. Quod cum vidiſſet eruditus Concionator dans gloriam Deo, fratrem hunc tam humilem, tam patientem, & in oculis ſuis abiectum, verè in ſpiritu Dei curare infirmos, palam, & liberè pronuntiauit.

CAPVT TERTIVM.

Multifariam exercetur à Deo, Dæmonibus, & aliis creaturis.

QVi de miraculis à Chriſto editis ad curandos tot languentes & infirmos, quibus ſacra ſcatent Euangelia, locuti ſunt: aſſerunt, cum (vtique ad animarum ſalutem miſſum) earum ſemper egiſſe curam interius, quoties corpora ſanabat exterius. Actus eodem ſpiritu Frater Ioannes à S. Samſone, qui eadem operabatur virtute: hoc principaliter intendebat in ſanatione ſuorum ægrotantium, vt animabus primùm mederetur, & æternam ſalutem efficaciter promoueret. Itaque eos ex animo, vt iam antè diximus, & ex intimis viſceribus adhortabatur, vt dimiſſis corruptis moribus, & ſeculi vanitatibus, vni Deo crea-

tori & Domino; filióque eius vnigenito Iesu Christo Saluatori & benefico, debitam suam exhiberent seruitutem, famulatum & obsequium. Et quia fauor & gratia potentissimum est medium, ad captanda conciliandáque corda, vt plurimùm medendo corporibus, animarum etiam salutem lucrabatur. Hanc iniuriam maximúmque damnum non tulere æquo animo infensissimi earum hostes. Armantur Dæmones furore & rabie, contra mitissimum Dei famulum, & in vnum humilem Laïcum, Cœcum, & infirmum agglomerantur cunei potentissimorum spirituum, qui oras illas sibi speciatim demandatas pro viribus infestabant

Primùm tentationibus variis eum aggrediuntur, quibus supra modum affligunt; tùm acutissimis doloribus toquent & discruciant; mox turmatim in eum irruunt, præfocare & oppresso spiritu interimere tentantes. Tùm horribiles vociferatus, & omnis generis belluarum vlulatus emittunt; modò humanas ementiuntur voces, quæ ei religiosas suas exprobrant exercitationes, vocantes eum hypochritam, superstitiosum, & arrogantem: qui populum instruere, & ægrotos curare præsumeret. Nonnunquam sic conquerebantur, cur à tam remotis locis venisti, vt nos conturbares? Aliquando ex ictibus acceptis ab eis, corpus habebat penitus contritum & contusum. R. P. Matthæus Pinaldus testis fide dignissimus, vtique insignis inter reformationis nostræ Principes; qui eum perdiù in his terribilibus contra Dæmones præliis adiuuit: vidit oculis suis impressa ab eis multoties in eius manibus, vultúque exaratæ cutis vestigia.

Ad hæc Deus ipse, vt suum probaret bellatorem, & ad purum excoqueret, proiecit eum in ariditates internas, & siccitates, adeò duras & asperas, vt sine vllo subsidio & leuamine se cruci affixum vndequáque sentiret. Vbi non est silentio prætereunda, nunquam non laudanda, in hoc caliginis & angustiarum statu summa eius humilitas. Cum enim eius Superior nullo rerum spiritualium tinctu esset infusus: ipse nihilominùs eum frequenter adibat, eíque, non secus ac si omnium hominum oculatissimus, & in huiusmodi materiis versatissimus fuisset: status suis rationem fideliter referebat. Vnde & Deus acceptissimum habens huius submissionis sacrificium; vt plurimùm Superiorem

periorem hunc cœlitus afflabat: quatenùs expositas difficultates, conuenienter ad inferioris sui statum, directè resolueret.

Inter has omnes angustias, cruciatus, & oppugnationes, de ardenti suo pro Deo patiendi desiderio, nec minimùm quid remisit; è contra confessus est ingenuè hoc suum patiendi desiderium, pro ratione pœnarum suarum & laborum, crescere semper & extendi. Et reuerâ ipsemet Deus, qui sibi mirum in modum in eius fidelitate complacebat, & huius pro se patiendi author erat desiderij; frequentissimas illud implendi occasiones, ei abundè ministrabat. Vnde & dicere solebat, elapso quodam à professione sua tempore; cum huc vsque non habuisset, à quo dirigeretur, Patrem Magistrum: hoc Deum erga se munus excellenter obiisse. Et ex intimo corde suo Majestati suæ, grates rependebat, quod se, cùm in corpore, tùm in spiritu iugiter exercere, & multiplices pro ipso patiendi occasiones deferre dignaretur. Quarum vt hîc quasdam subiiciamus: animaduertere est, in Conuentibus non omninò reformatis, Religiosos legum suarum obseruationi firmiùs adhærentes, multam circa corporis necessitates frequentissimè penuriam pati; propterea quod (vt superiùs præmisimus) & plerúmque non habet Communitas vnde illis subueniat; & ipsi suas celant necessitates, ne oblatæ desint patientiæ & mortificationis adeò expetitæ occasioni. Hæc fuit sors fratris nostri Ioannis, quandiu vixit in Couentu Dolensi; in quo regularis disciplinæ feruorem, vt & in multis aliis, plurimum relaxauerat temporum calamitas. Adamatam enim à primis suis annis, & veluti pretiosissimum thesaurum solicitè custoditam sanctissimam paupertatem, quomodo professam in facie Ecclesiæ amplius non amasset Christo iuratus pauper. Ipse, qui (cum adhuc degeret in seculo) libenter cesserat bonis omnibus suis temporalibus, vt pauper ignotus viueret: certè quàm longissimè aberat à procurandis sibi necessitatibus sponsatâ solemniter Iesu Christi cruce, religioso instituto indissolubiliter annexâ.

Abundante itaque Communitate, affectu quidem, sed non commodo, multa perpessus est cùm in victu quotidiano, tùm in morbis frequentissimis, & ferè assiduis; nec non & aliis innumeris necessitatibus, mortalium omnium mortis, & crucis amantissi

amantissimus. Quoad vestitum, raró linteum mutabat indusium, cuius ante reformationem licitus erat vsus; adeóque pediculis vndique scaturiebat, & non secùs ac alter Iob vermibus consumebatur. Quod tamen tam patienter ferebat: vt nunquam actu, aut verbo quopiam, testatam fecerit, quam inde patiebatur molestiam. Porrò vt resciuit die quadam, huiusmodi vermiculos in suis vestibus apparuisse, agnouit ingenuè, se quidem ex iis, verecundari; & quasi fratrum suorum consortio indignum effici. Verum se vberiùs exultare in sua paupertate; hánceque corruptionem quæ scatebat ex suo corpore, vt peccati appendicem: se in agnitione humanæ, priuatæque miseriæ altiùs infigere, & firmiùs solidare. Eadem patientiâ modestiáque planè angelicâ, graues & ipsi ratione cæcitatis singulariter molestas, quorundam huius regionis culicum sustinebat punctiones, de quibus nec vel minimùm vnquam conquestus est.

Haud melior erat vestitu victus; quotidianus panis Conuentus, erat miscellaneus ex secali, hordeo, auena, frumento nigro, & fabis: potus sicera vilioris pretij, sæpiùs corrupta. Cætera omnia pauperrima & miserrima. Ex quibus in promptu colligere est, quantùm pertulerit patiens hic Religiosus ægrâ semper valetudine, & continuâ his primis annis infirmitate grauatus. Porrò etsi victus iste, quantumcunque pauper & modicus, eo tamen esset amplior, quo vtebatur in seculo, vbi pane & aquâ duntaxat vescebatur: nihilominùs hæc viuendi ratio, iuncta durioribus exercitiis quibus assiduè cruciabatur, cùm à Deo, tùm à Dæmonibus, corpus eius habitu suo haud ita robustum, adeò immutauit, & attenuauit: vt in febrem quartanam iteratò relapsus sit, quæ eum diuturnitate suâ & asperitate, ad sepulchrum vsque ferè deduxit Deus autem cuius voluntas erat & immutabile decretum, traducere illum per ignem & aquam huiusmodi tribulationum, eum non exaudiuit pro sua sanitate deprecantem; etsi multoties, & ex obedientia postulauerit eam: suámque orationem pro febricitantibus recitauerit. Sed precibus eius quasi obsurduit, eúmque per annum & vltra, in hac infirmitate languentem dereliquit.

Non habente Conuentu Nosocomium, cellulísque dormitorij ligneis tantùm tabulis, malè compaginatis ab inuicem discretis; ita

Ita vt vndique flarent venti; Ipſe in ſua, vbi nec ignis, nec caminus erat; omnes febris ſuæ ſuſtinebat acceſſus. Nunquam officinas adibat, vt ad ignem pro neceſſitate accederet; quia illic concurſus erat, multorum extraneorum propter Conuentus negotia aduentantium; & ipſe ab huiuſmodi congreſſibus abhorrebat, ne à iugi ſua cum Deo negotiatione diuerteretur. Sæpè viſus eſt hyeme, muri alicuius apricationem quærere, & ad Solis radios ſuper horti buxum febre inhorreſcere; omnéſque illius æſtus, & algores mirâ patientia ſuſtinere. Túncque adeò perfectè Deo erat intentus, vt dolorum ſuorum oblito, & omnium quæ circa ſe agebantur neſcio, multi ei inſiderent auiculi, qui ſe inuicem roſtrabant, ipſo nullatenus animaduertente. Quod ſcripto retulit teſtis oculatus R. Pater Matthæus Pinaldus; addens inſuper moto à ſe exinde de Adæ innocentia colloquio, oculatum hunc Cœcum mira ipſi & ſtupenda, eorum quæ Deus operatur in animabus fidelibus & innocentibus, ſimpliciter enarraſſe.

Nunquam extra refectorium durante huiuſmodi morbo comedit, nunquam alio vſus eſt cibo, quàm communi & quotidiano; etſi conuenientior eſſet ad fouendam eius ægritudinem; aptiórque ad attenuandam, debilem iam & ſummè infirmam naturam, quàm ad ei vires & robur ſuppeditandum. Vnde & mors ineluctabilis ſic languentem manebat, ni Deus, qui quos mortificauit, viuificat; fidelem ſuum famulum ad altiora præordinatum, ab his tandem extremis eduxiſſet. Propterea ſuſcitauit ei beneficum, Rectorem quendam Parochiæ Dolenſis Epiſcopatus, charitatis ſtudioſiſſimum; qui motus commiſeratione patientis huius Religioſi, curam eius ſuſcepit, permiſſúque Superiorum apud ſe etiam ſæpiùs deductum, ſtudio ſuo, ſolicitudine, & charitatiuis impenſis, tandem aliquando ſanitati reſtituit.

F CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Euocatur in Conuentum Rhedonensem ; & deinde in Dolensem Reformationis ergo remittitur. Tum in Rhedonensem iterum reuocatur.

MIrum non est, si Deus qui non ex accidenti, sed essentialiter bonus est, imò cuius natura est ipsamet bonitas, vinci se in bono à creatura non patitur. Quis Prior dedit ei, ait D. Ioannes, & retribuetur ei? vtique omninò, si planè nihil habuit, quod non acceperit, vti respondet Apostolus. Sit igitur de acceptis pronunciatum ; Quis vnquam ex acceptis vel minimùm ei tribuit, cui non abundè, & superabundè retribuerit? Tritum & solemne Theologorum effatum ; facienti quod in se est, Deum non denegare suam gratiam & auxilium. Quod ex statu naturæ maximè intelligendum est ; Adeò vt qui ita fidelis esset congenito lumini, bonum & malum sibi iugiter exponenti, vt legem omnem naturalem impleret, vel Angelum Deus ad eum dirigeret, vel aliâ quacumque viâ prouideret, vt ei Christus annuntiaretur, ne æternùm periret. Habeat locum in spiritualibus idem effatum, dicatúrque non minùs verè & libenter, facienti quod in se est in via spiritus núnquam deesse Deum. Multi multos quæritant vndequaque Patres, & Magistros, à quibus instruantur, dirigantur, & manuducantur, ad perfectionem, ad quam aspirant. Tutum quidem & necessarium, cum haberi potest subsidium, quod propterea sine præsumptione, & ineuitabilis casus periculo, respui non potest. Verùm cum deest, non deest (vtique veraci & fideli) verus Pater, & Magister Deus. Qui enim fidelis est iugi suiipsius abnegationi, nec studiis naturæ prorsus indulget, sed semper in seipsum rectà contendit; illudi nullo modo potest, nec vnquam decipi; quia Deum habet iugiter astantem sibi, & vnctione suâ sanctâ intus docentem, atque dirigentem. Ecce humilem Laïcum, Cæcum, & indoctum, per omnes vitæ Spiritus vias, absque Patre & Magistro, sine offendiculo deductum; vtique suiipsius immitissimum

hostem

hoſtem, ſibique iugiter morientem. Ecce Theodidactum, hominem verè diuinitus edoctum, futurum deinceps aliorum in viis ſpiritus Patrem & Magiſtrum, quin & fortè Myſtarum omnium æui ſui Principem.

Diffuſus per omnes Prouinciæ Conuentus nominis eius rumor, Rhedonenſem Conuentum ad eum poſtulandum continuò prouocauit. Scilicet egebat baſe ſuâ, ſpiritualis fabrica reformationis Prouinciæ noſtræ Turoniæ, imò & fortè totius Ordinis; quæ in hoc Conuentu iam ab aliquot annis feliciter occepta, in dies aſſurgens, hanc ſuam columnam & ſingulare firmamentum, ſibi iure depoſcebat. Eſt enim animaduertere, quod eodem tempore, quo fidelis hic Dei famulus regionem Dolenſem ſuauiſſimo virtutum ſuarum perfundebat odore: eodem inquam R. P. Philippus Theobaldus in Conuentu Rhedonenſi, proſequebatur arduum reformationis opus; quod ab anno 1604. R. P. Petrus Behourtius, cùm ſex aut quatuor aliis, ſub auſpiciis & authoritate Reuerendiſſimi P. Henrici Syluij digniſſimi Ordinis noſtri Capitis, feliciter inchoarat.

Hic ſub initium ſuſcepti operis, videns illud multis impugnationibus, & innumeris propè difficultatibus agitari: dubius de ſucceſſu; nec vlteriùs continere, aut protrahere valens ardentiſſimum, quo efferueſcebat zelum: tentauit ingredi Chartuſianorum Ordinem, & ſubinde noſtrorum Diſcalceatorum nouiſſimè Romam appulſorum, ſtrictiorem reformationem; ſed Deus qui eum ad altiora reſeruabat conſilia, auertit vtrumque diuinâ ſuâ prouidentiâ. Iam iam enim Chartuſienſem ſuſcepturus habitum, R. P. Domnus Leonardus *Beauuoiſin* Prior Chartuſiæ Pariſienſis à Domino Duuallio celeberrimo Doctore Sorbonico, de Carmelitarum Diſcalceatorum Romam aduentu, admonitus, eum ipſi recuſauit: ratus iniuriam ſe facturum Carmelitarum Ordini, ſi præriperet ei hominem tanto feruore reformationem anhelantem. Nec etiam ei aliâ lege ſpoponderat habitum, quàm eâ qua reformationis Ordinis ſpes nulla amplius ſubeſſet. Exinde Romam profectus, ad R.P. Diſcalceatos ſe contulit; petiitque inter eos cooptari; ſed R^mus. P. Ordinis Henricus Syluius adoptionem hanc, Deo ipſum mouente non permiſit. Vnde Galliam redire coactus eſt; vbi perfecto Pariſiis Theologico ſuo

 curſu,

cursu, & ab eodem Reuerendissimo Patre Generali ad doctoratum plaudente vniuerso sacræ facultatis Conuentu, promotus: constituit apud se paululum hîc subsistere, atque expectare quid de se Deus vellet ordinatum.

Non distulit Ordinem suum sapientissimus Architectus, sed aptissimum in gloriam suam instrumentum, omnibus iam tum numeris absolutum, continuò ad opus suum adhibuit. Accitus in subsidium à R Patre Ludouico Carpentario Priore Conuentus Rhedonensis, vt reformationis in eo inceptæ, dignissimo operi manum admoueret, acquieuit postulationi, & voluntati Dei quibusdam euentis, etiam ad miraculum accedentibus, ipsi significatæ, vltrò se submisit. Ingressus igitur Rhedonas, & Britanniæ Prouinciam, surrexit quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat, omnium peruadens intima cordium, & diuini amoris igne succendens; ita vt obsequio Dei, & regulari obseruantiæ, obstinatiores quósque potenti, sed suaui virtute substerneret. Continuò Nouitiatui Præfectus, tanto zelo, feruore, & discretione hoc munere functus est: vt mirum sit, quos & quantos fructus, posthæc, labores eius emiserint. Elapsis duobus annis, in Priorem huius Conuentus electus, & vlteriùs in Capitulo Prouinciali Henebontensi ad triennium prorogatus; Fratrem Ioannem à S.Samsone virtutibus vndique micantem, & pietatis suauissimum odorem, in omnem Dolensis oram spirantem, aliàs morbis & infirmitatibus oppressum, quæ verosimiliter mutatione aëris sanari poterant, in Conuentum suum Rhedonensem aduocare decreuit.

Venit igitur Rhedonas noster Cœcus Fr. Ioannes circa annum 1612. ex R.P. Prouincialis dispositione; & primo aditu asperioribus seuerioris Nouitiatus probationibus, non secùs ac rudis, recentérque è seculo expiscatus secularis, applicitus est. Vt meliùs exploraretur, & certius haberetur virtutis eius experimentum: mandatum est illi, & expresè constitutum, viuere deinceps solitarium, & ab omni hominum consortio perfectè semotum; nec non & abstinere à solita sua cura, charitatiuóque erga externos ægrotantes studio. Quod mandatum alacriter amplexus, multarum insuper aliarum tentationum, diuersarúmque probationum, assiduum discrimen iugiter & æquanimiter est perpessus,

perpessus, vt sequenti capite fusiùs exponetur. Interim certiores facti de soliditate virtutis eius Superiores, ceperunt eum intueri velut spiritualem Mystici corporis Obseruantiæ nostræ oculum: eiúsque consilio in negotiis maioris momenti reformationem spectantibus vti; suósque inferiores ad eum super difficultatibus suis consulendum, dirigere. Nouitij etiam ipsi specialiter commendati sunt, eósque tam vniuersim quàm singulatim spiritualibus colloquiis, cum tanta vnctione pietatísque sensu excipiebat, vt ardentiores ex eius conuersatione, quàm ex suis feruentioribus orationibus exirent. Sed vt non est efficacius adhortandi argumentum, quàm operis exhibitio, & exemplum: idipsum est, in quo singularem se & insignem incunctanter probauit, dictis suis & factis testatissimum faciens, quod iamdudum intulimus: Scilicet ipsum esse accensam facem, & firmissimum in spiritualibus Obseruantiæ nostræ à Deo præordinatum columen.

Fluxêre prosperè tres aut quatuor anni in huiusmodi sanctissimis virtutum exercitationibus, & spiritualibus documentis, per quos Rhedonensis Carmelitarum Conuentus, hac radiante face spiritualiter collustratus, factus est terribilis & augustus, vtique domus Dei, & verè porta Cœli. Omnes enim illius ascetæ, vt incarnati Angeli degebant in terris; vno dumtaxat distenti studio, procedendi de virtute in virtutem, & altiora Carmeli iuga alacriter conscendendi. Illic iugis oratio, assidua mortificatio, & nunquam non intermissa pœnitentia; illic cœca obedientia, perpetuum silentium, & perfecta terrenorum omnium studiorum abnegatio; quibus adde summam, & tamen liberrimam egestatem. Effusus foras huiusmodi aromatum suauissimus odor, tot nobiles, eruditos, & potioribus naturæ fortunæque donis insignes collegit Nouitios, vt Illustrissimus, de quo suprà, Dolensis Episcopus, pio motus affectu, erga tam feruentes Dei eiúsque matris Deiparæ Virginis famulos, tantùm non effecerit apud Ordinis Superiores: vt aliquos obtinuerit, qui eandem in Conuentu Dolensi viuendi rationem instituerent; quibus adiunctus est Fr. Ioannes à S.Samsone, ad populi Dolensis eum tenerrimè diligentis exoptatum solatium. Igitur reuertitur in suum Conuentum Dolensem, in quo etsi Cœcus & Laïcus tantùm; tamen precibus suis, exemplo, & virtutibus, reformationis consilium

(si quisquam alius) efficacissimè promouit. Maximè verò iuniores Religiosos quibuscum (vt Rhedonis) frequenter agebat, piis suis colloquiis & sanctâ consuetudine Deo lucrabatur, arctéque deuinciebat. Primum eius studium, & præcipua in illis instituendis cura erat, maturè eos imbuere suauissimo spiritu mortificationis Iesu Christi, orationis, internæ cum Deo negotiationis, virtutum omnium rigidæ exercitationis, & actualis amoris, id est aspiratiui in Deum ex intimo cordis; donec præ iugi in Deum fluxu, amabilibus suis immersionibus, nauitas eorum in agendo, & sedulitas, in simplicem contemplationem conuerteretur.

Porrò cœpit tunc ex Superiorum dispositione sublimiores mysticorum suorum operum dictare tractatus, in quibus contemplationis altiores quos expertus est status & vias exprimit. Ægroti etiam totius regionis (vt anteà solebant) ad suum confugêre medicum & ipse suum sancti Spiritus donum adhuc comprobauit tum in eis curandis, tum in adhortandis agonizantibus, & ad sanctè moriendum disponendis, siue in Conuentu, siue extra, vti ab insignioribus & illustrioris notæ personis sæpiùs aduocabatur. Hanc illis nouissimam mirabili successu ferebat opem; si enim spes esset sanitatis, consolabatur eos, & roborabat planè diuinâ ratione; Sin autem ad finem inclinarent: suadebat pœnitentiam, & in Deum confidentiam; proferens eis & digerens tam amabiles erga Deum sensus & affectus; vt cum incredibili resignatione & consolatione, liberrimas suas agerent animas.

Constitutâ igitur & stabilitâ in Conuentu Dolensi reformatione, Superiores Ordinis Fratrem Ioannem à S.Samsone in Conuentum Rhedonensem rursum euocarunt, circa annum 1617. in quo deinceps semper demoratus est, eandem viuens sanctissimam vitam, sed soli Deo quantùm poterat agnitam: Statim enim à suo reditu pios multorum illustrioris dignitatis virorum rescidit accessus, qui virtutum eius odore suauiter illecti, sæpiùs eum inuisere consueuerant; singularésque Dei erga se gratias & eximia dona tam sedulò occultauit, vt vix etiam ipsi Conuentus Religiosi aliquid ex eis explorare possent, nisi pro vt se se disponentes ad suscipiendos Spiritus Dei motus, irrepere poterant in eius consuetudinem, & diuina eius quasi furtim ei præripere & auscultare colloquia.

Foris

Foris intra Conuentum munus eius erat pulſare organa, ad diuinum Officium, quod tam ſcitè & induſtriè præſtabat, vt aliquid ſuprà naturam peritiores in arte ſæpiùs ſint ſuſpicati. Hoc dempto, ſimul & actibus regularibus conditioni ſuæ Fratris Laïci congruentibus; iugiter in ſua ſolitudine diuinæ commentationi vacabat; aut ſpiritualibus Religioſorum, cùm Superiorum, tùm inferiorum colloquiis, vndique ad eum venientibus, etiam ex aliis Prouinciis, imò & Ordinibus; vt cum eo de ſuis internis difficultatibus agerent, aut de regularis inſtituti regimine conferrent. Nec vnquam ab illo vacui (etſi ægerrimè omninò, & non niſi ex obedientia, charitatéque vlli ſe proderet:) ſed repleti gaudio, & conſolatione ſuperabundantes, ſemper æquo animo recedebant.

CAPVT QVINTVM.

Explorata virtus, & probatus ſpiritus Fratris Ioannis à S. Samſone in Conuentu Rhedonenſi.

QVia nonnunqam caliginoſi huius mundi rectores, Principes tenebrarum, transfigurant ſe in Angelos lucis: & Natura (quæ nequitiâ peccati ſemel à Deo auerſa, in ſeipſam, vel inuita, ſemper inflectitur) non rarò Dei ſpiritum ſubtiliter ementitur: propterea docet nos Apoſtolus probandos eſſe ſpiritus; Ne ſcilicet ſuppoſititio Cacodæmonis lumine, aut callidâ verſipellis naturæ ſimulatione, in errorem ſæpiùs inducamur. Refert igitur plurimùm, éſtque maximi momenti conſilium; ſagaciter experiri vias eorum, qui cum Deo propiùs ambulare videntur, & ſupra morem ſanctitatem oſtentant. Quæ vtique non in fulgenti miraculorum ſpecie, nec in extaſum, reuelationúmque eminentia; ſed in Chriſtiana humilitate, patientia, & iugi ſui ipſius abnegatione ſita eſt. Hoc itaque lydio lapide prælati Ordinis, noſtri Fratris Ioannis ſpiritum, ne quid dedecoris Religio, maximè ſuboriens reformatio, ex abuſu aut deceptione pateretur, ſolicitè tentant, & periclitantur.

Hîc non repeto quomodo accepta à Deo curandi infirmos gratia

gratia ab Illustrissimo Dolensi Ordinario sæpiùs explorata est. Nec etiam quomodo Deus eum expurgauit, & quasi aurum in fornace mundauit; variis ægritudinibus, tribulationibus, creaturarum desertionibus, internis angoribus, vexationibus Dæmonum, aliisque benè multis asperrimis exagitationibus; quibus in omnibus fidelem se semper veracémque comprobauit. His addo dumtaxat quas sustinuit deinde probationes, cùm à Superioribus suis, tùm ab aliis spirituum discretione peritissimis.

Præmitto tamen quod cum adhuc esset in Conuentu Dolensi R.R. P.P. Philippus Theobaldus, & Matthæus Pinaldus, qui (vt dictum est iamdudum à nobis,) duo erant candelabra in lucem Obseruantiæ nostræ à Deo posita: Reuerendum P. Ludouicum Perrinum Ordinis nostri Concionatorem, Collegij Canonici Sedis Episcopalis Pictauorum Theologum Professorem; nec non & acerrimum hæreticorum flagellum; hunc inquam Rhedonis iter agentem ad annunciandum populo Dolensi Dei Verbum, instanter obsecrarunt, & contestati sunt, vt illic dignaretur aliquando inuisere pium Cœcum Fratrem nostrum Ioannem, & in laboribus ac exercitiis quæ à Deo, & Dæmonibus sustinebat, vtcumque consolari. Hic insignis & eruditus Concionator, cui omne quod supra morem micat, sapienter erat suspectum; ex tunc apud se constituit, virtutes eius & spiritum non indiligenter experiri; quod propositum eò accuratiùs impleuit, quò illum, statum suum terminis, Mystis dumtaxat communibus, exprimere animaduertit. Sed omnibus nauiter perpensis, & Sanctuarij pondere trutinatis, post multos duriores appetitus & ictus, quibus eum pungere, & exacerbare conatus est: nil tandem est consecutus, nisi quod summoperè exoptabat, sinceram dico virtutem, & altissimam sapientiam; simul & humilitatem, religiosæ simplicitati mirabiliter adiunctam. Vnde & illum per totam vitam suam multi fecit, agnouitque se ex eius consortio plurimùm profecisse, multáque didicisse, tum circa Scripturæ sacræ intelligentiam, cùm circa difficiliores S. Dionysij Areopagitæ locos; nec non & præcipuas de rebus fidei controuersas quæstiones. Ad vltimum adiecit quod si vir huiusmodi ad agendum & disputantandum contra Hæreticos fuisset applicitus, multos lucratus fuisset, & ad Fidem Catholicam haud dubiè reuocasset.

Aliud

Aliud experimentum quod capite præcedenti, dumtaxat perstrinximus, fuit asperitas quâ eum Superior statim ad aduentum suum Rhedonas, excepit ; mandauit enim illi vitam viuere priuatam, solitariam, & hominibus ignotam, abstinere prorsus ab his omnibus instructionibus, quibus, cum erat in Conuentu Dolensi, seculares instituebat ; fulgentibúsque illis quibus palam ægrotantibus succurrere consueuerat auxiliis. Admonuit illum quod etsi Deus benedictionem suam esset largitus ministerio ipsius & officiis in ægrotos, vtique ex obedientia dumtaxat, præstitis ; hoc nunc esse intempestiuum, & à Conuentu Rhedonensi, qui (vt cunabula reformationis) locus erat solitudinis, silentij, & simplicitatis, non fulgoris, & externæ ostentationis, prorsus alienum. Insuper oportere ipsum apud se statutum fixúmque habere, omnes Nouitiatus probationes ad vnguem experiri ; pro suâ Fratris Laïci conditione humiliter omninò se habere, & de hoc vno (rosario scilicet suo religiosè persoluendo) dumtaxat esse solicitum.

Ad hoc sagacissimum Prælati sui mandatum, sensit Dei famulus verè silentij, solitudinísque amans, dilatari & efferuescere cor suum, diuino planè gaudio : quòd inuenisset pretiosum vitæ latentis & occultæ tamdiù conquisitum thesaurum ; reuera abhorrens à secularium maximè eminentioris conditionis consuetudine, tanquam ab humilitatis & religiosæ simplicitatis pernicie atque interitu. Remisit ergo deinceps quantùm potuit, omnibus secularium congressibus, & colloquiis nuntium ; qui propter diffusum vndique virtutum eius odorem, non paruam illi facescêre molestiam. Multi viri graues illustriorísque dignitatis, Præsides & Consiliarij, supremi Aremoricæ Senatus, accedebant vt eum viderent, & piis eius colloquiis fruerentur, quos ille attonitos, mirabundósque remittebat modestiâ suâ & humilitate, multò meliùs, quàm si prolixiores ad eos de altiori mystarum Sapientia, sermones habuisset. Primo occursu dicebat eis humilem se Fratrem Laïcum, Cœcum, & ignarum : prorsus esse ineptum ad agendum cum eruditis, & dignioribus personis, de rebus ad conscientiam pertinentibus ; aliam sibi non esse demandatam curam, quàm addiscendi perfectam rosarij sui recitationem, & suam custodiendi solitudinem ; hísque dictis

petitâ humiliter veniâ, statim recedebat; & in cellam se recipiebat.

Verùm acrior, & meo iudicio potentior quo appetitus est in huiusmodi probationibus ictus; fuit circa eminentem eius mentaliter orandi rationem. Arguerunt eum Prælati, quòd leuiùs se dispensans à communi methodo meditandi quæ Nouitiis præscribitur, contemplatiuum ageret & Mysticum. Præceperunt ergo ei, huiusmodi regulis deinceps adhærere & insistere, scilicet singularem habere dispositam materiam, vnum post aliud considerare caput, & vnicuique proprios iuxta communem vsum, affectus adiungere. Ipse qui communem hunc orandi modum iamdudum excesserat, nihilominùs obedientiæ se submisit, & præscriptos sibi Canones cœpit obseruare. Sed statim atque mysterium aliquod sibi ob oculos ponebat; illico à Dei Spiritu suprà propriam operationem abripiebatur, vnde cum negotiationis suæ cum Deo per orationis tempus, rationem reddebat; statum suum, & interiores experientias, sub terminis Mysticis, & aliam penitus à communi viam supponentibus, exprimere cogebatur. R. P. Philippus Theobaldus qui tum erat Prior Rhedonensis Conuentus, fingens se assequi cogitatione non posse: quomodo Laïcus Cœcus, tam breui tempore in Conuentu Dolensi non reformato, tantùm proficere, & erigere se potuisset in diuinam commentationem: mandauit illi, dictare breuiter alicui, suam orandi rationem & internam cum Deo negotiationem. Obtemperauit ille, & tres quatuórue paginas dictauit, quibus statum suum internum his terminis exposuit.

Exercitatio mea consistit in eleuatione Spiritus supra obiectum omne sensibile & creatum, quâ fixè sistor interius: intuens stabiliter Deum, qui rapit animam meam in simplici vnitate, & nuditate Spiritus. Hoc vocatur simplex otiositas, quâ possideor passiuè supra omnem speciem sensibilem in simplicitate quietis, quâ fruor in idipsum semper æqualiter, siue aliquid operer intra meipsum, siue extra actione vel actu rationis discretiuo. Hoc est quod de meo statu possum dicere. Constitutio mea simplex est, nuda, obscura, & absque scientia Dei ipsius. Nuditas est, & obscuritas Spiritus, eleuata supra omne lumen inferius huic statui. In quo non possum operari meis viribus internis, quæ omnes vnanimiter trahuntur, & sistuntur vi vnica & simplicis speciei, quæ eas sistit nudè

&

& simpliciter supereminentiâ intuitus & essentia in apice Spiritus, supra spiritum: dico in nuditate & obscuritate fundi prorsus incomprehensibilis propter eius obscuritatem. Illic omne quod est sensibile, specificum & creatum, fusum est, & solutum in vnitate spiritus, aut potius in simplicitate essentia & Spiritus. Et illic vires fixè sistuntur interiùs, omnes intentæ Deo stabiliter intuendo, qui eas omnes sistit æqualiter in sui contemplationem. Ipse est qui eas rapit & detinet simpliciter operatione iugi sui aspectus ad animam, & animæ vicissim ad eum. Hoc in statu nec est creatum, nec creatura, nec scientia, nec ignorantia, nec totum, nec nihilum, nec terminus, nec nomen, nec species, nec admiratio, nec differentia temporis præteriti, futuri, aut etiam præsentis, imò nec ipsum nunc æternum. Omnia hæc funduntur & soluuntur in obscura caligine quam ipse Deus operatur; sic complacens sibi in animabus, in quibus nobilem hanc operationem dignatur exercere. Omitto reliqua descriptionis huius status, quam hic oculatus Cæcus eminenter prosequitur, quia in tribus primis Capitibus tractatus quem inscripsit (Consummatio subiecti in obiecto suo) integra reperitur. Hæc sui status expressio ansam illi præbuit exinde dictandi alia omnia huius tractatus capita, vt obediret Prælatis, qui ei deinceps scribere, quæcunque ad suam priuatam directionem; & ad vtilitatem, instructionémque Fratrum suorum Deus ipsi inspiraret, sapienter iniunxêre.

Porrò R. P. Philippus Theobaldus vt certior fieret de huiusmodi spiritu, & omninò securè ageret in regimine sui Religiosi: scriptum hoc ostendit primùm doctioribus & insignioribus Collegij Rhedonensis Societatis IESV Patribus; deinde Domino Duuallio celeberrimo Doctori Sorbonico, & D. Gibbio etiam Doctori famoso. Tum illud duobus Comitiis Prouincialibus, scilicet R. R. P. P. Capucinorum, huícque præsidebat R. Pater Ordinis; & R. R. P. P. Carmelitarum Discalceatorum, examinandum proposuit. Omnes vnanimiter probauêre vias Fratris Ioannis à S. Samsone hoc scripto contentas, quas se subsignaturos supradicti Doctores vltrò spoponderunt. Nostri Discalceati suam approbationem his Apostoli verbis illustrârunt, Spiritum nolite extinguere; consulentes, & ex affectu commendantes eidem P. Theobaldo, ne se Dei consiliis super hunc Religiosum, contrarium haberet. Non hîc tamen propterea substitit, sed vt ma-

gis certioraretur de via & directione huius sui Religiosi; statuit apud se asperrimis & frequentissimis eum mortificationibus vlteriùs exagitare, & exacerbare; quod & opere impleuit per annum integrum tantâ instantiâ, & importunitate, vt non nisi summè humilis, & in virtute firmiter radicatus, eas perpeti & sustinere potuisset. Sed tandem hoc vltimum experimentum tantâ constantiâ & fortitudine perlatum, hominem planè diuinum, haud dubiè spiritu eius & lumine directum, destinatúmque ad altissima consilia, efficacissimè comprobauit.

CAPVT SEXTVM.

De diuinis operationibus trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis in anima Fratris Ioannis à S. Samsone.

ECce iam ab errore & abusu vindicatum nostri Contemplatiui spiritum, ecce assertam omni probationis, experimentíque genere eius virtutem. Habemus præ manibus iugis eius cum Deo commentationis specimen, pondere Sanctuarij vbique trutinatum: Superest vt Aquilam hanc alta petentem, cœlorum sublimia conscendentem, & illic arcana verba, quæ ei vni fortasse loqui licuit, audientem; quantùm poterit nostræ fragilitatis obtutus, altiùs intueamur. Mira conscripsit de Æterni Patris in memoria, aut nuda mente animæ, operatione, sub nomine diuini aspectus. Hunc diuinum increati amoris aspectum excitantem suum, ad se in beatam suam originem inexplebiliter immergendum & absorbendum, jugiter persentiebat, dicebátque illum, animam, ex quo verè à Deo mota est, & in Mysticos splendores abrepta (si modò non ponat obicem) indissolubili nexu semper & vbique insequi. Aliquando se diuini huius aspectus virtute, in imo cordis sui ita suauiter sauciatum sentiebat, vt benignam & amabilem præsentiæ Dei sui ex eo perciperet certitudinem, vnde sic loquitur in scriptis suis. *Nonnunquam anima suauiter à Deo attingitur in intimis suiipsius, qui eam excitat repentino hoc contactu, ex quo interius omninò renouatur, & fortitudine, spiritu, amore,*

amore, atque deliciis impletur. Videtur ei dicere Deus hoc ſuo attactu frequenti, Ecce me intra te, noli timere amittere me. Quod adeò mirandum eſt, vt fides huius obiecti diuini, aſpectúſque eius in ea, hoc excitante & irritante lenocinio ſumméque delectabili, viuido, & ſuaui contactu, apud ipſam iugiter innouetur.

Sapientiæ increatæ multiplices acceſſus & eruptiones in animam, ſub nomine oſculi amabilis (vt & in Canticis ſponſa loquitur) expreſſit. Quas & quantas ipſe ſit expertus, ex iis quæ dixit, coniicere eſt, ſed non exprimere; quod nec ipſemet potuit, aut certè noluit: Sic enim loquitur, *Deliciæ obiectiuæ eſſentiæ diuinæ inceſſanter acceptæ & infuſæ in his animabus, per increatam & diuinam Sapientiam filij in intellectum, adeò ſuaues eis ſunt & ſapidæ: vt quiuis exinde egreſſus, mortes illis amariſſimæ ſint.* Aliquando tamen ſingularem hanc diuini Verbi prærogatiuam, & verè mirandum amoris eius cum Sponſis ſuis vinculum exprimere non valens, admirationi liberiùs ſe permiſit. *Ha!* (inquit) *quidnam eſt Sponſæ accepiſſe oſculum ex ore Sponſi ſui? quæ deliciarum inundatio concipi poteſt admirabilior, iis quæ guſtantur in actu amoris, mutuò, adeò vnico vnius erga alterum. Arguite me mendacij ſi vultis aut poteſtis, dilectæ Sponſæ, quæ hunc effectum eſtis expertæ, & audacter dicite, ſi ſunt efficaces deliciæ, refuſiones, transfuſiones, abductiones, extaſes, raptus, amplexus, & amores his ſimiles.*

Quoad operationes Spiritus ſancti, teſtatiſſimum eſt ex innumeris ſcriptorum eius locis, eum tantùm in eius corde accendiſſe amoris ignem, tam ardentem, vrentem, conſumentem, & in animæ eius viribus tanto cum impetu, voluptatéque agentem; vt licet nonnunquam foris aliquid prodere cogeretur: ſentiret nihilominùs ſe reuerâ nihil eius exprimere. *Quia* (inquit in ſuis exercitationibus) *hæc diuina operatio, quæ ſic incendit & conſumit totum hominem, non cadit ſub ſenſum ſicut nec ipſe Deus.* Vnde & dicebat multò meliùs eſſe cum ſilentio ardere in iſto igne; vtique dumtaxat accenſo vt in eo vramur & conſumamur, non vt de eo hominibus loquamur. Quia tamen ſuaui diuini huius ignis vehementiâ maximè obedientiæ Prælatorum iunctâ, nimium premebatur & aliquando mirum in modum angebatur: vix poterat continere ſe, quin erumperet in aliquos ſermones de eius ſuauitate atque amabili impetu. *Dicebat enim, ô amor meus & vita mea,*

quis posset esse amans, ardénsque igne amoris, & de eo non loqui? quid? ardere in silentio igne tam dulci, tam suaui, & delectabili, & amoris flammas per os non exhalare?

Nonnunquam igitur hanc faciebat cordi suo potestatem, & linguæ, vt ignem hunc Mysticum se delectabiliter intus depascentem, foris eructarent; maximè cum scripta sua dictabat sublimiora & magis Mystica. Vix enim vnquam hoc illi in conuersatione accidit. Illic diuinum hunc ignem flammis deuorantibus assimilat, quæ erumpentes ex quibusdam subterraneis locis, velut torrentes ignium, obuia quæque in cinerem conuertunt. Aitque semel accensum in anima hunc ignem, semper vrere, nec ab actione cessare: donec in ea consumpserit omne quod ex creatura est; eámque liquârit penitus, substantiauerit, & in se multò meliùs quàm ignis subiecta metalla (animâ nihilominùs in esse suo creato remanente) absque comparatione transmutarit. Porrò ignem hunc vocabat omnia deuorantem, quia initio quidem agebat virtute ineffabili, in omne quod apud se erat consumendum; sed quâ mensurâ fiebat simplicior, & à se ipso abstractior, minúsque (vt ait) à sua superessentiali vnitate discretus; ignis iste suum temperabat rigorem. Vnde tandem operationem eius expertus est, quasi iucundam amoris conflagrationem, quam in libro suarum contemplationum, Spiritus sancti Baptismum nuncupauit. Denique dicebat animam huiusmodi igne succensam, frui hîc in terrâ aliquâ ratione, gloriâ Dei; nec discernere inter se & diuinum suum obiectum. Ipsos etiam sensus nonnunquam fieri participes solemnitatis Festi huius, quæ fit in plenitudine iubilationis totius animæ, ipsam Beatorum gloriam (quantùm status eius permittit) vberrimè possidentis.

Non est exprimere, imò nec cogitatione assequi, mirabiles quos ignis iste diuinus in anima feruentis huius Religiosi operatus est effectus. Dicam tamen eum constituisse in statu prorsus extatico, & continui raptus. Qui quidem raptus eò perfectiores erant, quò fiebant in eo non secundum partem sensibilem, vti accidit minùs robustis & valentibus, ad sustinendas operationes diuinas: sed secundùm nobiliorem animæ partem, & in eminentiori sede Spiritus. Vbi diuini huius virtute ignis fit Spiritus supra Spiritum, & amor supra amorem. Id est (eo modo quo concipiunt

piunt Theologi Myſtici) fit anima vnus cum Deo Spiritus, & vnus amor. Vnde ipſe dicit in ſcriptis ſuis, *animam quâ ratione igniti amoris operationes ſuſtinet, abſque læſione, debilitate, aut impedimento foris quoad naturam corpoream*, id eſt in ſenſibus, *catenus eſſe diuinam.* Reſtitit reuerâ diuini huius ignis actioni, & conflagrantibus eius operationibus, tantâ vi atque fortitudine, vt nonniſi rariſſimè defectiones, & ſpirituales S. Catharinæ Genenſis Syncopas, & abductiones à ſenſibus; languores, deliquiáque multorum inſignium Sanctorum paſſus: diuini huius ignis impetum, inconcuſſibili firmitate pateretur. Videretúrque foris, vt omnium hominum minimè ſingularis, etſi intus iugi iſtius amoris premeretur exceſſu; cuius ſtatus ducenda eſt dignitas, ex typo Deiparæ Virginis: quæ vt ſuſtineret non tantùm præſtantiſſimam Spiritus ſancti operationem; ſed ipſammet Verbi Dei ſubſtantialem præſentiam, virtute altiſſimi ita eſt obumbrata, vt non legatur eam à ſenſibus fuiſſe vnquam abductam. Et verò periti huius artis diuinæ, norunt apprimè huiuſmodi extaſes pertinere ad gradum vitæ ſpiritualis, qui (habitâ ratione ſupremi contemplationis ſtatus) adhuc imperfectus eſt. Ideóque, ad ſuperemінentem contemplationis attingendum apicem; tranſcendere eum, & ſuperare neceſſe eſt.

Sed audiamus illum hos nobis exceſſus & extaſes vtique ſuas ſub aliorum nomine, in ſuis exercitationibus exprimentem: *Etſi*, inquit, *huiuſmodi creaturæ non abripiantur penitus extra ſua corpora, amabilis huius ignis immenſitate (vt contingit iis quorum actiuus ſtatus, eſt in actione amoris ardentis) tamen tantùm diſtant à ſeipſis; quantùm ignis iſte immenſus eſt, & capax omnia abſorbendi, & in ſe tranſmutandi, vbi anima ſenſibus ſuis & earum operationibus prorſus perdita: manet puriſſimus Spiritus ſecundum propriam ſuam ſubſtantiam; quæ omninò perfuſa hoc glorioſo igne, non habet amplius aliam ab hoc ipſomet igne vitam. Illic omnes intellectiones, & creatæ formæ, æquè perfectè exinaniuntur: ac ſi nunquam reapſe fuiſſent. In huius altiſſimæ extaſis ſtatu, aliud nihil agit anima quàm ſuſtinere & intueri immenſum ſuum obiectum, in infinita ſua fruitione. Et ſi contingat eam quidpiam membrorum ſuorum vſu operari, actu rationis imperatum: hoc ipſo tota abſorbetur, & magis ac magis à ſe abducitur in infinitam obiecti ſui beatifici abyſſum.* Ecce ſpecimen occultarum Myſtæ noſtri.

nostri extasum, quas tamen ipsemet vel lubens, vel inuitus agnouit; sic enim aliàs simpliciter Deo locutus est. *Talis est, & apud te (ô amor meus) frequens mea Paradisi in terris possessio, absque reflectione super hoc, vel super illud. Sic à te pertrahor & abripior in te, in quo te fruor abundè cum suauitate ineffabili; & in meo reditu omnem hominem mendacem, & omnem creaturam nihil esse video.*

Ex hoc autem diuino igne, mirabilis oriebatur & singularis status, quem in suis scriptis non infrequenter amoris prælium appellat. Hic status consistit in certo quodam occursu Spiritus diuini & humani; in quo hic vt impotentior cogitur expirare in Deum, & passiuè occumbere in hunc diuinum ignem, vt in eum resoluatur, & mirabiliter transmutetur, non quidem naturâ, sed gratiâ & amore. Hanc nobis suam experientiam in exercitatione quam Epithalamium inscripsit, his verbis aperuit. *Si delectaris (ô amor meus) actibus altissimi tui amoris, quibus incessanter ad me venis, ibo etiam vicissim, & incessanter ad te, vi amoris mei, vbi mutuo & frequentissimo concursu sine intermissione collidemus spiritu ad spiritum, donec alterutrum actio sua defecerit. Sed quid dico? ignosce mihi hunc excessum (ô amor meus) donec inquam actio mea, posse meum, & vires meæ amore tuo informatæ, tuis succubuerint. Sicque totaliter euincar, quatenus me deinceps agendum, & plenè perfectéque possidendum, absque vllo possibili ex parte mea renisu, dimittam.*

CAPVT SEPTIMVM.

De multiplici contemplationis eius statu.

NEmo non videt, subiectam non esse profanis, sed spiritualibus & perfectis, hanc nostram eximij huius Mystæ, dixerim liberius sui seculi Principis, tabellam: Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, vti docet Apostolus. Quod non tantùm de iis est intelligendum qui animæ concupiscentias & desideria sequuntur, quales erant Iudæi spiritum non habentes: sed etiam de iis qui animæ (id est carnis) curam non facientes in desideriis; rationalis animæ ceu spiritualis, lumen sequuntur. Sed humanæ Sapientiæ duntaxat inhærent, quales erant

erant Apostoli ante acceptum Spiritum sanctum; Corinthij quibus loquitur Apostolus, quærentes eloquentiam; Græci Sapientiam; & iam multi fideles, etiam moraliter viuentes, qui altiora non capiunt; apud quos aliqui eorum sapientes audiunt, quod humanas scientias apprimè calleant; imò & de Deo eiúsque perfectionibus scitè & sapienter loquantur. Contra quos noster Mysta quod altiùs non erigantur, nec ad diuinam Spiritus Sapientiam aspirent, frequentissimè in suis scriptis acriter inuehitur. Procul igitur omnes huiusmodi, procul este prophani, Sapientiam enim Dei quæ abscondita est, loquimur inter perfectos; vtique in mysterio, id est, vt vertit Syrus in arcano, & Tertullianus in occulto.

Sublimem inter alios nostri Mystes contemplationis statum, nomine sui deserti frequenter habemus expressum; quo in deserto dicit esse vastitatem, ignem omnia deuorantem & consumentem, gustum, & extasim, denique supereminentem quietem. Primò igitur aditu in hoc Mystico deserto vastitatem inuenit, vbi anima eius, in immensitate essentiæ diuinæ feliciter perdita, contemplabatur in excessu spiritus, diuinum suum obiectum; non secus ac mare in infinitum extensum, continens in vnica sua vnitate, infinitum aggregatarum omnis generis perfectionum, pulchritudinúmque cumulum. Post hæc inuenit regionem ignis deuorantis & consumentis; quam sæpiùs in suis scriptis amoris fornacem nuncupat, de qua superius locuti sumus. Deinde incidit in statum extaticum, de quo etiam supra. Demum in secretiori huius deserti, supereminentem nactus est requiem, & dulcem summæ, sublimísque contemplationis tranquillitatem. Sunt & alij multiformes penéque innumeri contemplationis status, quos omnes pertransiit & transgressa est hæc spiritualis Aquila; antequam se in hoc secretius deserti sui latibulum reciperet. Nam quia fidelis anima (quæ Sponsum ad exanimationem insequitur) de die in diem, imò de momento ad momentum ardentior fit, & obiecti sui appetentior: aliundéque Deus qui se in bono vinci à creatura non patitur, pro ratione fidelitatis eius noua semper ei munera largitur; quâ eam exuendo seipsâ, quâ gratiam & lumen infundendo: hinc fit vt tot sint spirituales Mystarum status, quot (vt ita dicam) charitatis & fidelitatis eorum gradus.

Vt tamen aliquâ ratione quantùm fieri poterit, disponamus per ordinem, quod reuerâ ordinem non patitur, quia est supra omnem ordinem; hos omnes status ad duas contemplationis species, ordinariam scilicet & extraordinariam reuocamus. Istam, quæ ipsi iugis erat & assidua, sic in suis exercitiis perspicue & euidenter exponit. *Etsi verum sit (ô amor meus) non esse nos semper plenos & exundantes amore tuo, quantùm ad sensus nostros: non minùs tamen delectat nos, rapítque fruitione quam habemus illius, magis internâ & secretâ; proindéque magis spirituali, abstractâ, nudâ & simplici, supra omnem effectum, & sensibilem conatum.* Quibus addi potest quod supra subiecimus ex dictato ab eo, suo exercitio, & orandi ratione; vbi se dicit simplici otiositate passiuè possideri, supra omnem sensibilem speciem in simplicitate quietis, quâ fruitur in idipsum semper æqualiter, siue aliquid operetur intra se, siue extra, actione aliqua vel actu discretiuo. Super quo non obiter, sed seriò est animaduertendum, eam non esse simplicem contemplantis animæ otiositatem, in hoc diuinæ quietis statu: quam sibi fingunt spirituales nequiter animæ, quæ obtentu quorundam sensibilium motuum, fortasse à Deo acceptorum, arbitrantur se ampliùs non debere ad suam cum Deo negotiationem reuerti: sed hîc hærent inaniter otiosæ, dæmonum illusionibus, & naturæ versutiis expositæ. Contra huiusmodi adeò infeliciter deceptas animas, noster oculatus Cœcus suum scripsit tractatum de nequam otiosis, & de supereminenti quiete; vbi dicit vnum verè morientem aut verè mortuum, posse sustinere veram quietem, quæ est effectus diuini aspectus operantis veram & sanctam otiositatem. Consequentérque addit huiusmodi nequam otiosos (quod sibiipsis mori nolint) esse æquè maledictos, cœcos, & superbos, ac ipsum dæmonem; omnis luminis scientiæ, notionis, & veritatis hostes; nullámque esse malum spiritus, quod non perpetrent, Deo se nequiter velantes, & prætexentes; rati se ad altiorem euectos vitæ Spiritus eminentiam.

Extraordinarium contemplationis eius statum dicimus, cum Spiritus eius, & omnes animæ vires, diuini amoris igne succensæ, citato impetu rapiebantur in Beatam suam originem; vbi Deus ei manifestabat, quæ nec licet, nec possibile est homini concipere & effari. De quibus ipse dixit os ex reuerentia digito esse comprimendum;

primendum; adorandásque venerabundo silentio, ineffabiles huiusmodi Dei emanationes. Quia tamen hoc absconditio manna frequenter est pastus, eius est nobis aperire, quocumque tandem poterit modo, saporem illius, & gustum. Profero vnum & alterum eius textum, in quibus id tentauit, & si non præstitit (vti non erat possibile) quod potis erat inefficaci suo conatu, efficaciter est consecutus. Primus ex soliloquiis eius educitur, in quo sic dicit: *Si ineffabilis intuitus & fruitio, quam habeo tui (ô Sponse mî) potest exprimi, & lætitia quâ magis ac magis afficior in mea fruitione ineffabili, haud dubiè faciam; sed quid erit aliud iste conatus, quàm ad impossibile se cogere. contendendo statum exprimere, qui est in admiratione supra admirationem, cum vno Verbo, & vt omnia complectar, sim amoris amor in meo Sponso. Etiam nunc ipsi Angeli meum irrident excessum, videntes me contendentem ostendere, & exprimere mihimetipsi amorem tuum, & pulchritudinem tuam, cum id quod sum, quod video, & quod possideo supra sensum, & expressionem sit.* Alter textus sic habet. *Qui non habent dispositionem ad hunc statum sublimem, nec etiam habent ad loquendum de eo, nec ad eum intelligendum. Hîc enim tantùm agitur de puritate, de igne, de lumine, & latitudine, de longitudine, de profunditate & de abysso. Hîc de alio non agitur quàm de ineffabili, de toto, de nihilo, de æternitate, omnino præsente, de gustu, de deliciis planè mirabilibus, de infusionibus, de fluxu & refluxu, de vniformitate, de simplicitate, & omnibus his similibus notionibus; in quibus fluunt experimentales omnis generis veritates; & refluunt in creaturam, & ex creatura refluunt in æternum suum principium. Et nihilominùs creatura in esse suo creato æternùm manebit, sed quod esse increato omninò perfundetur & ab eo penitus absorbebitur, vt illius viuat & fruatur plenâ felicitate.*

Dum hæc scribo videre mihi videor, scribentem ad Corinthios Apostolum, & à suo raptu ad se reuersum dicentem, non licere sibi quæ audiuit eloqui, nihilominùs illud ipsis subinde aperientem, & quantùm fieri poterat, efficaciter exponentem: cum sub finem Epistolæ sic ait, Nos omnes reuelatâ facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. Quid enim aliud est esse ipsum amoris amorem; in æternum suum refluere principium: perfundi, & absorberi ab esse increato; illiúsque viuere & frui

plenâ felicitate, quàm transformari in eandem gloriæ eius imaginem à claritate in claritatem. Quid est figi & sisti interius, (vt suprà dixit) Deum stabiliter intuendo rapientem animam in simplici nuditate & vnitate spiritus; quid omnes vires internas vnanimiter trahi supereminentiâ intuitus & essentiæ in apice spiritus suprà Spiritum; Quid (vt alibi scribit) se vidisse diuitias, splendores, & infinitas pulchritudines, quas filius ab æterno suo patre recipit; quàm reuelatâ facie gloriam Domini speculari. Non est ergo mirum si tam frequenter ait tantus, tamque admirabilis Protomysta, animas ad huiusmodi contemplationis statum sublimatas, iam ex hac vita Paradisum possidere: cum ipsemet eum (quantùm potis erat) verè possederit, & ab esse increato prorsus absorptus, illius vixerit & fruitus sit plenâ felicitate.

In huiusmodi extraordinariis statibus sæpè visus est effuso supra faciem nescio quo luminis radio, fulgere & coruscare diuinitus; cuius nos ipsi testes sumus, aliique fide dignissimi. Nec est quod quisquam hæreat, de huius veritate dubius; siquidem ipsemet in suo Mystico armario liberè fatetur se hunc luminis excessum, ex centro animæ suæ in omnes suas vires vsque ad extra se diffundentem, sæpiùs esse expertum. Additque expressis verbis, non audere Dæmones appropinquare huiusmodi animabus in statu supremæ contemplationis diuino igne perfusis. *Si enim* (inquit) *ad nos præsumeret accedere etiam ad distantiam nostri intuitus, ipso intuitu nostro veluti fulguris ictu contereretur, si egrediens à nobis, ad eos vsque pertingeret.*

CAPVT OCTAVVM.

De supereminenti eius contemplatione.

ANtequam absoluamus quæ nobis supersunt dicenda de sublimi hoc & supereminenti diuinæ commentationis statu, non erit abs re breuiter perstringere, qualiter se Mysta tam insignis habuerit, erga Fidei nostræ Sacramenta & mysteria. Habemus apud eum amantem Dei animam, api argumentosæ non infrequenter assimilatam, quæ à simplici sua, & eminenti contemplatione,

templatione, ad salutis nostræ mysteria descendit; vnde reuertitur per sacratissimas humanitatis Iesu Christi plagas onusta, & superabundans diuinâ exuberantiâ, in superessentialem diuini sui amoris sinum. Hoc verè dixit qui quod locutus est, (vtique de seipso) fideliter impleuit; etsi enim ita elatus esset & immersus in diuina commentatione (vti iam vidimus) eiúsque viæ sublimitas & eminentia, illum ab huiusmodi consideratione mysteriorum auocare videretur, conabatur tamen ad eam descendere, & in singulari dolorum, & Passionis Filij Dei, cœterorúmque Fidei mysteriorum Meditatione, quantùm poterat immorari; cuius veritatis *Testes* habemus, multas quas de iis conscripsit exercitationes. Sed operæ pretium est eum audire loquentem. Sic igitur ait in libro contemplationum.

Sicut (ô amor meus & vita mea) sacratissima Passio tua in infinitis doloribus, miseriis, derisionibus, infamiis, & opprobriis est consummata, post quæ mortuus es, & exhalasti animam in cruce, spectantibus & insultantibus omnibus: sic non oportet nos ita interiùs amoris tui infiniti & æqualis tibi ipsi, excellentiæ & dignitati esse intentos: vt inde non egrediamur foras, ad imitandum te in omnibus vitæ tuæ corporeæ doloribus in aspectu iugi durissimæ, & laboriosissimæ tuæ vitæ, quantùm in nobis erit pro nostrâ simplici, altâ, perditáque constitutione. Vnde etiam aiebat sanctam Humanitatem, & Passionem Domini nostri, sibi semper esse præsentem, & agnouit aliquando coram Religioso quodam, ipsum super hoc inquirente, se religioni ducturum, si eius vel ad vnum etiam momentum fuisset oblitus. Cui adiungendus est, & amoris sensus aliàs ab eo super Incarnationis mysterio expressus. *Fierine posset (ô care mi amor) vt ad momentum obliuiscerer, te fratrem meum esse factum.* Mira prorsus erat teneritudine erga hoc mysterium, aiebátque crimen esse, tristitiæ se modo permittere, ex quo factus est Deus homo, & Paradisus ab eo in terram adductus. Insuper affirmabat Angelos, animas hoc mysterium sæpè meditantes, in deliciis singularibus habere. Vnde conicere est quam habuerit cum eis consuetudinem, qui religioni duxisset se vel ad momentum, illius fuisse oblitum.

Consideratum tamen opportet, quod ipse notauit obseruandum; animas amore consummatas, contemplari salutis nostræ

mysteria, non contentione sensus, aut Spiritus purè naturalis; foris quærendo & inuestigando varias mysteriorum circunstantias: sed in fruitione amoris intimi ardentis, simplici modo, vnico simplicissimóque aspectu, Diuinitatem simul & humanitatem intuendo. Hoc igitur modo hæc nostra sublimis Aquila, diuinis ardoribus amoris sui, solis iustitiæ, accensa, simplicissimo & supereminenti aspectu imam vsque hanc abyssum penetrante, & à fine vsque ad finem attingente; diuina contemplabatur mysteria. Et reuerà sublimium huiusmodi Mystarum contemplatio mysteriorum diuinorum, magis est penetratio originis vnde procedunt, quæ est diuinus amor in seipso: quàm effectuum in ipsis contentorum meditatio. Vnde & dicere solebat, diuinam essentiam, & amorem diuinum in seipso consideratum, mare esse; cuius effluxus, riui, & flumina sunt mysteria, & emanationes amoris, atque charismata ex eo absque discretione fluentia. Hæc de descensu nostræ Aquilæ humilia non dedignantis, sed simul alta petentis, & tamen humilia non deserentis. Ad propositum redeamus, & extremam manum huic demirandæ magis super eminenti illius contemplationi, quàm sermonibus explanandæ, pro viribus imponamus.

Agitur autem de purissima vnione Spiritus creati cum increato; vbi anima, non secus ac guttula aquæ in diuinum suum Oceanum absorpta, existentem inter vtrumque discretionem, ampliùs non animaduertit; vnde sæpiùs ad exaggerationes, nec ferendos, nisi à suis similibus soluitur excessus; quibus non est impensiùs attendendum, vt ipse noster admonuit Mysta in tractatu suo de consummatione animæ in Deum; sed magis impetui Spiritus, & flagrantibus animæ æstubus eos foras emittere cogentibus Huiusmodi sunt quæ nobis modò subiicienda sunt, & iam obiter vtcumque subiecimus. Sic igitur ille in suis commentationibus. *Quod me attinet supra modum obstupesco, in hac abysso, & in imo fornacis huius infinitæ, quæ me incendit vsque ad conuersionem mei in seipsam totàm. Illic transmutor in eundem amorem, & efficior idemmet ipse amor, præ meis immersionibus, fusionibus, & refusionibus in eum, vsque ad vltimum creaturæ. Ecce qualis ego sum, ecce in quo sum, & in quo viuo. Quod in infinitum sciri concupisco; nec refert, vt si minus amantes amorem in amore ipso, amantiores fieri volunt,*

&

& abundantiores eius percipere diuinas emanationes, nunquam in amabilis huius stadij cursu suam contentionem remittant. Vtinam ô amor mi sentirent omnes homines quod ego sentio, vtinam viderent quod video; tunc & ipsi quod ego concupisco, etiam languore incomparabili concupiscerent. Idipsum est quod in iisdem suis contemplationibus ait, cum sibi mirum quantùm in huius sublimis status possessione complacens, omnem suam imò & Angelorum omnium vilipendit eius expressionem. *Ipsa est implicita status huius reductio quæ mihi placet in infinitum, supra fluxum eius egressum, id est supra expressionem, qualiscumque esse possit, etiam ipsius Seraphinorum Principis. In meo enim ineffabili intuitu, & in mea quiete fruitiua, hoc mihi multò minus esset, quàm id quod sum in te (ô diuine mi amor) si quidem sum tu ipse, in temet toto, & in totalitate mea.*

Durum fortasse nobis videretur audire talia loquentem, si non haberemus & Apostolum scribentem ad Corinthios, adhærentem Deo vnum esse Spiritum; & ipsum Saluatorem Patrem suum obsecrantem, vt Apostoli sui, & in ipsum per eos credituri, vnum sint; sicut Pater in ipso, & ipse in Patre est: ita & ipsi in eis vnum sint. Quam Vnitatem multifariè Patres interpretantur, alij per fidem, alij per charitatem, alij per similitudinem, alij denique per eandem voluntatem, vt optimè D. Bernardus, cuius verba non pigebit hic exscribere vtique singularia, quæ habentur tract. de vita solit. ante fin. *Vnitas Spiritus cum Deo, hominis cor sursum habentis, proficientis in Deum voluntatis est perfectio. Cum iam non solum vult quæ Deus vult, sed sic est, non tantùm affectus, sed etiam in affectu profectus, vt non possit velle nisi quod Deus vult. Velle autem quod Deus vult, hoc iam simile Deo esse est. Non posse velle nisi quod Deus vult, hoc est iam esse quod Deus est, cui iam velle & esse idipsum est. Vnde benè dicitur quod tunc videbimus eum sicuti est: cum sic similes ei erimus, hoc erimus quod ipse est, quibus enim data est Potestas Filios Dei fieri, data est potestas, non quidem vt sint Deus, sed sint tamen quod Deus est.*

Eundem igitur in modum noster Mysta dicit se ipsummet esse Deum, quem suum amorem appellat, in ipsomet toto, & in totalitate sui. Quod quâ ratione intelligat sufficienter exponit, scilicet immersionibus suis, effusionibus & refusionibus in eum. Sed vbi mentem suam in huiusmodi excessuum eruptionibus manifestiùs

nifestiùs aperuit, fuit in tractatu de animæ consummatione per amorem: vbi post innumeros amoris huius fluxus & refluxus, subiicit nobis languentem animam quasi prorsus solutam, liquefactam, & tandem omninò consummatam, in omnem Dei, obiecti sui beatifici substantiam; & virtute amabilium eius ardorum omnia consumentium, infinitarúmque & assiduarum eius operationum: non secùs ac deuorantis ignis, aut velocissimi fulgoris impetu, ab omni esse suo creato penitus exhaustam, & in diuinam substantiam totaliter transfusam & conuersam, vsque ad perfectam amoris consummationem? Itaque hic sublimis & verè supereminens status, augustum est Conclaue & Secretarium, in quo spirituales contrahuntur nuptiæ, huius animæ purissimæ cum Sponso suo; ratúmque est eius matrimonium, & tandem aliquando perfectè consummatum. Hic enim admissa est ad sanctissimum oris osculum vtique ad completam amoris consummationem, siquidem in suis scriptis alio in sensu non loquitur de amore consummato. Quod ex Epithalamio eius pronum est videre; vbi post infinitos Deum inter & ipsum amoris, blanditiarúmque excessus; tandem expirans deliciis, & amore anima eius in superessentialem diuini Sponsi sui sinum, cogitur in silentio hac ineffabili pulchritudine frui; quæ eam tam potenter ad se rapit, vt non habeat amplius vitam, actionem, verbum, aspectum, nec quoduis aliud, sui esse (vt ipsi videtur.) Tuncque Deus sic eam alloquitur non verbis sed actionibus, & operibus essentialibus, quæ in ea realiter operatur.

Huc vsque in te perueni (Filia mea & Sponsa) ad vltimum supremæ satisfactionis meæ punctum, cupidiùs appetens consummare te in me, vsque ad tam dulcem inter brachia mea defectionem, in infinita essentiæ meæ, & amoris extensione; vt implerem te possessione mei, in quem es penitus transformata, supra omnem gradum transformationis amoris: quandoquidem originariam tuam essentiam (vtique me) attigisti, in quo viues, & manebis sicut ego ipse, absque discretione & differentia quantùm possibile est. Mystæ qui norunt quid sit esse transformatum in Deum, supra omnem gradum amoris transformantis; & quid sit attigisse suam originariam essentiam, vtique Deum: ex hac Cœci nostri oculati experientia, inferent qualis fuit eius in Deum transformatio, & amoris consummatio. Certè Henricus Suso insignis

insignis sui temporis Mysta, huiusmodi terminis (originariam suam attigisse essentiam) in suo de nouem rupibus tractatu, quem noster Cœcus sibi multoties legendum curauerat; significare voluit quod Beato Paulo concessum est, claram scilicet diuinæ Essentiæ intuitionem. Sed vt à variis pugnantium inter se Theologorum assertionibus super hoc impræsentiarum abstineo; sic mihi est satis, si dixero nec per humilitatem, nec per veritatem licuisse Fratri nostro, suas experientias tam sublimibus terminis & eminentibus aperire: nisi contemplationis ordinariæ statum multum supereminerent. Cæterùm pœnituit eum sæpiùs scripsisse suum Epithalamium, quòd in eo multa de se, maximè quoad hoc, admiranda prodidisset. Sed qui eum agebat Dei Spiritus, sic in gloriam suam, nostrámque vtilitatem dispesuit. Quibus valdè consonat quod in collationibus spiritualibus non infrequenter asseruit, scilicet non esse disputandum in Theologia, num intuitiuè iam ex hoc mundo posset videri diuina essentia; omninò esse non tantùm possibile, sed reuerâ factum, vtique eam multis se videndam præbuisse; quod asserebat cum tanta firmitate & constantia, vt videretur reipsâ fuisse expertum. Porrò ea mens fuit aliquorum è nostris illustriorum sacræ Theologiæ Lectorum, visis huiusmodi eius scriptis. Nolim tamen affirmare, tùm quia prærogatiuam hanc multi S.S. Patres & Theologi negant vniuersim vlli fuisse concessam, tùm quia tanta est huius intuitus Beatitudo & gloria, vt etiam ex ea resiliens foris pulchritudo, & innumera accidentalia bona, possint viatoribus ad horum magnitudinem obstupescentibus, & fulgore præstrictis, pro ipsa apparere gloria.

CAPVT NONVM.

De multiplici & asperrima morte, quam in his altioribus contemplationis gradibus est perpessus.

NOn deerunt fortasse qui spirituales esse velint, cum audiunt nostrum Cœcum in eminentissimo contemplationis fastigio, cum Deo vt amicissimum jugiter agentem, & tanquam charissi-

mam Sponſam ad oris oſculum admiſſam, aliáque his ſimilia penè incredibilis amoris Sacramenta, frequenter expertum. Sed quia pleríque ad obuium ſubſiſtunt primum laborem, & à propoſito ſuo facilè recedunt: Ideò ſubiicienda ſunt hic eorum quædam ſpecimina, quibus comparantur tam eximia Dei dona; vt votis ſuis quiſque ſtudeat coæquare, quam habet mercedem appendendam, ad tam ſublimia & tam pretioſa munera conſequenda. Sciant igitur huiuſmodi & addiſcant compertum eſſe iamdudum experientiâ, in via Spiritus, cruces internas & amaritudines, gradui Spiritus in quo quiſque conſtitutus eſt, ſemper & certiſſimè reſpondere; & pro ratione fortitudinis, puritatis, & amoris: priuationes & languores Myſticos duriores eſſe & acriores. *Adeò vt* (inquit noſter Theodidactus) *quò plus immerſa eſt, & obruta inundationibus, luminibus, & deliciis diuinis anima, & quò plus Dei excellentiam guſtauit, & amabilitatem experta eſt: eò magis mortalium eius cruciatuum augetur acerbitas in egeſtate & miſeria, ad quam ſe Beatifici ſui obiecti abſentiâ redactam conſpicit.*

Ex hoc theoremate pronum eſt inferre, quales eſſe debuerunt dolores, languores, & internæ deſtitutiones, quas ſuſtinuit feruens hic Dei amans, qui tam ſæpè deliciarum Spiritus ſapores deguſtauit; diuinarúmque obiecti ſui beatifici pulchritudinum epulis lautiſſimè paſtus eſt. Si tamen nonnihil earum ex ipſomet placet expiſcari, audiamus eum de ſuo ſpirituali deſerto ſic Deo amatoriè loquentem. *Capit me Maieſtas tua* (*ô mi amor*) *in hoc enim deſerto tam ſublimè poſito, locum habet vita abnegata, & æternùm moriens, cuius mortalium valdè differentium ſucceſſuum* (*qui potiùs continui vocandi ſunt quàm frequentes, aut per relaxationem & temporis interualla*) *vnus tu fuiſti, aut eſſe debuiſti conſcius. Illic viuo* (aliàs ait) *tanquam pauper peregrinus, exul à conſpectu gloriæ tuæ, abſque amore & guſtu; tuâ tamen ſecretâ munitus virtute. Et hæc ſunt meæ deliciæ, martyrium meum in amore tuo ignotum conſummare; tibíque nudè adhærere.* Sed quod magis ſtatus huius prodit acerbitatem, & non credendam niſi ab expertis anguſtiam; eſt quod nonnunquam ita potenter exercebatur, & crucifigebatur interius, vt ſe animæ à Deo reprobatæ in ſcriptis ſuis faciat ſimilem. *Viæ* (inquit) *noſtra & exercitationes nihil nobis niſi contemptum, abnegationem, æternam ſpiritus & ſenſus reſignationem, & mortem abſque conſolatione*

latione & leuamine deſignant ; adeóque arbitramur nos & perſentimus tanquam reprobatos à Deo, & ignotos, nec tamen vel minimùm propterea noſtram æternam ad eum remittimus attentionem & contentionem.

Qui igitur ſibi in animum induxêre altiſſimum Myſtarum, & contemplantium animarum ſtatum, eſſe in perceptionibus, guſtibus, & ſenſibilibus ſaporibus : hîc ab errore ſuo poterunt liberari. Dicámque ipſis mutuando verba Cœci noſtri omninò experti, *eſſe Myſtam in ſenſu dumtaxat, in vita ſenſibili, dulci, facili, & actiua, aliud nihil eſſe quàm habere diſpoſitionem neceſſariam, ad totalem & perfectam myſticitatem Myſtæ prorſus mortui, & immerſi in mare Dei infinitum, quod eum prorſus abſorbet in obſcuritate & tenebris, vbi nam ſit, aut quidnam agat, planè neſcientem. Eo quod Deus eum ad ſe per vias mirabiles in totali ignorantia trahat, aliud planè nihil agentem, quàm ſequi, patiendo dumtaxat, amabilem Dei ductum, ſibi penitus ignotum non quod non ſentiat, ſed quod ignoret quid ſit: propter maximam celeritatem & viuacitatem quâ Deus qui author illius eſt, tangit eum, penetrat, & in ſe abripit. Porrò hi ſunt morientes morte continuâ, in quibus Deus Paradiſum ſuum, bonum ſuum, honorem & delicias in terra poſſidet.*

Huiuſmodi morienres martyrio amoris martyres nuncupabat, quos inter multifaciebat, & mirum in modum amabat ſanctum hominem Iobum, propter quem ſequentem ſcripſit doctrinam, hoc certè loco dignam, & quæ in eorum cordibus qui ad verum, purúmque Dei amorem contendunt, altiùs infigatur. *Eximia* (inquit) *ſanctitas in hominibus ignota eſt, quia nullum eſt (vt ita dicam) vitæ momentum, in quo non ſit (quantùm verax eſt fidelitas) in Deo expirandum : adeóque quò ſublimiores, & ſubtiliores ſunt : eò quoque & mortes ſubtiliores, acutiores, & altiores fiunt. Quæ in impetu dolorum ſuorum, terribiles effectus ab intus manantes, foris producunt. Tales fuêre Iobi mortes & dolores, triſtéſque & mœſti quos ciêre planctus, illos quales fuêre ſcilicet crudeliores & terribiliores, qui poſſint eſſe, ſatis ſupérque produnt. Et hoc mirandum ; quod iſtud etiam ab eruditis pluribus ignoratur. Propter quod multi hos mortales exceſſus inſcienter omninò, & contra omnem rationem, verúmque Spiritus ſenſum exponunt. Quem niſi Deus ipſe iuſtum & innocentem vindicaſſet, homines veſania & blaſphemia condemnaſſent. Ecce quid accidat iis qui ſanctorum ſcientiam ignorant, & nil eius ſunt experti : non intelligen-*

tes tunc Iobum diriſſimè in ſpiritu, ſicut & in corpore fuiſſe cruciatum. Omnes eius conqueſtus, aliud nihil fuere quàm amabilis doloris eius, iugis exceſſus, & quò plus à ratione aduerſus Deum videtur exorbitaſſe: eò magis & meliùs amorem ſe crudeliùs quàm poſſit excogitari, prementem & anguſtiantem, ſuis conqueſtibus teſtatum facit. Neſciebat enim in omnimoda ſua derelictione quò pedem figeret, id eſt appetitum ſuum, vt tantillum in ſe aut creaturis quieſceret. Adeò arctè terribilibus doloribus & anguſtiis obſidebatur in anima & corpore. Idipſum quotidie accidit magis intimis Dei amicis; quorum aliqui cruciantur in ſpiritu & corpore. Alij deſeruntur abſque ſenſu, conſolatione, & cognitione in ſpiritu. Vnde nonnunquam in ſuis infernis languoribus, ſoluuntur verbis ad inauditos exceſſus, ex quibus ab ignaris hominibus iudicantur inſani. Sed homines diuini, qui & ipſi triſte hoc & horrendum traiécere deſertum; longè aliud de illis ferunt iudicium, ſcientes huiuſmodi exceſſus vehementiam exprimere tormentorum amoris, qui modo inconceptili vitam in eis radicaliter ſupprimunt. Háſque ab eis tantùm diſtare expreſſiones: quantùm in Deo, omni hoc tempore, modo incognito altiùs immerguntur.

Porrò hæ anguſtiæ & mortes myſticæ, in ſententia excellentis noſtri Myſtæ, altiſſimum ſimplicitatis, quam diuinam vocat, gradum conſtituunt, qui ſtatus eſt ſitus in pura & mortali tolerantia, ſecundum fundum & magis intimam animæ radicem; & quæ ſupprimit tam intus quam foris omne quod ei extra Deum, vitam & conſolationem ſubminiſtrare poteſt. Anima enim non poteſt Deo viuere in perfecta conformitate, nec in eum penitus transmutari, niſi amor virtúſque quam ipſi tribuit; eam perfectè ſupra ſeipſam, omnémque aliam creaturam efferat; & tunc Natura in felicem occumbens agoniam, tandémque deficiens extremos agit halitus, & Spiritui Dei planè ſe permittit. Quæ igitur anima nondum vult expoliari, & ab eo diſiungi, cui adhuc in creatis adhæret: illa eſt in anguſtiis & gemitibus, vt Apoſtoli terminis vtamur. Sed cum ei ſublata ſunt omnia, & operatione diuini Spiritus ſibiipſi perfectè mortua eſt: tunc perficitur in ea felix iſte ſimplicitatis diuinæ ſtatus, qui eam ab omni creata multiplicitate abſoluit, & vnit intimè Deo, vnitatis omnis & ſimplicitatis origini, fontalíque principio.

Hic eſt igitur myſticæ perfectionis apex; & totius vitæ Spiri-

tus,

tus, imò omnis sanctitatis consummatio; quâ ipsemet Sanctorum Sanctus Seruator noster Iesus Christus, agonem suum in cruce coronauit. Planè enim derelictus est à Patre, & omni destitutus auxilio; ita vt ne vel minimo quidem sit recreatus leuamento, sub tantis cruciatibus. quos pertulit in corpore, & tantiis angustiis quas sustinuit in Spiritu: sed amaram omninò, & tædio tristitiáque confectam hoc in extremo discrimine, in manus auersi Patris, vtique non audientis egerit suam animam. In tantùm vt impius nostrorum temporum hæresiarcha Caluinus, non dubitauerit asserere actum in desperationem ex hac desertione omnimoda. Quasi verò non haberet perfectam futurorum omnium scientiam, vtique & voluntatis Dei Patris sui, ipsum ad tempus deserentis, vt æternùm exaltaret, & donaret illi nomen super omne nomen, in quo omne genu flecteretur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quasi verò non semper haberet inhabitantem corporaliter Diuinitatis plenitudinem, cuius iugi intuitu, nunquam non beatus esse poterat. Quod si diuinâ suâ virtute vsus est, vt in Superiori parte animæ suæ, beatitudinem hanc circumscriptam teneret, ne efflueret in inferiorem, imò & in ipsum corpus penitus exundaret, vti naturalissimum erat: Sacramentum amoris eius est, qui comprehensor & viator, beatus & patibilis esse voluit; vt se nobis typum & exemplar vtriusque præberet imitandum; pro vt nobis erat à Deo Patre datus, author & consummator, cùm præsentis in hac vita meriti, tùm mercedis, & futuræ in Cœlo beatitudinis.

Discant igitur qui spirituales esse volunt; discant qui tanto suæ prædestinationis studio tenentur, déque necessario eius medio gratiâ efficaci, tam frequenter loquuntur, & cum tanta contentione disputant. Exinde discant quid verè volunt & veraciter aptunt, ex affectu inquam, quo feruntur erga media ad hos fines ducentia, sine quibus nullatenus comparantur. Discant gratias efficaces esse grauissimas aduersitates, persecutiones, iniurias, & omnis generis afflictiones, & non esse iis potentiores; nec reuerâ Deum habere efficaciores, quas Sanctis suis & prædestinatis à seculo contulerit, & vsque nunc conferre non desinit: saluo tamen intrinseco eius motu, quem cum libero hominis arbitrio propterea conciliare nequeunt, quia suum intellectum substernere

noluntt in obsequium mysterij, quod humiliter veneratus Apostolus ad altitudinem Scientiæ & Sapientiæ Dei se recipit, & inuestigabiles eius vias, atque incomprehensibilia iudicia protestatur. Discant esse hoc indubiè ad altissimam prædinari gloriam, ad multas destinari calamitates, pressuras, & miserias in hoc mundo perferendas. Discant denique verè spirituales eos esse dumtaxat qui naturæ nec minimùm indulgent, sed omnes eius motus & apetitus acriter insectantur, vno verbo sibiipsis in omnibus æternùm moriuntur, aut potius mortui sunt, abnegati, & funditus renuntiati. Talem enim inducimus prædestinatorum omnium caput, Iesum Christum Dominum & Saluatorem nostrum. Talem & sanctissimum hominem Iobum, subiectum nobis iamdudum patientiæ speculum. Talem denique & nostrum Cœcum oculatissimum, eminentissimúmque huius seculi contemplatiuum.

CAPVT DECIMVM.

Ardens desiderium moriendi Fratris Ioannis à S. Samsone & ipsius resignatio diuinæ iustitiæ.

EA est differentia inter perfectos, & probos dumtaxat Christianos; quod hi mortem, isti vitam æquanimiter ferant. Vel vt cum D. Augustino loquar, hi moriantur, isti viuant patienter; scilicet hi vt suauiter viuunt, ita patienter quidem, sed tamen ægrè moriuntur: isti vt ægrè, etsi patienter viuunt, ita & suauiter moriuntur. Hi vsuræ lucis huius, bonis temporalibus, & omnibus non prohibitis præsentis vitæ deliciis, nimium adhærentes, mortem aspiciunt tanquam crudelissimum hostem; & vt ait Orator terribilium terribilissimum. Proinde cum illam habent gratam in peccatorum suorum exsolutionem, pretiosissimam in sacrificium Deo mactant Hostiam; summúmque heroïcæ virtutis arbitrantur actum, amaram hanc æquo animo pati discretionem. Isti & inuisi mundo, & ipsum exosum habentes mundum: pertæsi rerum omnium temporalium, vigiliis & laboribus, ieiuniis & austeritatibus attriti, bonis cœlestibus inhiantes, cupiunt

piunt dissolui & esse cum Christo. Talis est noster Cœcus, emen sis pluribus in via Spiritus arduis itineribus, confectísque feliciter stipendiis multis; emeritus iamdudum miles, appropinquans ad palmam; & brauium iam iam manu tenens, Cœlum charissimam patriam anhelat. Et verò quasnam poterat huic acerrimo pugili, mundus iste parere remoras? cuius re nullâ planè delectabatur, quam suâ cruce & iugi morte, cuius conuersatio in cœlis assidua, & vnum dumtaxat cum Deo diu noctúque commercium. Quid mirum si nunquam suauiùs intra semetipsum est affectus, quàm cum tenerrimum hunc cogitatum animo voluens optatissimas in eo vitæ æternæ & incommutabilis beatitudinis delicias supra modum delectabili auiditate prægustauit? Quid mirum si tot mentis eruptionibus, hanc suam ad mortem citatissimam propensionem efficacissimè comprobantibus, scripta sua vbique conseuit? quomodo enim potuisset non esse durissima & intolerabilis præsens vita, homini dulcedinem & suauitatem Dei toties experto; totque & tantis secretioribus deliciarum eius emanationibus vndique perfuso, vnde ad se reuersus, semper se in regione dissimilitudinis positum inuenit?

Itaque vt alter Paulus corpus suum tanquam teterrimum carcerem, & præsentem vitam, tanquam molestissimum ferebat exilium, in quo duplicis generis ferebat languorem; primum amoris, alterum paupertatis. Qui quidem languor oriebatur ex appetitu famelico, fruendi optatissimo charissimi sui amoris obiecto; vt ipse nobis in suo manuali ingenuè aperuit. *Languemus inquit amore, & paupertate, in nostra suprema quiete fruitiua: amore, propter certam quam habemus fidem fruitionis nostræ obiectiuæ, suprà fidem ineffabilem quæ in nobis eius est: paupertate propter illud quod nobis deest ad huius fruitionis consummationem; quæ nos aliàs perfectè non est expletura quàm in consummata gloria, adeóque auidam habemus propensionem videndi nostrum obiectum vt in seipso est. Licet enim in hac vita & dissimilitudinis regione, felices simus in obiecto nostro, etiam in omnibus euentibus, non sumus tamen secundum omnem nostram totalitatem, etiam infinitâ distantiâ beati, tametsi simus quantùm potest esse viator, qui est imperfectè & remotissimè comprehensor.* In idem recidit quod aliorsùm dixit, *quam expectamus gloriam? nunquid non habemus semper præsentem gloriam nostram? ita, & non; pro ratione diuersâ.*

diuersâ. Etsi enim verum sit, quod (secundùm meliorem qui possit concipi sensum) figere debemus immobiliter, & stabilire plenam nostram gloriam, in intimo desiderio nostro, quod non est aliud quam Deus ipse, & eius superessentia: nihilominùs proprij nostri corporis pondere grauamur, & opprimimur. Hacque vita licet ditissima & fortunatissima in Deo: durissima nobis est & molestissima, cámque arbitramur & tanquam prolixam ducimus mortem.

Hæc grauis molestia, & sensibilis dolor, quo ex sua, ab huiusmodi corporeis vinculis detentione, intus afficiebatur; suprà humanum docuit eum altissimam Filij Dei in Incarnationis mysterio humilitatem. *Hoc est* (sic ei loquitur) *quod mirabile est, esse te factum hominem dolorum & paupertatis in via, tanquam vnum è nobis (Deus meus, amor meus & vita mea) vt recuperares à peccati morte peccatores; Ergóne pati te tot pœnas & miserias toto vitæ tam prolixæ & laboriosæ tempore. Ecce enim te iam incarceratum & inclusum in vtero matris tuæ, velut in ergastulo, tanquam infantem reum. Quid est hoc, ô amor meus & vita? Ecce quod detineat, perterreat, & æternùm rapiat omnem creaturam rationis & amoris capacem.* Ex hoc ardenti moriendi studio, vt esset cum Christo, & Deo frueretur, oriebatur odium implacabile & immisericors; quo suum corpus, tanquam carcerem, & vincula ipsum extra centrum & quietem suam detinentia, prosequebatur adeò, vt illud (si ipsi fuisset licitum) austeritatibus conterere, & ad nihilum redigere vehementer exoptasset: ægerriméque, & vt dumtaxat indispensabilis prouidentiæ legibus seruiret, modicum ei victus aliarúmque necessitatum subministraret. Vnde & hoc ipsum Martyrij nomine nuncupabat, dicendo, se (si à manducando abstineret) martyrem esse desiturum.

Porrò ardentia hæc studia, illustriora facit & maximè ponderanda, omnimoda eius diuinæ voluntati, iustitiæque resignatio. Huiusmodi enim affectus lectissimarum est purissimarúmque dumtaxat animarum; vt ipse nos his verbis edocuit. *Norunt optimè veri Dei famuli, Deum iudicaturum hominum iustitias omninò aliter multo, & rigidiùs quàm arbitrantur: sed hoc ipsum apud illos paruipenditur, præ desiderio quo tenentur Dei, & satisfactionis eius. Nam ipsius beneplacito in æuum se permittunt vt exerceat in eis pro sua voluntate iustitiam.* Pluris faciebat hanc resignationem iustitiæ Dei,

communi

communi Christianorum perfugio ad infinitam eius misericordiam; propterea quod, hoc in vltimo, semper aliquid priuati inuenitur commodi & reflectionis supra seipsum: resignatio autem diuinæ iustitiæ, videtur nihil habere hominis; & totum hominem efficere diuinum. Aliò enim non attendit quàm ad infinitam Dei magnitudinem & gloriam: vt ei quocumque tandem pretio faciat satis. Quare vt metum omnem naturalem præueniret, quo in morte potuisset affici; mirabilem hanc dictauit doctrinam. *Tempus mortis, tempus est omnimodæ suiipsius abnegationis, & tunc si vnquam formidandi plusquam infernus, priuati quæsitus, & omne velle, nolléque abnegandum. Etsi ergo verus amator, verè humilis, meritò Dei pertimescat iustitiam, tamen pro nullo tempore mutatur vnquam: nam talis est illi mortis articulus, qualis vita securior & confidentior; cuius oppositum maximam arguit infidelitatem. Heu! nunquid non vita nostra satis miserè ducitur in innumeris quæsitibus ignotis, vt nos scienter & manifestè quæramus in nouissimo vitæ discrimine non habentes amabilem & confidentem in Deum fidem & fidelitatem; reflectentésque super nos, quasi vulgares homines? abiicere est hoc amorem Dei, protegendi se gratiâ clypeo propriæ iustitiæ, & credere se Dei iustitiam repressurum in hoc diffidentiæ puncto, præteritarúmque infidelitatum iudicium euasurum. Quod me attinet difficillimum mihi est concipere, nec ausim soluere, vtrum hi tunc homines charitatis gradum aliquem retineant.*

Dictans aliquando quem nobis reliquit de præparatione ad mortem, tractatum, ita diuino spiritu fuit correptus, & extra se positus: vt quasi iam tùm verè moriturus, & in extremo vitæ momento, hæc locutus sit. *O concupita, ô dulcis mors, ô chare mi amor, possibile-ne est attigisse me optatissimum sortis meæ punctum? ha! quam pauper huc vsque fui, & quam nunc diues sum in plena tui possessione; (ô chare mi Sponse) qui nec limites nec terminos habes, etiam in tuis emanationibus. Idipsum est quod me nunc rapit in teipsum. In tuo vtique intuitu & contemplatione, felicitas mea suprema sita est: quæ in tua, & tuâ dumtaxat cumulata erit: in qua extunc æquè æternus ero, ac fui vnquam in tempore, temporaneus.*

Oculi tui (ô chare mi amor) auolare me nunc faciunt à mortali meo & corruptibili carcere, in tuum diuinum & plenum Oceanum, qui est gloriosa beatorum omnium amantium spirituum regio. Vbi totum & om-

nia sunt tu ipse, modo inconceptibili: cuius gustus adeò delectabilis est, in vnoquóque tuorum amantium, vt de eo, etsi largius potatum, nihil hîc concipiatur atque dicatur, adeò mirabilis est huiusmodi ebrietas, vt nihil eius sub sensum humanum cadat.

Heu! quam sæpè conuenit mihi lamentari meam dissimilitudinis vitam, quam opportuit pati in omni tua amabili conformitate, maximè cum in igne tuo liquefiebam, & resoluebar ad hæc verba, non videbit me homo & viuet. (Ha! chare mi amor) quàm sæpè me veritas hæc, illuc extulit, vnde ad me reuersus, mors mihi erat, non mori.

O dulcis & optata refusio! (ha! mi amor) quàm crudelis mors mihi fuit, meiipsius effusio! tu scis vnus, & quantùm dulces mihi fuere meæ ad te licet imperfectæ conuersiones. Nihilominùs talia fuêre omnia qualia fecisti, vti ipse scis: cum enim me potenter egisti, fecisti in me quod solus nosti, nec vnquam mihi licuit aperire, nisi intimis amicis tuis. Nihilominùs sicut vehementer æstuans ceruus, ardenter appetit, quibus se refrigeret, aquarum fontes: ita ardenter expeto ingurgitare me in mari tuo infinito, ad infinitam satietatis plenitudinem.

Tales erant dulces & amabiles cordis huius Deum appetentis effusiones vtique moriendi huic miseræ, mortalíque vitæ; diuini sui amoris fruitionem adeò exoptatam remoranti. Nec est quod eum miremur loqui tanquam hominem morientem, longè antequam moriatur: cùm ardens rei studium, eam etsi valdè remotam imò & impossibilem, tanquam præsentem soleat exhibere, vt in benè multis tam sacris quam profanis amantibus, videre pronum est.

CAPVT VNDECIMVM.

Vltimus eius morbus, & obitus.

NOn fert Natura corporeis vinculis diù detineri exulantem cœlo animam, sui sunt fines & termini, sicut omnibus temporaneis: ita & humanæ vitæ. Ad sexagesimum & ferè quintum peruenit annum noster Cœcus Frater Ioannes à S. Samsone. Quàm multa expleta tempora! vtique ab eo, qui in tam breui iamdudum

iamdudum consummatus erat. Non sustinet vltra tristes conquestus gemebundæ suæ turturis cœlestis Sponsus; ianuam ei aperit, & ad concupitos tandiù amplexus faciei ad faciem, & essentiæ ad essentiam, æternùm tandem admittit. Incidit in febrem die tertia Mensis Septembris anni 1636. cuius prior accessus ad vsque crastinum vespere perdurauit. Ægritudinem suam attentauit occultare quantùm potuit, vt leuamentorum subsidia fugeret, & amplius pateretur: sed explorato eius morbo die tertiâ, post multos renixus Nosocomium obedientiâ coactus ingressus est. Die septimâ quæ decima Mensis erat, accidit illi noxij humoris in stomachum epiphora, cùm pleurite; ac lateris, nec non & capitis vehementissimo dolore, copiosaque exulceratæ bilis per totum corpus effusione. Omnes huiusmodi febri quæ semper in grauescebat adiunctæ affectiones statim hunc morbum lethalem esse prodiderunt.

Ad complendam tot dolorum, mensuram & cumulum, Deus qui eum cùm in vita, tùm in morte Filij sui Saluatoris nostri expressam prædestinauerat imaginem: omni tunc solatio, & internæ virtutis ope destituit; illúmque in eo statu constituit, in quo nihil accipientes à spiritu omnes animæ eius vires, cœlum inter & terram quasi supensæ videbantur: licet antè diem hanc, diuina Sapientia tanquam torrens voluptuosissimus, non sermonibus ex arte compositis, sed abundanti sensuum veritatúmque cœlestium copiâ, ex eius ore proflueret. Hoc in extremo internorum simul & externorum cruciatuum statu, humilis Dei seruus abiectionem suam & quasi repulsam à Deo æquanimiter suprà modum sustinuit. Refert quidam Laïcus ei tunc in infirmatorio ministrans, eum se audiuisse orationem Dominicam, & Angelicam salutationem iugiter & assiduè recitantem; interpellatúmque à quodam audiente Sacerdote, vt aliquem sacræ Scripturæ locum, singulariter conciliantem pios sensus & amoris affectus ore proferret, vel animo versaret: reposuisse se tunc sufficientem non habere ad eum digerendum virtutem. Quod certè maximum est altissimæ eius & paupertatis, & humilitatis argumentum.

Nocte sequente post dictas matutinas, sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, pro tanti viri religione & cœlestis huius panis inexplebili eius fame, pastus est, quod dum ei ministratur, visi sunt

in eo quidam motus & contentiones, præ se ferentes luctam aliquam, & renixum contra Dæmonum impugnationes, (vt posteà confessus est.) Et hoc est tertium miserrimi huius status in quo constitutus erat adiunctum: quod infensissimi hi spiritus videntes eum fini proximum, omnes suos in eum conatus acriter ingeminarunt; idque subsequenti nocte adhuc euidentiùs innotuit, cùm eodem sanctissimo pane in viaticum se muniuit: Horribiles enim contra eum imaginarias visiones in rabiem acti sæpiùs instruxerunt. Viden: ait secundò, & tertiò, ad infirmarium suum, viden: quàm hoc horridum & immundum. Postulanti infirmario quidnam esset, respondere tunc noluit, sed posteà ingenuè confessus est, excitatum se ab huiusmodi malignis spiritibus ad priuata suiipsius subtilissima studia, vt sibi in hoc discrimine facesserent negotium, & molestiam inferrent Ad hunc extremum actus agonem inuictus athleta Christi, animum nunquam despondit; Dixitque libentiùs cuidam è nostris, se dæmonem nullomodo pertimescere. Quoad secretos naturæ quæsitus: iste est caliculus in quo expurgatus est, & ad purum mundatus vtique, semper inexpugnabilis, & nunquam remissus in seipso iugiter abnegando & superando permanens. Insuper adiecit quod si potuisset, curasset describi huiusmodi pedicas & laqueos, vt essent aliis in signum & terriculum, ne in eos prolaberentur.

Cum ipsi sacrum delatum est viaticum, orauit infirmarium, vt è lecto educeretur (quod per eius summam infirmitatem non licuit.) suam orthodoxæ Fidei professionem coram omnibus assistentibus reuerenter emisit, ab eísque quàm efficacissimè potuit, offensorum omnium veniam petiit; quod & iteratò fecit, suadente ipsi sua humilitate, non sat benè primò hoc se persoluisse debitum. Consequente nocte sacro animas agentium oleo, summâ cum attentione, humili corde, contrito, & tenerrimè amante, illitus est. Facto manè circa horam nouam nonnullis neruorum contractionibus est agitatus. Solemnem votorum suorum professionem ex intimo corde renouauit; multósque virtutum & amoris actus, quos hi & illi, ipsi suggerebant, feruenter elicuit; his omnibus adeò exactè & cum tanta humilitate se subiiciens, vt videretur hominum omnium, in viis spiritus minimè expertus. Assistente ei R. P. Archangelo à S. Luca Conuentus Rhedonensis

Priore,

Priore, & in hoc decretorio æternitatis puncto adiuuante, recitauit Psalmum 141. qui incipit *Voce meâ ad Dominum clamaui.* Cum ad hunc peruenit versiculum, *intende ad deprecationem meam quia humiliatus sum nimis*; bis eum repetiit, & eo accentu, qui satis indicaret, cor suum verè esse altissimè humiliatum, & suam animam ad summam inopiam, exinanitionémque adactam.

Tandem instante nouissimo definiti temporis articulo, laboribus fidelis huius Dei famuli finem impositurо, & condignam mercedem pensuro: apprehendit crucifixum inter manus suas, & eum ori suo arctissimè agglutinauit. Significans hoc amabili osculo se à morte inueniri cruci Saluatoris in Spiritu affixum, & sanctissimis derelictionibus voluntatis Patris eius omninò permissum. Tum hæc Apostoli verba pronuntians: *Christo confixus sum cruci*, quæ à primis rationabilibus annis, cor eius sauciauerant, & ad studium perfectionis accenderant: animam Deo Creatori suo reddidit; anno ætatis subductis mensibus tribus, & quindecim diebus, sexagesimo quinto. Dies agebatur mensis Septembris 14. sanctæ Crucis exaltationi sacra. Dies non absque mysterio huius eximij, & verè mundo crucifixi, Mystæ, discessui præfixa. Qui virtute crucis Iesu Christi, assiduáque Passionum eius æmulatione, Dæmonem toties, & omnes infernas Potestates gloriosè triumpharat. Dies in qua crux eius merebatur exaltari, cùm cruce diuini sui Magistri & Saluatoris, vt aliàs contigit Seraphicæ Catharinæ Genuensis, cui piùs hîc Cœcus plurimùm erat addictus, scripta eius singulariter diligens, quod in eis statum suum internum proximè ad similitudinem cerneret expressum.

Inutile esset & superuacaneum (vt nemini non est peruium) virtutum eius, quarum per omnem morbum, iuge & sine intermissione probauit studium & accuratam praxim, seriem hic attexere. Dicam tantùm eam fuisse animi eius constantiam, & in laboribus patientiam: vt in ipsis ardoribus febris eum intus vehementer exurentis, & acerrimis cùm in capite, tùm in toto corpore, doloribus affligentis, nunquam visus sit, in hanc aut illam partem sese vertere, vt leuamentum aliquod quæreret aut requiem: sed omnem omnis generis, ex tanta ægritudine molestiam, & omne manus Dei pondus, inconcussâ corporis & spi-

ritus fortitudine sustinuisse. Propterea ipse se habebat apud omnes, quasi omninò nihil pateretur, vt scilicet doloribus suis nemo compateretur; naturáque omni orbata solatio, priùs in se, (& quidem crudeliùs quam ipse,) moreretur. In hac omnimoda desertione dixit cuidam è nostris, mirabilius nihil esse, animâ ad diuini sui Solis radios se paulatim consumente, & omne creaturarum subsidium auxiliúmque respuente; & hoc singularis patientiæ fortitudinísque tam ad patiendum quàm ad moriendum esse effectum. Multa præclara tunc ab eo exprompta sunt lumina, sensus, & affectus, ad diuersa quæ ab eo sunt postulata. Quæ inter dixit, tantam esse differentiam inter expressam verbis, & actu perlatam nudæ Passionis (qualis sua erat) exercitationem: vt non nisi expertis cogitatione sit assequi. Tantùm esse verùm quantùm ipsam veritatem; omnium aliarum præstantissimam fuisse Filij Dei mortem, quòd omnimodam Patris sui sustinuerit derelictionem. Et cum ab eò esset quæsitum num se felicem arbitraretur suum in hoc discrimine imitari Redemptorem; respondit nimis felicem, si talem se Majestas sua dignaretur. Incipere se ex tunc agnoscere, quid sit viuere & mori. Cæterùm nec clauum se pro iis omnibus quæ tam interius quàm exterius patiebatur, penditurum: omnem suam spem in vna Iesu Christi cruce esse constitutam.

Tam humiliter & abiectè de se semper ad mortem vsque sensit, vt se sincerè peccatorum omnium putaret maximum, Deo magis deuinctum, gratiæ eius & miserationum magis egentem: & tamen magis ingratum, & beneficiorum immemorem. Rogatus num gauderet quod ad Cœlum adeò propinquaret, respondit. Heu! hoc est quod nescio, Dei iudicia alia omninò sunt à iudiciis hominum. Ad quorum (subiecto argumento) miserandam attendens vanitatem, sæpiùs hæc verba repetiit; miseri homines! heu! quibusnam intendunt. Similiter hæc Dei Hebraïca nomina proferre auditus est, sed valdè demissè propter debilitatem, Iehoua, magnum Iehoua, Saddai, Elohim, Adonai, & has voces lumina, processio Sanctorum & Sanctarum; propter quæ nonnulli credidere post horrendas dæmonum visiones, vidisse quoque, amantissimum animæ suæ Sponsum obuium sibi venientem Iesum Christum. Sed parcitum sit eorum pietati.

pietati. Fixum enim eſt, & iam conſtitutum noſtrum hunc inuictum Chriſti æmulatorem, cùm in omni ſua vita: tùm etiam in morte, interius exteriúſque cruci affixum, ſicut & Magiſtrum ſuum, amarum & omni omninò deſtitutum auxilio ſuum emiſiſſe ſpiritum. Hæc eſt magnarum animarum & lectiſſimarum Sponſarum, Sponſo ſuo Ieſu Chriſto magis nudè adhærentium, in hoc ſummo diſcrimine ſuauiùs oſculum. Et hunc igitur in modum inter viuos eſſe deſiit, quin potiùs incœpit, piùs noſter Cœcus Venerabilis Frater Ioannes à ſancto Samſone *Chriſto confixus cruci.*



PARS TERTIA



PARS TERTIA.

Singulares eius virtutes, dona Spiritus Sancti, & gratiæ gratis datæ, quibus decoratus est.

CAPVT PRIMVM.

Altissima eius humilitas.



OLEMNIS est Mystarum omnium sensus, vtique & experientia, animam quæ præ iugi suo in Deum effluxu, & amabilibus immersionibus amor effecta est: non attendere ampliùs ad vllum priuatæ virtutis obiectum; nec huius aut illius, in earum exercitatione obseruare differentiam: sed eius omnia, cuiuscumque virtutis opera, putà humilitatis, patientiæ, resignationis, aut cæterarum; nec verè humilitatem, nec resignationem, nec propriè esse patientiam: sed ipsosmet amoris partus & genimina, quæ alio planè quam amoris nomine censeri non deberent: cùm vnum dumtaxat amorem, principium, medium, & finem habeant.

Hæc nimirùm est ratio, ob quam in hunc vsque reiecimus locum pij nostri Cœci virtutes, vt exhibiti à nobis in duabus præcedentibus partibus feruentis eius & Seraphici amoris consequentes effectus: Qui sensus adeò ipsi proprius erat,& quasi congenitus,vt adhuc superexcedens soleret dicere non tantùm, ita esse humiles quasdam animas, vt humilitatem ampliùs nescirent, qua talem in specie virtutem: sed etiam posse ipsummet amorem, præ supergresso (modo ineffabili in Deum) amore, prorsus ignorari.

Vnde & tam frequenter in suis scriptis, huiusmodi loquendi formulis vtitur, amare sine amore, amare, & supra amorem: hæc igitur fuit eius praxis & experientia, vt fidem adrogant plenissimè eius scripta,quorum ad instar vnus iste sit subiectus locus.

Regredior

Regredior (inquit) *in nihilum tam rerum omnium quàm meiipſius, vt paſſiuè & æternùm agar à Deo, ſine amore, ſine humilitate, & alia virtute, quia amor & humilitas extra me ſunt; aut (vt dicam meliùs, planè non ſunt quantùm ad me: vbi enim ſum, & vbi viuo, illic nec differentia, nec diſtinctio vlla eſt.*

Quia tamen non ſunt ſilentio penitus prætereunda tot ſingularium virtutum facta inſignia, quibus & diuinitus edocemur, & efficaciter accendimur ad æmulanda huiuſmodi chariſmata: propterea de iis nobis eſt, pro noſtra concipiendi ratione & loquendi modo breuiter agendum. Ac primò quidem de altiſſima eius humilitate, de qua hoc verè dixerim, eum tam vilem fuiſſe apud ſemetipſum, & in oculis ſuis paruum, vt crederet ſe merum eſſe nihilum; pectúſque ſuum ſæpiùs tundendo miſerum pecus de more vocitaret. Porrò ea erat hæc ipſius ſui nihili notitia; & firma certitudo, vt illam pro fidei ſuæ haberet articulo; dicens (cum aliqua exceſſus ſpecie) ſibi perſuaſum eſſe, ſe veritatem hanc magis perſpectam in Cœlo, quàm hic habebat in terra, habere non poſſe. Quod ipſemet euidenter expoſuit in ſuis amabilibus cum Deo colloquiis. *Forſitan* (*amor meus & vita mea*) *ſcire cupiunt homines quam habent de ſeipſis intimi amici tui opinionem; cum tot in vnoquoque eorum portenta, & admirabilia opereris oſtenta. Ipſamet eſt puriſſima & ſinceriſſima veritas, eos arbitrari ſe creaturarum omnium totius vniuerſi viliſſimas; imò ſe nihil omninò eſſe, ad nihil idoneos, nec quidquam valere, coram infinitâ tua Maieſtate. Talis eſt eorum ſenſus, talis notitia & fides; & hoc propter rationes infinitas.*

Hic ſenſus, & toties experta funditus nihili ſui notitia, quam Myſtæ exinanitionem vocant, aliud omninò eſt ab eo quod humilitatis nomine vulgò concipitur; cuius differentiam ſic noſter oculatus Cœcus exponit. Nihilum ſcopus eſt & terminus ad quem humiliationes & humilitas tendunt. Vbi nihil eſt, illic centrum ſuum obtinet humilitas. Verùm nihil hominibus apparere non poteſt in ſeipſo, ſed nihili lôco, mors ab illis cernitur; vnde homines vident morientes, & ipſam mortem, dum nihilum manet illis ignotum, imò & ipſi ſuo ſubiecto præ altiſſima eius, in Deum immerſione. Adeóque dicebat non eſſe aſſequi cogitatione, quouſque ſcrutetur, & perueniat verè ſapientum perfecta humilitas; gradúſque illius eſſe per relationem ad cor-

pus ſepultum: Primò manere & quieſcere in infimo loco: Secundò eſſe inhumatum tanquam mortuum, id eſt in obliuione poſitum, derelictum, & tanquam rem nihili peſſumdatum: Tertiò eſſe putrefactum & corruptum, ab omnibus tanquam fœdiſſimam putredinem auerſum: Quartò in cinerem & puluerem eſſe redactum: Quintò denique, ſenſu & ſincerâ mente in nihilum eſſe conuerſum. Quos quidem humilitatis gradus oſtendit ſe exceſſiſſe cum dicit. *Quónam ſtatuemur loco? ſuperiùs an inferiùs? longè an propè? in honore an in dedecore? & non erimus æqualiter contenti, non reflectentes, nec ratiocinantes abiectè ſuprà nos?* Huic humili & abiectæ de ſe opinioni, foris reſpondebat omnium quæ ipſi licitæ erant humiliationum, & abiectionum, fideliſſima praxis. Nam & priuatim, & publicè, contendebat omnium ſe peccatorum viliſſimum, miſerrimum, & ingrati animi lue putentiſſimum, omnibus exhibere. Quod & aliquando palàm præſtitit, coram omnibus Religioſis; præcipiente ei Superiore, quid de ſe ſentiret coram omnibus aperire. Priuatim verò cum iis qui familiariùs ei conſueſcebant, ſe cum canibus & dæmonibus ſæpiſſimè conferebat; dicens eos ſibi debere præponi vt ad aliquid idoneos, cum ipſe ad omne bonum planè inutilis eſſet.

Ita ſe indignum Religioſorum Societate arbitrabatur, vt ex quo venientem ad ſe aliquem audiebat, ſtatim caput aperiret; non tantùm demiſſo pro more cæterorum, caputio: ſed etiam penitus depreſſo, & humeris exæquato; ſéque profundè inclinatum haberet, donec pertranſiiſſet. Super quo rogatus aliquando, cur hanc obſeruantiam tam accuratè & ſedulò omnibus exhiberet; reſpondit ſe verecundari, coram ſuis fratribus apparere. Non poterat grauior ei infligi pœna, & cruciatus amarior, quàm cum laudabatur, aut vel minima, quæ de eo haberetur, prodebatur opinio: tunc enim videbatur vultu verecundo, & pudore ſuffuſo, contrariam ſuadere & probare, viribus omnibus eniti. Eius tamen, quæ ſumma erat diſcretio, ſæpiùs eum prohibebat, ab huiuſmodi conatu, cùm ſcilicet præuidebat plus ſe exinde exiſtimationis, quàm contemptus & vilipenſionis conſecuturum. Sed apud eos quibus nulla erat conſuetudine coniunctus, ad laudes omnes quibus ab eis efferebatur, præbebat ſe vt hominem inſenſibilem, animúmque hinc perfectè abſtractum & auocatum habentem.

habentem. Vnde tamen Deum inter & se, altissimorum gemituum & humiliationum, exhauriebat argumentum. Audiamus eum seipsum nobis sincerè subiicientem. *Nostræ laudes in ore hominum vulgarium non multùm nos commendant, vitámque nostram, è contra, sæpissimè defectus nostros, & summam infidelitatem arguunt. Et verò quænam haberi debet eius quod nihil est existimatio? hæc est sui nihili confessio, quam ad mortem vsque non verbis sed operibus profiteri oportet, & sustinere, & hoc heroïcâ, iugíque sensus & animi virtute.*

Quàm gratum ipsi iucundúmque fuisset mundum omnem habere sibi aduersum, & tanquam rem nihili se aspernantem! Prodebatur hoc ardens eius studium, fiebátque coram & manifestum, maximè cum Superiores simulabant se velle eum verbis duriùs excipere, & in aliquibus abiiciebant: Ipse enim sui perfectè dominus ex tempore lætitiæ motus, etiam exterioris edebat; dicebátque verissimum esse quod de miseria sua ferebatur iudicium.

CAPVT SECVNDVM.

Quanta erat apud Magnates existimatione. Quantum ab ea abhorrebat, exoptabátque omni humanæ creaturæ ignotus viuere.

MIrum quantùm in humili hoc Religioso iustificatum est incarnatæ Veritatis & Sapientiæ verbum: dicentis humiliantem se, fore exaltandum. Qua ratione enim sui nihili scrutabatur centrum, & exinanire se conabatur: eadem planè ab omnibus colebatur, & odor virtutum eius ampliùs diffundebatur; In tantùm vt etiam apud Magnates celebraretur nomen eius, & ab Illustrissimis Ecclesiæ Principibus eius consuetudo & congressus in deliciis lectissimis haberentur. Tanti eum faciebat Regina Maria *de Medicis* Regis Ludouici XIII. felicis & triumphantis memoriæ mater, vt sæpiùs expetierit videre eum, consilium eius exquisierit, & in multis tùm ad conscientiam, tùm ad statum pertinentibus amplexata sit. Potentissimæ huius Reginæ moris

erat multi ducere ſpirituales & contemplatiuos; (quod etiam apprimè obſeruauit Hiſtoria) ſæpiùs eos conſulere, & ſe eorum precibus impenſiùs commendare. Auditâ igitur à nonnullis, ſingularium virtutum Fratris Ioannis à ſancto Samſone conſciis, nominis eius famâ; maximè verò à R. P. Philippo Theobaldo celeberrimo, & perilluſtri in vniuerſa Gallia, Italia, & Belgio, propter heroïca eius facta in ſuſcipiendo, propagando, & ad finem vſque perducendo reformationis noſtræ opere: deinceps in horas, & frequentiſſimè, de hoc noſtro Cœco ſolebat inquirere; ſéque eius orationibus commendatam facere. Quo tempore Andij præfecturam gerens conſedit Andegauo: R. P. Matthæo Pinaldo tunc Priori Conuentus noſtri, de eo ſæpiſſimè loquebatur; agebátque vltro apud eum, vt ſibi, quæ viderat in vita omninò ſingulari huius Cœci (dum adhuc degebat in ſeculo) latius enarraret. Die quadam, cùm diſceſſus ſui copiam à Regina peteret, vt Conuentus aliquos noſtræ Prouinciæ viſitaret, abſente R. P. Philippo Theobaldo: imperauit ipſi Sereniſſima ſua Maieſtas vt Fratrem noſtrum Cœcum ſuo nomine inuiſeret; eúmque conteſtaretur exorare Deum pro felici exercitus ſui iamiam profecturi, ſucceſſu & proſperitate. Non defuit mandato Reginæ R. Pater, nec in Conuentu Rhedonenſi tantùm Fratri noſtro Cœco: ſed etiam in aliis quos pertranſiit, Religioſis omnibus præcepit vt preces ad Deum funderent pro sereniſſimarum Maieſtatum Regis & Reginæ matris eius tunc diſſidentium, incolumitate & felicitate. Interim nuntiatum eſt Regem feliciter omnino cœpiſſe vrbem arcémque Cadomenſem; eiúſque exercitus Cenomanum, Flexiam, & Pontes Cæſaris, iam tum occupare. Vnde accelerans P. Matthæus vt Religioſos ſuos Andegaui conſolaretur, regreſſus Rhedonas Fratrem Ioannem à ſancto Samſone de his iterùm eſt allocutus. Hic vaticino actus ſpiritu dixit ei, *Reuerende Pater ne tantùm feſtines, omnes hi belli rumores, & tumultus nubila ſunt duntaxat, breuì diſſoluenda, plus timoris habebimus quàm mali; & antequam Andegauum acceſſeris, magna pars negotij extricata erit; haud dubiè tenetur coram Deo Regina pacem procurare.* Aduentantem Andegauum Patrem, continuò Regina accerciuit, & de Fratre Ioanne à ſancto Samſone, quis eius, circa huiuſmodi bellum, ſenſus eſſet, expoſtulauit. Reſpondit ipſi, eam eſſe

Cœci

Cœci noſtri mentem, ſcilicet Maieſtatem ſuam coram Deo multis eſſe obſtrictam argumentis, in bonum totius regni procurare pacem. Ad hæc Regina repoſuit, vtique eam habebimus; etiamſi exaratum meo ſanguine chirographum deberem exhibere: & reuerâ ſequenti die decretâ eſt & conſtituta, felíxque hic exitus, comprobauit quod prædixerat Dei ſeruus, hunc belli turbinem breuî diſſoluendum, plúſque timoris, quàm mali pariturum.

Aliàs Regina ſcripſit Patri Philippo Theobaldo, vt ſe vnà cum ſuo Cœco ad Pontes Cæſaris conferret, illúcque ipſam ſtato die expectaret, vt ſcilicet Illum de re ad conſcientiam pertinente conſuleret, ſéque eius precibus commendaret. Caſu, delata non eſt ad tempus epiſtola, vnde pertranſiit ſua Maieſtas Pontes Cæſaris, & Andegauum venit vtroque non inuento. Cuius cum reſciiſſet cauſam, mandauit Fratri Ioanni, per Patrem Priorem Conuentus Andegauenſis, vt hoc negotium enixè Deo committeret; & P. Theobaldo vt expeditis celeriter Capituli Prouincialis quibus detinebatur negotiis: Nannetas ad ſe veniret. Morem geſſit Reginæ Frater, & inſtanter Deo negotium commendauit. Tum R. P. Philippus Theobaldus Reginam Nannetas adiens, ipſi coram Reuerendo Patre Suffreno Societatis Ieſu eius Confeſſario, & Concionatore ordinario, afflatum cœlitum conſilium aperuit, cui tam benignè & clementer obſecundauit Deus, vt res ad eius gloriam, pacémque regni, & ſtatus tranquillitatem feliciſſimè ceſſerit.

Aliàs iterùm miſit Regina ad noſtrum humilem Cœcum R. P. Suffrenum, vt eum ſuo nomine inuiſeret cum onere referendi ſaltem aliquod ſpiritualis inſtitutionis verbum ſuæ Majeſtati, venit igitur vir inſignis & perilluſtris, ad humilem Fratrem Laïcum, eíque mandatum Reginæ expoſuit, quod cum ita confudit, vt vix induci potuerit ad ei reſpondendum vel vnum verbum. Et poſt multos renixus vehementioribus inſtantioribúſque Patris enixibus, vt ſibi diceret aliquid quod ſuo nomine Maieſtati ſuæ referret, ſi quidem id impenſius expoſtulauerat; tandem aliud nihil ab eo, præter hæc verba duntaxat obtinuit: Dicas ſi placet Maieſtati ſuæ quod humilem ſe habeat pro ſuo Reginæ ſtatu, & ſtatim ſe recepit, pudore ſuffuſus, quòd de ſe etiam cogitatus aliquis haberetur. Hoc reſponſum tam ſapiens & improuiſum,

manifestiùs arguit, quanti faceret hanc virtutem, debuítque hîc inseri magnatibus informatio & exemplum, vt pro ratione magnitudinis suæ humiles sint, & parui in oculis suis; coram Deo & hominibus, quantùm eorum conditio prudentiáque patitur.

Denique Regina multis acceptis Laïci huius interuentu, gratiis, tanti eum habebat, vt quod ipsi miserat paruum reliquiarium, panno nostrarum vestium tenuiter inuolutum, per diutinum tempus ad cingulum gestauerit. Consuluit & adhuc eum, de statu rerum suarum, quæ in dies magis intricabantur, ipsámque ad deserendam curiam vel inuitam adigebant. Respondit noster Cœcus, primâ quidem vice Maiestatem suam felicem habituram exitum, sed in secunda multam illi patientiam fore necessariam; quod adhuc superstites insignioris status viri testatum faciunt, & ipse euentus comprobauit. Vnde & in hac iterata offensione & afflictione Maiestatis suæ, consolatoriam ei noster Laïcus scripsit prolixam epistolam, quæ congruentem hîc haberet suum locum, ni breuitati studens, subiectam materiam nimis protrahere pertimescerem.

Maximâ etiam erat existimatione apud quosdam Prælatos Ecclesiæ Principes, maximè verò apud Illustrissimos Episcopos Rhedonensem, Nannetensem, & Briocensem; quorum hi duo postremi, qui tunc temporis erant, D. Philippus *Coëspean*, & D. Stephanus *de Villazel*, per omnem Galliam singulari suâ eruditione, eloquentiâ, & pietate clarissimi, non dedignabantur (cum Rhedonis erant) eum in cellam sæpiùs adire; & cœlestes eius, veréque diuinos sermones humiliter auscultare.

Eadem erat opinione apud charissimos supremi Aremoricæ Tribunalis Senatores, maximè apud primum Præsiden Dominum *de Cussé*, coniugémque eius Dominam *de Bonœil*. Hic Præses pro sua virtute, meritísque æternâ dignus memoriâ, Cœci huius sanctitatem ex animo venerabatur, eiúsque precibus multam habebat fiduciam. Nonnunquam veniens in nostrum Conuentum, mirùm quantùm Societate eius, diuinóque colloquio delectabatur, dixítque aliquando R P. Matthæo, multùm ipsi esse cauendum, à facienda omnibus liberè conferendi cum hoc Fratre copia, si enim (inquit) in aula Regis tantùm dignoscerentur eius merita: quantùm mihi comperta sunt, breuî vobis eripe-

retur;

retur ; eum enim valdè idoneum iudico, non tantùm ad spiritualem institutionem & disciplinam, sed etiam ad Politicum regimen. Thesaurus est in ordine vestro, quem solicitè seruare debetis. Denique eo erat erga illum animo affectus, vt in repentinæ submersionis filij eius Domini *de Bourneuf*, in eodem supremo Aremoricæ Senatu consiliarij, funesto casu ; non sit electus alter qui eum consolaretur, quàm hic humilis Dei seruus ; cum enim non inueniretur, qui tristem hunc nuncium miserandum Patrem supra modum afflicturum, deferre præsumeret ; accersitus est hic noster Laïcus, qui animum eius piis suis de Deo sermonibus tantâ solertiâ & suauitate demulsit, vt plagam hanc, de manu Dei tanquam filius obsequentissimus religiosissimè susceperit, & inexpectatâ constantiâ inconcussus pertulerit, quod & idem præstitit, eodémque planè successu, elapsis quibusdam annis apud eundem Præsiden in decessu charissimæ eius coniugis.

Eodem modo & ipsi addicti fuere alij duo eiusdem Senatus Præsides, D. *Le Duc*, & D. *des Loges*. Quorum primus testatam fecit solemni suâ attestatione, vltro oblatâ, in capite huius operis à nobis exscripta, quam habebat de eius singulari virtute & perfectione, sincerissimam opinionem. Alter plusquam septuagenarius grauissimè laborans, ita vt cum Medici desperarent, & esset morti proximus, Fratri nostro vitâ iam functo indubia fide deuotus, perfectam sanitatem statim est consecutus ; in cuius fidem amoris pignus, & acceptæ gratiæ perenne monumentum marmoream tumbam, tumulo eius imposuit, pede circiter prominentem, supra sacelli in quo quiescit pauimentum. Non possum hîc prætermittere testimonium R. Patris *Bertrix* Societatis Iesu, viri singularis existimationis & meriti, aliàs Rectoris in tribus aut quatuor celeberrimis Parisiensis Prouinciæ Collegiis. Ad postulationem R. P. Patris P. Theobaldi, cùm esset Rector Collegij Rhedonensis sæpissimè vidit Fratrem Ioannem à sancto Samsone ; cuius piis colloquiis, tanto erga eum studio, & pietatis sensu remansit affectus, tantùm demiratus est supereminentem (quam iugiter edocebatur à Deo) scientiam, vt remissum in Conuentum Dolensem instaurandæ reformationis ergò, bis aut ter hoc vno nomine adierit, vt cum eo de rebus spirituali-

bus

bus ageret; dixerítque R. P. Matthæo, se non posse expleri sermonibus & colloquiis Fratris huius, præ cœlesti lumine, sensu & vnctione mirabili quibus exundabant.

Denique possum hîc asserere sincerè, & ex rei veritate, omnes (quotquot eum agnouêre) graues viros, pios, & eruditos, vt hominem perfectum, & planè diuinum semper eum habuisse, cuius & alia benè multa in promptu esset subiicere exempla. Sed iam plus æquo diffusus in hac hominum opinione, quæ diuinæ comparata planè vilipenditur, aut potiùs nihil est; meliùs est vt ad aliud transeamus; & qua ratione, in huiusmodi se reuerentiis hominum & venerationibus habuerit (in quibus semper periclitatur humilitas, & plerúmque naufragatur) diligentius obseruemus. Hoc sanctitatis quod apud Magnates audiebat nomen, mors illi erat, & crux amarissima: quare statim atque Rhedonas rediit, conatus est quantùm potuit omnes multarum illustrium personarum rescindere accessus, quæ virtutum eius odore attractæ, ad eum ventitabant, vt ipsius se colloquiis consolarentur, & de mediis ad suam salutem instruerentur. Die quadam venit Præpositus quidam austerioris alicuius instituti, vt optatâ eius consuetudine frueretur: Frater ad eum descendit, vt obedientiam impleret, sed eo salutato, cum primùm iste præpositus congressum ordiri voluit, aliud planè nihil ei respondit, nisi quod vilis tantùm Laïcus erat; statímque postulatâ veniâ recessit.

Non externam secularémque tantùm fugiebat hominum existimationem, sed etiam pro viribus contendebat vt apud suos Fratres nullâ prorsus opinione esset: ea propter singulares Dei quas accipiebat gratias solicitè occultabat; multúmque pertimescebat ne ex suis sermonibus, motibus, & sensibus vel minimùm innotescerent. Quadam die dignatus est eum Dominus congressu aliquo & consuetudine valdè insolitâ; Vnde auditus est exclamare, & in quasdam voces erumpere, quæ effusam aliquam & supra modum abundantem indicarent Dei gratiam: hoc ab ipsomet deprehenso, timens ne & ipsi religiosi vicinas inhabitantes cellulas audiissent, ad alió sque referrent facto mane conuenit ipsos, prudentérque expiscatus, num aliquid audiissent, enixè obsecrauit, ne quid vnquam de iis cuiquam aperirent.

Reuerâ

Reuerâ Deus eum visitationum suarum supra modum admirabilibus recreabat deliciis, quod ipsemet prodidit, licet neminem expresserit, in suo mystico armario regulâ quartâ. Hoc modo; *Quando Deus vult aliquem intimorum suorum amicorum quodam præter morem fauore prosequi, ipsemet ei aliquando apparet exterius, etiam cum hic amicus est suiipsius perfectè compos; quod vt præstet Maiestas sua secundùm omnem amoris sui latitudinem; ille cui vult apparere, penitus abducitur à suis sensibus, magnis terræ, in qua fiat, motibus, post quæ Deus ei secreta sua magis arcana familiariter, & ore ad os aperit. Per hoc tempus homo interiùs Deo omninò plenus est, & exteriùs eo penitus, diuinóque eius lumine circundatur. Quæ visio & delectabilius (quàm possit assequi cogitatione) colloquium, cum per aliquod temporis perseuerauerit spatium, videtur tamen ei in instanti breuissimo pertransiisse.*

Est autem hîc obseruandum, quod etsi Cœcus esset, & de apparitione externa loquatur, non ideò tamen propriam eum non exprimere suam experientiam. Huiusmodi enim visiones sæpissimè fiunt absque sensuum exteriorum ope; & ipsemet dicit, hunc tunc intimum amicum à suis sensibus esse penitus abstractum: Hócque sæpiùs per somnium de nocte contingere. Quod autem in tertia persona loquitur, moris eius est, vt & illius magni Apostoli, qui suum ad tertium vsque Cœlum expositurus raptum, eum his verbis incipit. *Scio hominem, &c.* Est hæc Sanctorum lingua, & forma humilium, nonnisi ægrè, & quàm obscurissimè possunt, ea quæ in sui commendationem vergunt referre, vt hominibus, quantùm in ipsis est, semper ignoti remaneant. Et hæc fuit huius constantissima semper agendi ratio, omni humanæ creaturæ, præterquam iis qui erant eiusdem cum eo viæ, ignotus viuere. Vnde & hanc in manuali suo præscripsit regulam: Oportet vias nostras ita esse perditas, vt nec vestigium nec semita earum appareat, nisi nobis, & consimilibus. Cuiusmodi ignotæ vitæ, veræ sanctitatis in hac vita sic alibi nomen tribuit. *Quandiu homines aliquid agnoscunt in Sanctis præter id quod est communis ædificationis, huiusmodi sanctitas haud quid magnum est; cum plena sanctitas adeò sit perdita, & extra notitiam etiam meliorum hominum, vt si quod eius explorent vestigium, maximè in actione, planè sit deficiens, & propriè nihil. Vera igitur sanctitas in hoc sita est, quod quis*

sit perditus & planè ignotus omni homini tam ad patiendum quàm ad non patiendum, in perfecta abnegatione & morte subiecti totius, in diuinum suum obiectum. Verum quidem est non posse iri inficias, excellentem reperiri sanctitatem in iis qui perfectè patiuntur, eámque optimè tueri & custodire infirmitatem. Sed vbi omninò nihil est (vti videtur) nec huius, nec alterius, in totali abnegatione & morte subiecti in suo obiecto, nullus potest deprehendere vestigium aut semitam huiusmodi personarum; non etiam ipsemet; vno scilicet eos habente Deo, & in sinu suo superessentiali, (tanquam id quod in hominibus possidet pretiosius) tenerrimè conseruante. Distinguebat igitur inter sanctitatem actiuam, id est, quæ cernitur in operibus, aut in patientia seruorum Dei; & sanctitatem nudam, purissimam & à sensu remotissimam; quæ consistit in morte simplici & nuda, etiam omni actioni, & corporis tolerantiæ. Dicebátque ab huiusmodi sanctitate visibile nihil esse expectandum; quòd, qui illam sunt assecuti, viam omnem rationémque humanam per quam homo ad perfectionem tendit, penitus transgressi fuerint & superexcesserint. Porrò amor, & quo vitæ huius ignotæ tenebatur studium, causa est propter quam tam pauca nouimus de innumerabilibus, & penè incredibilibus quæ Deus ipsi impertitus est huiusmodi thesauris & charismatibus. Vnde nisi Deus ipse prodidisset eum, scriptis ipsius, infirmorum curationibus, quas operatus est in Conuentu Dolensi, & iis quæ secretò quidam nostrûm explorare potuerunt, vix aliquid cognouissemus excellentiæ & sublimitatis huius animæ, quæ apprimè sciens summam humilitatem pro summa sanctitate, (vt verè est) ab omnibus illam verè profitentibus haberi; virtutem hanc sub vitæ minimè singularis, & ingenuæ libertatis specie, aliâ sed altiori, humilitate celabat.

CAPVT TERTIVM.

Accurata eius obedientia Deo, Superioribus, Regulæ & Constitutionibus Ordinis.

LEgimus in vita Seraphicæ Theresiæ (quæ quod vltimo enituerit seculo non ideò Carmeli decus vltimum est) arduum planè,

planè, & omni supererogationis specie altius, emisisse votum: scilicet amplexaturam se semper, vbique & in omnibus, quæcunque sibi perfectiora viderentur. Non astruimus huiusmodi votum, vt obedientiam Cœci nostri commendemus, quòd reuerâ nescimus ab eo nuncupatum; etsi compertum nobis sit & ab omni dubietatis suspicione alienum, hoc operibus suis sincerè & fideliter adimplêsse: sed dicimus eminentem eius constitutionem, & perfectionis statum, votum hoc supereminere, vtpotè qui nec discretionem perfecti ab optimo, nec maioris à minori bono, prorsus vllam admittat. Dicimus verè cœcam (si quæ fuit vnquam) Cœci huius obedientiam, non tantùm omnem virtutis huius in sua specie perfectionem fuisse supergressam: sed & ipsum amorem, virtutum omnium plenitudinem & complementum; vt ipsemet in suis scriptis sæpiùs agnouit. Dicimus voluntatem eius ita Diuinæ fuisse subactam & substratam; ita compositam & conformatam, vt prorsus esset Deiformis, nihílque omninò nec intus nec foris operaretur, nisi diuino eius motu iugiter acta: ita vt merum esset instrumentum, quòd simplici suo duntaxat consensu cooperatur Deo, omnia ipsius opera per ipsum operanti. Idipsum est quod in quadam contemplatione cum Deo loquitur. *Quandoquidem ignis amoris nos totaliter in se redegit & consumpsit, & nihil de nobis ampliùs inuenitur: ita nihil in nobis (quoad operationes nostras) ampliùs quærendum est. Adeóque ô amor meus & vita mea, te oportet purâ & amabili voluntate sustinere agentem & operantem, tam intra quàm extra nos, quod tibi collubitum est.*

Non itaque poterat hic homo verè Filij Dei nomine dignus, qui eius Spiritu iugiter agebatur, quin accuratam suis superioribus exhiberet obedientiam. Enimuerò aspiciebat eos omnes non tanquam mortales homines; sed (vt regula nostra Scripturáque sancta loquitur) Christum potius quam ipsos cogitans, cuius vices gerebant, mirum quantùm colebat eos, & omni prorsus obseruantiâ venerabatur. Studiosissimus erat benedictionis eorum, eámque recipiendi occasiones solicitè conquirebat; asserens illam prodesse sibi multùm, séque contra Dæmonum oppugnaiones communire & corroborare. Vnde & hi ab initio superbi nobedientes in rabiem agebantur, videntes humilem hunc Fratrem præter Laïcorum morem quotidie serò sub finem Comple-

torij ad imum chorum accedentem, vt hanc benedictionem cum Clericis lucraretur. Ex hac altissima reuerentia quam suis Superioribus exhibere solebat, oriebatur perfecta subiectio omnibus eorum voluntatibus, imò & ad quoscumque nutus perfecta formatio; quibus omnibus mirâ simplicitate seruiebat, dicens magno cum religionis sensu, non debere nos dedignari hominibus subiacere & substernere nos, si quidem fecit hoc Iesus Christus propter nos; & eum qui huiusmodi non afficitur sensu altissimè Dei misericordiam inclamare debere; secùs, de illo esse actum.

Visus est sexagenarius Nouitiorum animos ex obedientia relaxare, quibusdam musices instrumentis, quæ summâ dexteritate pulsabat, aliisque modis & excogitationibus, quæ ab omnibus humanam Sapientiam profitentibus, pueriles haberentur. Sed hic veræ sectator sapientiæ, vtique instituti sui, & scientissimus & amantissimus, nihil à superioribus suis constitutum, puerile & abiectum arbitrabatur. Vnde & huiusmodi laxamenta Fratribus suis Angelico modo, & mirâ planè simplicitate atque innocentiâ ministrabat; cum sapientibus sapiens, & cum infantibus quasi infans; omnibus omnia factus. Quoad hanc autem cœcam obedientiam, Cœcos vocabat hos spirituales qui recollectioni nimiùm, quieti, & propriæ sensus tranquilitati, adhærentes; credebant actionem se à Deo auocare. *Actio enim* (inquiebat) *perficit certissimè & confirmat contemplationem, fruitionem & quietem in Deo, dummodo anima cum omnimoda sui cautione agat, cùm enim Deus* (*vtique purissimus spiritus*) *sit à sensu infinitè alienus, delectatio sensibilis quietis, tantò magis hominem à Deo distrahit, quantò ipsi videtur esse se in eo magis immersum: è contra verò abnegationes eum ampliùs immergunt.* Quapropter aiebat obediendum esse simpliciter, cum iubemur austeritates & alia virtutum opera dimittere. *Debemus enim* (inquiebat) *magis expetere sanctos nos esse & veraces in fundo, quàm in operibus nostris, satísque nobis esse debet, tales esse, quales nos vult Deus, non curantes, quid operabimur aut non operabimur.*

Hæc simplex & cœca obedientia quam suis superioribus exhibebat, nonnunquam etiam supra vires ipsius efferebatur. Mandatum est enim ei die quadam in horto sarculare, cum esset in Conuentu Dolensi, ipse non obstante sua cœcitate simpliciter obediuit, & edoctus per contactum noxias ab vtilibus herbas

secernere,

secernere, æquè perfectè sarriuit, ac si fuisset oculatissimus; vberiùs opitulante Deo, & cœcam eius obedientiam, longè præstantiori (corporis visu) gratiâ compensante. Multa insuper virtutis huius efficaciâ, Fratribus suis præstitit obsequia, quæ videbantur à corporea eius cœcitate prorsus aliena; quorum habemus adhuc superstites benè multos fide dignissimos testes.

Similiter Regulæ & constitutionum erat obseruantissimus; audito primùm, ad quemlibet regularitatis actum, campanæ signo; omne negotium, nisi expressè imperatum, ex tempore dimittebat, vt ad eum conueniret; Ideóque postulatâ humiliter copiâ, sæpiùs Episcopis, aliisque prænobilibus viris, valefaciebat simpliciter & ingenuè, dicens aliò se ab obedientia sancta aduocari. Vnde & dicebat regularitatem, si modo comitem habeat cordis humilitatem Religiosi vitam esse, & animam; qui eam idcircò omni negotio & exercitationi quæcunque illa sit, absque speciali mandato debet anteponere: nec ipsum etiam vniuersum mundum, cùm minimo regularis obseruantiæ dispendio debere saluari.

Monasticam regularitatem opponebat singularitatis vitio, dicebátque hanc omnis inordinationis esse scaturiginem: è contra regularitatem (vt ordinis partum) speciosissimam esse, & aspectui iucundissimam; cum gratiùs nihil sit & delectabiliùs, quàm videre vnumquemque (maximè religiosum) benè compositum, & obedientiæ legibus semper addictum. Ex quo inferebat, verum obedientem, ab omni inordinatione & animi impotentia esse immunem: inobedientem verò à bestiis, id est inordinatis appetitibus suis, assiduè deuorari; vnde & hoc insuper theorema educebat, religiosum statum inobedienti esse infernum; quòd nunquam in eo voluntas eius impleretur, nisi reluctando Deo. Quo in casu mirum esse non debet, si Religiosus iam ex hoc mundo, inferni cruciatus sustineat; cum iugiter conscientiæ suæ stimulo torqueatur, de quo scriptum est, quoad damnatos, *vermis eorum non morietur.*

Piget hærere in enumerandis singulatim tanti viri virtutibus, quas & vt vidimus, & ex ipsomet profitente testatum habemus, tantùm supergressus erat, vt nec ipsum amorem earum omnium apicem & fastigium, sed Deum immediatè, directéque in omnibus

nibus ſuis operibus, tam foris quàm intus intenderet. Arguit D. Thomas virtutum, & donorum Spiritus ſancti ex eo diſcretionem: quòd iſtæ diſponant animæ vires, ad hoc vt à ratione; hæc vt à Spiritu ſancto moueantur; nec non & horum ſupra illas eminentiam: quòd ad altiorem motorem oporteat maiori perfectione mobile eſſe diſpoſitum. Cum igitur ille iamdudum rationem exceſſerit, primáque poſuerit quaſi virtutum ſuarum tyrocinia in ſubſternendis eius imperio, directioníque animæ ſuæ viribus: non eſt quod in illis accuratè explorandis & excutiendis, diutiùs immoremur. Sed erit conſultiùs, ſi nos ad ſuperiorem agendi rationem vtique Spiritus ſancti motum ſedulò conuertamus; & eius dona (quibus ad huiuſmodi motum tam perfectè erat compoſitus, vt ab eo iugiter ageretur) propiùs intueamur. Sit igitur

---

CAPVT QVARTVM.

De Dono Timoris Domini.

DOctiſſimè, vt ſemper aſſolet, Scholarum Angelus, Spiritus ſancti partitur dona, per ordinem ad animæ quas perficiunt vires, rationem ſcilicet, & vim appetitiuam. In iſta quatuor conſtituit Intellectum, Conſilium, Sapientiam, & Scientiam. In hac tria, Pietatem, Fortitudinem, & Timorem. Iſta vt rationem ad hoc diſponant, quatenùs facilè moueatur ad apprehendendum & iudicandum. Ad apprehendendum quidem ſpeculatiuè, per intellectum; practicè verò, per conſilium; ad iudicandum autem ſpeculatiuè, per Sapientiam; practicè per Scientiam: hæc vt reddant vim appetitiuam facilè mobilem; in iis quidem quæ ſunt ad alterum, per pietatem; in iis autem quæ ſunt ad ſeipſum contra periculorum metum, per fortitudinem, contra verò inordinatam delectabilium concupiſcentiam, per timorem. Iuxta hanc acutiſſimam & verè Angelicam diſtributionem viâ analyticâ procedentes, de hoc vltimo primùm agimus ad ſuperiora per ordinem ſubindè aſcenſuri.

Hic itaque Dei timor, vtique filialis, tam altè defixus erat in corde

corde Fratris Ioannis à Sancto Samsone, vt millies mori potiùs elegisset, quàm vel minimo veniali peccato scienter assentiri; quin & ipse aspectus ingenitæ peccandi libertatis, horribilis ipsi & tremendus appareret; diceretque eos, qui peccata venialia non auersantur, monstra esse abominationis coram Deo, nunquàm eos amore reformandos; nec vnquam ad Deum perfectè conuertendos, nisi grauitate & frequentiâ flagellorum, ægritudinum, & afflictionum, aut tormentorum quæ hominum aut Dæmonum ministerio sunt passuri, aut visuri alios sustinere & pati. Insuper aiebat assequi se non posse cogitatione, quomodo non quasi æqualiter mortale & veniale peccatum vitanda essent; multóque fore conducibilius, ruere, & susdeque verti mundum vniuersum, quàm vel minimam contra Deum offensam perpetrari.

Quam autem habeat timor iste filialis cum seruili oppositionem, pronum est intelligere; hunc enim foras mittit perfecta charitas: iste verò ex amore oritur, & amorem fundit, affectum scilicet animæ erga Deum, tùm vt Patrem, tùm vt Sponsum, ex quo vtroque respectu oriuntur insuper & paupertas spiritus, & corporis sanctimonia; quas insignes animæ & corporis dotes, donum timoris annexas habet; Timens enim Deum vt amantissimum suum Patrem, ab incarnato eius verbo diuinitus edoctus, omnia illi quæcunque ad se pertinent liberrimè committit, de hoc vno duntaxat solicitus, vt ei impendio placeat, & ex summa quam habet in eum confidentia, ab omnibus exui se & nudari tam interiùs quam exteriùs ad exinanitionem vsque patitur; vt ab eo omninò pendeat, à quo omnia præstolatur, & sperat. Nec quidquam vel minimum, vt proprium & suum vsurpat, etiam spiritualium charismatum, vt ei vni immediatè adhæreat, cui se totum plenissimè probauit. Timens autem Deum vt Sponsum, ei se castissimum & in omnibus integerrimum, iugiter exhibere contendit. Est enim timor ille castus, vt ait S. Augustinus sermone 25 in illud *Psalmi* 18. *confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Vtrunque præstitit noster Cæcus perfectissimè, si quisquam alius vtique dono timoris Dei abundanter perfusus; eius enim singularem per omne vitæ tempus iamdudum compertam habemus spiritus paupertatem, consummatam in vltimo vitæ eius discrimine: cum derelictum à Deo, & quasi abiectum

in

in amantissimæ crucis osculo, animam fortiter agentem vidimus. Cui vt nihil superest addendum, ita planè nec quidquam adiungo: nisi hoc vnum; quod etiam ab omni studio & delectatione gratiarum, vnctionum, & deliciarum diuinarum, quarum suauitatem sæpiùs erat expertus, perfectè liber & planè solutus erat: diligens Deum in seipso, & super omnia sua dona; quod vtique dicebat esse in Deo mori. *Gloriabor*, inquiebat, *in meis infirmitatibus & paupertatibus. Diuitias meas in Suis sanctis possidet charissimus meus Sponsus. Sit ipsis gloria, diuitiæ, & gloria diuina: mihi autem omnis miseria, languor, & paupertas.*

Hæc præcellens spiritus paupertas, sors eius charissima erat in hoc mundo, quam pluris faciebat omnibus eius thesauris. *Omnia* (inquit in suis exercitiis) *habeo quæ nolo, & quò magis vt digniora despicio, eo magis & meliùs habeo, in plena meiipsius possessione, existens & viuens in Deo à quo possideor, & quem planè possideo, vbi creatum omne, & omnes eius malitiæ, crudelitatísque conatus non possunt me contingere, etiam infinitâ distantiâ, si verax sum.*

Nonne hæc est lingua, sermóque Apostoli, arbitrantis omnes mundi pulchritudines vt stercora & detrimenta; Inde oriebatur suprema eius resignatio, in intolerabilioribus spiritus mortibus; inde eius sedulitas & incredibilis attentio, ad supprimendos omnes naturæ motus vnámque duntaxat admittendam gratiam. Vnde & ad eum peruenit statum, quo natura (quæ veteris Adam nuncupatur) non viueret ampliùs in eo, saltem quoad deliberatos & imperfectos priuati amoris motus, qui in maximam hominum partem impunè dominantur. Scribebat olim sanctâ cum libertate confidenti suo nostro Reuerendo P. Dominico, dignissimo certè tanti Magistri discipulo, his terminis. *Sub graui pondere, & laborioso onere naturæ, perfectè contenti sumus. Etsi quantùm ad me verum sit, parum me grauari eius effectibus.* Et inferiùs ait, *verum tamen est naturam à me, & me ab illa, plurimùm distare.* Lector animaduertet, quò perfectionis ascenderit, qui nullam ampliùs à naturæ studiis & appetitibus patitur molestiam.

Quoad eius sanctimoniam, & mentis corporísque integritatem, tanta fuit, vt dictu non sit facile. Speculum erat crystallinum eius conscientia, in quo deprehendebat etiam minimum imperfectionis atomum. Mirum est, quàm puræ & subtiles sint eius

eius regulæ (quas in exercitatione, quam ſuum vocat confeſſionarium) tradidit, ad explorandos, & detegendos defectus ſuos. Sæpiſſimè aliud nihil habebat confitendum quàm iſtud, ſcilicet ſe non tetendiſſe ad Deum infinitè, & ex omnibus viribus ſuis, in ſua attentione, & in operibus ſuis. Quid autem ſit hoc infinitum, ad quod tendere ſe ſentiebat aſtrictum, ſic ipſe citato loco exponit. *Infinitum in ſummè perfectis, eſt detentio, & ſtabilitas virium omnium recollectarum, ſolutarum, reductarum, & omninò abſorptarum, in vnitate diuina, ſupra omnem ſpiritum & fundum; vbi manendum nobis eſt, tam firmiter fixi, vt inde nulla virium noſtrarum exeat, & ſoluatur ad ſuam naturalem operationem, quantùm poſſibile eſt; quatenus mortuus, ſemper ſit intentus fruitioni intuitiuæ obiecti ſui diuini, in perfecta & vnica quiete, valdè vnica, & ſimplici, abſtrahendo propterea à quibuſcumque creatis obiectis, ad eum officij aut debiti alicuius nomine non ſpectantibus.*

Complectebatur etiam ſub hac ſua indefeſſa tendendi in infinitum praxi, perfectam modeſtiam, & totius ſui tam interioris quàm exterioris hominis compoſitionem, dicens fidelem veracémque animam, debere eſſe planè diuinam, aut tanquam facem accenſam, trans corpus pellucidum coruſcantem, Deo, Angelis, & hominibus apparere; ſibíque ipſi ita ſemper intentam, vt nullius ſui exitus, geſtus, ſermonis, aut actionis cuiuſcumque eam vnquam pœniteret. Quantùm ad reflectiones ſupra ſeipſum, & remiſſionem internarum ſuarum virium, hoc eſt quod ab eo prorſus erat alienum, manente vtique ſemper in ſua ad Deum firma attentione. Quod exaggeratum fortè videbitur, ſed facilè comprobabitur ex hoc vno verbo quod ei aliquando in ſuis ſcriptis excidit, ſcilicet ipſam ſuper ſe reflectendi poteſtatem, crudeliſſimam ſibi mortem eſſe. Verum in exterioribus negotiis, in quibus cum hominibus eſt agendum, vt ad omnes circunſtantias ſemper attendere non poterat, ſi contingeret defectu præuiſionis res non cedere, ſecundum omnem poſſibilem perfectionem; hoc eſt de quo arguebat ſe, & confitebatur.

Denique tanta erat conſcientiæ eius puritas & munditia, vt aliquando per tres ſolidos menſes materiam ad confitendum ſufficientem non haberet, víxque poſſent eius Confeſſarij, ad abſolutionis formam ſuper ea quæ ſubiiciebat proferendam, adduci.

duci. Vnde & coactus eſt de iis ſcribere, & eis nonnullas ſuper hoc tradere regulas, quibus vterentur, & tutò eum abſoluerent; quarum vniuerſaliores hæ ſunt.

Prima, Peccatum debere tale reputari, conformiter ad vniuſcuiuſque notitiam, lumen, ſenſum, & mentem.

Secunda, Animam ſuauiter actam à Spiritu ſancto, teſtem eum habere ſuarum omnium actionum; ideóque cum ſe peccati conſciam arbitratur eſſe ei credendum; Deus enim in ea amor & lumen eſt; & ſicut eam ſanctificat, ſic & in omnibus quoque illuminat.

Tertia, Ex quo quis apud ſe conſtituit obfirmato animo, & ex omnibus viribus ad perfectionem contendere, omne tempus quod aliò inſumitur, peccatum eſſe.

Quarta, Vix reperiri quemquam ſemper æqualiter, etiam tentationis tempore Deum appetentem, proindéque & à peccato immunem.

Quinta, Omne quod fit, aut dicitur à Religioſo ſine rationis præuiſione, minimùm, actionem aut verbum otioſum eſſe.

CAPVT QVINTVM.

De Dono Fortitudinis, vbi varia eius prælia contra Dæmones enumerantur.

MAgnus Gregorius ſeptimo ſuorum Moralium exponens hæc verba Sancti Iob, *Quæ eſt enim fortitudo mea vt ſuſtineam, aut quis finis meus vt patienter agam?* Quibus tanti viri mortalium patientiſſimi & dolorum acerbitas, & afflictionis pondus innoteſcit; dixit appoſite iuſtorum fortitudinem, eſſe carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, huius mundi aſpera pro æternis præmiis amare, proſperitatis blandimenta contemnere, aduerſitatis metum in corde ſuperare.

Si dixerim, Cœcum noſtrum Samſonem hæc omnia præſtitiſſe, minùs dixero: ſi quidem hæc ſunt fortitudinis eius tyrocinia, & prima duntaxat ſpiritualis eius militiæ rudimenta. Fortitudo eius, vtique

vtique consummata, hæc est, omnes durissimas amoris quem consummantem vocat, mortes, omnes ineffabiles diuini ignis operationes, de quibus supra tot & tanta locuti sumus, omnes denique amarissimas cruces quas interius, exteriúsque patiebatur, intrepidè, immobilitérque, iugiter sustinere. Hæc nimirum est eius fortitudo, quidquid ipsi accideret, quantumcunque graue, quantumcunque molestum, planè ac si non eum tangeret, eodem modo se semper habere: quidquid pateretur, eundem semper esse; eundem vultum, eundémque omninò seruare animum: vt omnium hominum minimè singularis foris appareret.

Porrò non eodem semper modo hac sancti Spiritus fortitudine roborabatur, adeò enim nuda, simpléxque vltra sensum aliquando erat, vt mirum sit, quomodo in eo statu posset anxiam Dei operationem, vitam naturalem vsque ad radicem in eo supprimentem, sustinere. Hanc tamen sustinuit atque perpessus est, nunquam fractus, nec pertæsus tantorum cruciatuum, sed æternâ resignatione Sacrificium suum Deo iugiter immolabat: animam in hac cruce sine intermissione agens. Inde est quod conformiter ad ea quæ erat expertus, tres assignabat diuinæ fortitudinis gradus, tribus charitatis gradibus respondentes. Primum constituebat in operatione rerum arduarum; secundum in æterna patientia, & absque tædio tam corporis quàm animi tolerantia; tertium in iugi & assidua morte, per eam Spiritus fortitudinem & magnanimitatem, quæ vitam & vires prorsus exhauriret, ardenti & indeficienti amore, ei vtique nudè & simpliciter adhærendi gratiâ.

Huic plusquam humanæ virtuti, tanquam effectum suum specialem adscribo, constantem perseuerantiam, quâ perpetuæ solitudinis pondus tanto tempore tulit, cum tantis anxietatibus internísque laboribus; cuius erat adeò tenax & studiosus, vt diceret optare se ex toto corde damnatum esse ad viuendum pane & aqua duntaxat, intra quatuor muros reliquo vitæ suæ tempore inclusum, aut in aliquo inuio deserto proiectum. Hanc suam solitudinem vocabat præliorum stadium, latibulum, & secessum altissimè perceptarum in terra Diuinitatum, in quo Deus homines deificat. Dicebátque viros solitarios mercedem esse amoris Iesu Christi erga suum Patrem æternum. Homines de vulgo ab huius-

modi animarum pulchritudine & ornatu (si eum intueri possent) in admirationem fore abripiendos. Eas esse quæ sustinent mundum, & ab impendente iugiter ruinâ vindicant: Quia etsi Deo cumulatissimè fruantur (quantùm hic fieri potest) cum tamen pro spiritualibus temporalibúsque proximorum necessitatibus exorant; ardenti charitatis studio se Deum inter, & iustum eius furorem medios & defensores perpetuò interponentes.

Patet autem non hîc loqui de externa solitudine quam imperperfectorum Religiosorum tormentum vocat infernum, Sed de vera Spiritus solitudine, de deserto & regione, quæ est in Deo Patre, & Magistro spirituum omnium. Esse tamen colendam & omni solicitudine obseruandam dicebat solitudinem externam, vt ad huiusmodi solitudinem, & desertum spirituale perueniatur: Docens hanc propterea solitudinem incipientibus esse necessariam, vtilem proficientibus, sed perfectis duntaxat iucundam & delectabilem. Multa enim (inquiebat) in ea sunt pericula & incommoda, frequentes oppugnationes, & laquei Dæmonum valdè subtiles, multæ & multifariæ tentationes; sed si constanter fideliterque custodiatur: dulcescet indubiè, & ante mortem delectabilis euadet.

Pulchrè Sapiens, & sapienter asserit, meliorem esse patientem, viro forti, & dominantem animo suo, expugnatore vrbium; vbi per fortem intelligit robustos habentem lacertos; non illam Christianam fortitudinem, quæ vt ait Chrysostomus in tolerandis malis potissimum spectatur, & cum patientia coincidit: Hic enim patiens, & sibiipsi Dominans verè omnium fortissimus est, & indubiè totius mundi dominus; Non est igitur mirùm si tam perfectè suiipsius dominus noster Cœcus Samson, infensissimos omnium Mystarum vicerit hostes, inuisibiles Philisteos; & diuinâ suâ fortitudine toties deiecerit ac profligarit, quoties cum eis congressus est. Hæc vasa iniquitatis ab initio bellantia, implacabili ferebantur odio in humilem Dei seruum, propter eminentem ipsius, quam super omnia auersantur, contemplationem, quàmque deprehendebant ex iugi eius & immutabili animi æqualitate, nuditate specierum, altissimâ humilitate, aliisque signis exterioribus sublimis supra morem vocationis. Vt verum fatear multa non sine doloris sensu & amaritudine nos latent, per eius silentium

tium & humilitatem de singulari hoc subiecto dicta, & facta insignia. Sed coactus necessitate nonnulla aperuit, tùm in suis scriptis, ad proprium suum vsum compositis, tùm R.P. Valentino à sancto Armagillo tunc Nouitiorum in Conuentu Rhedonensi Patri Magistro; ex quibus exscriptæ sunt obseruationes & notæ, quæ hic à nobis sunt subiiciendæ.

Etsi rarò Dei seruus ab huiusmodi infernis potestatibus de die inuaderetur, eum tamen aliquando ita violenter in terram occumbere fecerunt, vt in tibia grauiter vulneratus remanserit. Aliàs eum aggressi sunt, cum gradus altaris (sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpturus) ascenderet; tentauerúmque prosternere, & ad terram allidere; sustinere eum non valentes in hoc compendioso summæ Religionis Christianæ negotio, ex quo vires exhauriebat, quibus eos superaret. Vt plurimùm huiusmodi tenebrarum Principes nocte concubiâ eum exagitabant, ídque duobus principaliter modis. Primus erat totus ex arte, versutia, laqueis & vafritie: alter in oppugnationibus manifestis, & variis durissimorum quibus eum cruciabant tormentorum generibus.

Anno 1629. secundâ Octobris, dixit Confessario suo se nocte præcedente grauiter à Dæmonibus oppressum fuisse, qui solicitè & impensiùs comparare se videbantur ad ipsum comburendum, sed inclamando Deum, ha! mi amor erue me, statim se ab ipsis fuisse liberatum; post quæ sentiebat eos cirum se concursantes & quosdam clamores emittentes. Eodem anno die 13. Nouembris dixit ei, quendam Dæmonem, multam sibi nocte præcedente intulisse molestiam: in tantùm vt coactus fuerit disciplinam accipere, multâ experientiâ doctus quantùm Dæmones hoc macerationis genere torquerentur. Cúmque orationi se dedisset, identidem consopiebat eum, ac subinde transiens & iterum pertransiens, circumagebat eum, quasdam emittens etiam sensibiles voces. Aliàs ei dixit, Dæmones se aliquando ita grauiter excruciasse, vt ipsi videretur se quasi ardentibus facibus comburi, aut pugionibus & lanceis confodi, adeò vt acerbissimos pateretur dolores. Similiter dixit cuidam Religioso sibi summè addicto, quadam nocte plus quàm viginti Dæmones simul conuenisse vt ipsum torquerent, sibíque visum fuisse quod ipsi digitos, & om-

nes corporis neruos subulis perforarent, indéque maximos dolores sustinuisse.

Refert etiam eius Confessarius didicisse se ab eo 10. Decembris 1629. ipsum à tribus Dæmonibus multùm præcedente nocte fuisse vexatum; eorum vnum, quem veluti carneam molem durissimam super se sentiebat, ipsi manus grauiter compressisse; audiuisse eos quasi ridentes & inuicem colloquentes de doloribus quibus eum opprimebant, & triumphum agentes quod non posset se ab eorum manibus eripere. Sub noctis initium Dæmonem, lumine quodam suum cubiculum collustrasse (licet enim cœcus omninò, esset tamen candelæ fulgorem vtcumque obseruabat) vt scilicet ipsum in superbiam impelleret, sed conuertendo se ad hoc lumen, despexisse illud, & illico euanuisse. Denique ipsum aliàs huiusmodi sæpiùs ementita in suo cubiculo lumina signo Crucis fugasse, sed paulò post rediisse. Multi sapientes & virtutibus insignes Religiosi, huiusmodi vidêre lumina, insolitos ex eius cubiculo audière strepitus & fragores, verba quæ Dæmoni loquebatur, clarè & intelligibiliter excepêre, & intrantes ex tempore in cellam eius, eum ab angustia sæpiùs eduxêre.

Verum nihil restat superaddendum iis quæ ipsemet in suis exercitationibus scripsit, etsi, vt se pro more suo abscondat, alteri tribuat quod ipsemet est expertus. Hæc sunt eius verba. *Quamcumque perfectionem attigerimus in hac vita, quia nihilominùs impeccabiles omninò non sumus, & absque culpa: Permittit Deus Dæmonibus exercere nos, & affligere, speciatim de nocte dormientes, & aliis pluribus modis. Sentietis* (inquit inferiùs) *dormiendo huiusmodi diabolicos conatus, & videbitur vobis quod omnia corporis vestri ossa grauissimis & asperrimis aculeis vobis perforentur, qui vos maximis doloribus afficiunt; sed eodem tempore agnoscentes esse duntaxat iratorum Dæmonum irritas contentiones, non tantùm æquanimiter, sed etiam cum gaudio eas patiemini. Aliquando etiam persentietis eos laborantes, insudantes & gementes circa vos, quasi fractos, defessos & planè deuictos. Sic aufugient miseri & confusi; vos autem subito expergefacti, læti omninò eritis.*

Apparent (inquit in suo armario mystico regula 22.) *modo clanculum, modo aperto marte, modo suggestionibus, perturbationibus, & internis motibus, modo sub diuersis figuris, omnis generis horribilium*

&

& crudelium belluarum ferocientium, & quasi ad deuorandum se comparantium. Per hoc apparitionis verbum intelligit sensibilia tormenta, de quibus statim subinde loquitur. *Aliquando manus eius arripiunt quem aggrediuntur, ridentes & insanientes circa illum mille immoderationibus & ineptiis. Nonnunquam lacbrymantur more infantium; aliquando suauiter canunt, &c.* Et regula 25. *Nonnulli inquit stultè lasciuiunt in suis illusionibus, vt ipse ego aliquem vidi ementientem circa me tintinnabuli sonum: & eo magis hisce delectantur ineptiis, quo vident eas magis mouere & ludificare; alij denique in summo nocendi gradu operam suam nauant.*

Omnis autem fortis nostri Israëlis, contra tot conatus oppositio, vna erat in Deo suo perfecta confidentia, cuius in conspectu stans, & iugi aspectu, hæc omnia de manu eius amantissima suscipiebat, voluntati eius planè permissus; cui adiungendum est ardens eius, & inuictum quocunque tandem modo, & in omni genere patiendi studium: hoc clypeo singulari tuebatur se contra omnes, tot & tantorum infernorum Principum ictus; ex hac pharetra sagittas deprompsit, quibus hos confixit hostes, & omnem tartaream militiam toties profligatam semper victor existens gloriosè triumphauit.

Nonnunquam in ipsis durioribus exercitiis viuâ voce congrediebatur cum huiusmodi infaustis spiritibus, super eorum cæcitate; vocans eos canes, talpas, cæcos, inhabiles ad Deum vnquam videndum, proindéque hominibus inferiores, vtique hoc summo bono diuinâ eius pietate aliquando fruituris. Aliquando cum eis contemptim duntaxat agebat, prorsus despiciens omnes eorum conatus, quasi nequidem persentiret eorum tormenta & oppressiones; aut eos obiurgans, & verbis contemptibilibus insectans. Quod eos mirum quantùm, dissecabat propter rabidam eorum superbiam, quæ nec minimam deiectionem, nisi ægerrimè sustinere potest. Ex hac sua agendi ratione regulam decimamquartam mystici sui armarij exscripsit, quæ talis est.

Quando visio aliqua, aut exterior tentatio Dæmonum sub quacunque forma aut hominis, aut bestiarum apparebit, consultum erit signo crucis se munire, mentem in Deum feruentibus amoris actibus efferre, sícque summo bono ardentibus & assiduis affectibus, adhærere. Insuper conueniens erit Dæmones exterius aspernari, eósque deridere, non magis attendendo

tendendo ad eorum insanas vexationes, quàm si eas non molirentur; cum hæc omnia non nisi Deo permittente, & in eius conspectu fiant; qui hanc potestatem Dæmonibus ad hoc concessit, vt eosdem in sanctis animabus triumpharet, & hæc dona sua sublimia, stabilésque gratias quas nunquam amitterent, exinde compararent; si tamen satis habeatur fortitudinis & confidentiæ in Deo, ad egrediendum extra se; licitum erit eos sannis & dicteriis perstringere, & cum eis verbis contendere, inanem eorum & temerariam arguendo dementiam, arrogantéque audaciam, sic aduersus Dei famulos, aut vt meliùs dicam aduersus Deum ipsum in seruis eius attentare & machinari. Deinde consilium hoc subiungit regula 22. *Cùm audientur Dæmones canentes, & huiusmodi ineptiis circa se ludiones agentes, dicatur ipsis. Si sic canere possetis cum in inferis, flagellabimini, quam benè vobis esset: aut, ite in infernum flagellis & ictibus (supra cadentem grandinem iteratis & frequentioribus) excipiendi; & dum vexabimini ex rabie, de interitu vestro & æterna damnatione ridebo.*

Et reuerâ mens hæc erat fortis huius nostri bellatoris, eos qui patientiâ suâ, silentio, & aliis heroïcis virtutibus Dæmones superarunt, dominari deinceps in eos summo iure; & hos infaustos spiritus tantùm pudere sui infelicis exitus: vt malint hîc victorum suorum potestati, & obedientiæ iugo (licet ægrè) mancipari, quàm ad inferos reuerti. Quod noster Mysta maximo ducit miraculo, de quo insuper mirabiles tradit institutiones in suo armario mystico. Vnde colligere est quantam habuerit in Dæmones potestatem, ex tot tantísque victoriis, quas aduersus illos per quadraginta annos reportauit, & si verè dixerit ipse Dæmon cum exorcismi virtute, per os eius quem possidebat, agnouit Fratrem Ioannem à sancto Samsone multùm omninò contra se posse, & merito quidem; quia ab inuicto hoc athleta semper fuerat deiectus; cœcum fuisse verè oculatum, & clarissimè videntem, hominem austerum, non delicatum, vt benè multos etiam spiritualem vitam & perfectionem profitentes. Hoc testimonium tribus aut quatuor annis post obitum Fratris Ioannis à sancto Samsone, à Dæmone egressum est; & cum applicita est eius imago ad caput incessæ à Dæmone, nescientis quisnam esset, aut quidnam fieret: satis indicauit vehementibus suis motibus, flexibus & contractionibus, agentem se Dæmonem grauiter hac impositione torqueri.

Quod

Quod si, quando ita subacti Dæmones ab artes & vauafrámenta confugerent, tentantes eum & inducentes ad superbiam & vanitatem, putà fatentes se victos, constantiámque eius & magnanimitatem commendantes (quod vltimum esse dicebat Dæmonum stratagema atque perfugium:) tunc eo se modo aduersus eos habebat, quo scripsit in suo armario mystico. *Primùm oportet se crucis signo munire, exinde insufflare & conspuere in Dæmonem, sed istud oportet animose fieri, audacter & hilariter, abiiciendo & humiliando se semper altissimè coram Deo in sui veritate nihili.* Poterunt adhuc sic derideri & subsannari. *Etiam, dies venit, in qua homines infirmi facti sunt instrumenta Dei, ad vincendum vos & superandum ope gratiæ eius sanctæ. Vos qui ex Angelis luminis facti estis Dæmones difformitatis tenebrarum, & æternæ damnationis. Vos victi estis; præcipio vobis, & adiuro vos per Deum, vt eatis ad inferos nuntiare Principi vestro, Deum vos subegisse misero hoc peccatore hominum omnium vilissimo; proinde ipsi soli sit gloria, vobis confusio & æterna damnatio.*

Sic Fidelis Christi miles sibi ipsi semper attentus, nullum vulneri dabat locum; sed vbique solicitus, & tam foris quàm intus inuiligans, nullum naturæ non respuebat appetitum & motum; sciens apprimè, vt ipse nobis Scriptis mandauit in suo mystico armario. *Quot habent homines diuersi generis propensiones & affectus, tot habere Dæmones ad se instigandos. Et remittere se manifestè in suis exercitationibus, tam spiritus quam corporis sibi nimium indulgendo, & liberiùs viuendo, esse Dæmones admittere iuxta se, & eorum concilia promouere. Huiusmodi enim Dæmones singulariter delectantur, cum vident eos qui perfectiorem Dei profitentur amorem, tam parui pendentes opere adimplere, quod verbis afferunt.* Dicebat insuper animas destinatas ad altiorem gloriæ gradum, habere etiam sibi aduersantes fortiores Dæmones, & vehementiores perferendas oppugnationes; Esséque nonnullos, quos Deus huiusmodi durissimis exagitationibus disponit ad possidendum in Cœlo Dæmonis eos acriùs cruciantis gradum; quin etiam eorum aliquos plus habere gratiæ & amoris Dei, quàm ipsos beatos Angelos. Sed dimisso, aut potius commisso, sublimium harum meditationum iudicio, eas infundenti Deo, subiectum hoc diutiùs protractum absoluo. Remittens lectorem plura scire cupientem de huiusmodi Dæmo-

O num

num impugnationibus, ad varios, quos ſapiens hic noſter Cœcus de iis conſcripſit tractatus; in quibus pronum erit agnoſcere vix eſſe alium qui Dæmonum artes & verſutias aduerſus animas quas Dei gratia ad perfectionis effert apicem, doctiùs clariúſque prodiderit. Hæc enim abundè ſufficiunt ad propalandum copioſum & ſupereffluens (de quo hic agimus) Dei Donum. Itaque de Cœci noſtri Samſonis fortitudine ſat eſto.

CAPVT SEXTVM.

De Dono Pietatis.

AMpliſſimum habet & latiſſimum pietatis domum, ſicut & virtus, obiectum; vt enim hæc, non ſolum Patri carnali officium exhibet & cultum, ſed etiam omnibus ſanguine iunctis, ſecundum quod ad Patrem pertinent: ita & iſtud non tantùm Deo vt ſpirituali Patri, qui vt ait Auguſtinus 10. de ciuitate Dei eſt omnium parens: ſed etiam omnibus hominibus; in quantùm ad Deum referuntur. Directam erga Deum pij noſtri Cœci pietatem, & intimum cordis affectum, non eſt quod hic attexamus, cum ipſe, per ſe pluſquam ſatis innoteſcat; & ex omni hac elucubratione, Sole clarior effulgeat. Erga Deiparam verò ſingularem eius (vtique Ordinis) Matrem, Sororem, & Patronam: hæreditariam & quaſi materno cum lacte emulſam primâ parte ſubiecimus. Quibus hoc vnum addimus, ſcilicet tantùm increuiſſe hanc quæ in ſeculo inceperat pietatem, per triginta circiter annos quibus ei religioſiſſimè in ordine famulatus eſt; quantùm & ipſius perfectionem vitæque ſanctimoniam. Vnde eius celſitudinem & excellentiam ita venerabatur, demirabatúrque, vt diceret (quod de Deo Theologi loquuntur) certiorem, agnoſcendi magnitudinem eius, & perfectiones exprimendi, eſſe negationis viam. Erga ſanctiſſimum eius ſponſum mirabili pietatis ſenſu pariter afficiebatur, colebátque ſingulari obſeruantiâ vt verum Myſtarum (qui hîc inter homines ignoti degunt) defenſorem & principem; cuius eximiam ſanctitatem in hac incognita, & in Deo abſcondita vita conſtitutam volebat. Solebat eum vocare Angelum

Angelum incarnatum, electum à Deo ad incarnati Verbi sui mysterium, cooperatorem strenuum; vt esset ei Pater in terris, & Matris Virginis integritatem, integerrimus & ipse virgo custodiret; arbitrabatúrque sanctum adhuc in vtero matris, & simillimam duxisse vitam omnem, ei quam viuebat Adam, antequam per peccatum congenitâ innocentiæ stolâ priuaretur. Hæc singularis eius erga sanctissimum hunc Patriarcham pietas, & religio, mouit eum ad ei reformationem nostram enixè & instanter commendandam, vt videre est in cantico, quem ad eius honorem scripsit, vbi eam confidenter ipsi credit, & vt suam commendat, tanquam omnium contemplatiuorum, & in lege Dei die noctéque meditari profitentium, Patrono & defensori. Quam commendationem ratam habentes Patres nostri, ipsius simul & sancti Caroli Borromæi tutelæ ac patrocinio, humilem nostram obseruantiam solemni omnium voto fidenter consecrarunt, & humiliter æternùm mancipar ût Diximus etiam prima parte de summa eius Sanctarum reliquiarum veneratione, & de singulari erga omnia diuinum cultum religionémque spectantia pietate. Restat igitur vt agamus de ardenti quo æstuabat desiderio, cùm subueniendi animabus flammis lustralibus addictis: tùm earum quæ secum hîc degebant, salutem promouendi.

Singulis diebus multifarias lucrabatur indulgentias, pro animabus piaculari carcere detentis; aliósque Religiosos ad idem eis præstandum obsequium, frequenter excitabat; in tantùm vt hæc consuetudo exercita in Conuentu nostro Rhedonensi, & solemnis esse cœperit. Habebat propterea multa numismata & grana benedicta, quæ plusquam triginta Religiosis, diebus singulis commodabat, ad subleuandos huiusmodi animarum cruciatus. Hæc commiseratio quâ semper ductus fuit erga illarum miseriam, vehementer aucta est, postquam ex Dei dispositione, vidit horrenda quæ anima Fratris sui patiebatur tormenta, in hoc inclementi igne, & hominum culpas immisericorditer vlciscente. Vnus nouit Deus quot præter hanc alias liberauit; cuius habemus insignia duo (& digna quæ hic subiiciantur) testimonia. Primum est quod cum in Conuentu Dolensi esset grassante peste, signo sensibili præsentem se dedit ei anima, suffragiorum ipsius inclamans interuentum; & voce gemebundâ suo nomine com-

pellans (*Frater Ioannes*, *Frater Ioannes*) quod posteà confessus est Religioso, qui secum in Conuentu restiterat; cuius nomen erat Frater Oliuarius, à quo & nos ipsi didicimus. Alterum est anni 1628. in quo anima Religiosi nostræ Prouinciæ, nobilium in seculo natalium, & summæ eruditionis in claustro, Romæ vita functi, apparuit ei ipsâ die sui obitus, eodem, quo alia, signo sensibili; id est suaui aliquâ susurratione, per quam sapiens hic cœcus ex tempore Dei consilium assequebatur. Ad hoc igitur conuersus signum, vocem audiuit nomine suo se vocitantem, cui cum respondisset quid vis? Dic liberè quid velis, nihil ei repositum est, sed orationi incumbens, statim eâ finitâ Superiorem adiit; rogauítque vt Religiosorum suorum precibus, vni è nostris hac die defuncti, suffragari curaret. Posteà compertum est hac ipsâ die Religiosum hunc Romæ è viuis excessisse.

Hæc fuit eius familiaritas & singulare commercium cum animabus in charitate Christi, seculo defunctis: hæc eius, cruciatuum illarum, & tormentorum commiseratio; & in his subleuandis, suis orationibus accurata fidelitas; eò perfectiùs necessitatem eorum & inopiam intelligens, quò semper in dies rigidissimum amoris experiebatur purgatorium, in mysticis mortibus suis & augustiis, quæ verè sunt horum cruciatuum, & vltricium iustitiæ Dei post hanc vitam pœnarum effigies, & simulachrum. Nec minor erat tam pro viuis quàm pro mortuis semper ardens eius charitas, vtrâque scilicet ex eodem diuini amoris igne, quo indesinenter cor eius conflagrabat, simul erumpente. Sed antequam ad istam conuertamur, vnum adhuc superest vtramque commendans, quod nobis exciderat, specimen subiiciendum.

Cùm primò consilium initum est auocandi fratrem Ioannem à sancto Samsone è Conuentu dolensi in Rhedouensem; erat tùm prior in isto Conuentu, venerabilis senex sacræ Theologiæ doctor, dictus R.P. Simphorianus Godiuerius, qui ægè ferens subtrahi sibi Religiosum, quem communitatis suæ facem, & regularis disciplinæ columen, quotidie comprobabat; eo vno nomine Rhedonas venit, vt instanter expostularet hoc sibi non negari summè exoptatum solatium, posse mori inter brachia optimi huius fratris, in quo vno, pro extremo hoc vitæ suæ discrimine, singulariter confidebat. Huic ingrato omnibus discessui totus

etiam

etiam se Dolensis Conuentus opposuit ; vnde & in aliud tempus auspicatò dilatus est : Nã paucis interiectis diebus Prior iste grauissimâ febre correptus, in deliramentum & phrenesim incidit, cum tam horrendis corporis cõmotionibus & contractionibus: vt à medicis derelictus, & à suis Religiosis desperatus, plane vnicum superesset salutis eius perfugium, fratris Ioannis à sancto Samsone oratio, & auxilium. Hic per multos dies mirabili spiritus feruore ægrotum allocutus & exhortatus est ; sed iste alia non habebat responsa, quam horribilia verba, omnes etiam securiores terrentia ; dicebátque nonnumquam perditum se esse atque damnatum. Ad hæc pius noster Cœcus in terram prostratus, Dei gratiam & misericordiam pro agonizante instanter exorat, vt scilicet sui compos Ecclesiæ sacramenta posset suscipere. Interea ægrotus lethargiâ correptus, visus est omnibus hoc in statu iam iam moriturus : Non despondet tamen animum fidelissimus custos noster laïcus ; sed altâ voce lethargicum compellans, tam potenti efficacíque sermone alloquitur, vt ad se illicò reuersus, oculos primùm coniiciens in fratrem, enixè eum obsecrârit ne se desereret; Confessarium postularit, & sacramẽtis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis munitus religiosissimè & summâ cum deuotione animam Deo reddiderit ; agnoscens non sine effusione in gratiarum actiones, antequam moreretur, fidelissimo huic assistenti salutis suæ se esse debitorem. Et reuera idem ipse, Superiori cuidam retulit quasi diuinitus acceptum, defunctum de salute suâ grauiter fuisse periclitatum ; rogauitque vt animam eius multùm in purgatorio patientem precibus suis commendatam haberet.

Quod spectat ad viuos incredibili salutis animarum æstuabat zelo, milliésque vitam exposuisset vt eas Dei amantes exhiberet; tenerrimè ingemiscens de leuiori & permodico maximæ partis Christianorum, propriæ salutis studio ; mille gemitus super hoc elicit in suis contemplationibus & amabiles planctus. *Heu ! amor meus*, inquit, *& vita mea, vtinam omnes homines sentirent quod ego persentio & viderent quod ego video ; tunc & ipsi concupiscerent sed amabili necessitate quod ego, nulli conferendo, indicibili, & indeficiente, languore concupisco : quid est hoc ? ignis accensus est in omni terra, vt omnia comburat, & tamen tam pauci comburuntur, paucioré́sque adhuc*

in eo consumuntur? ô cæcitas miranda & ingemiscenda. Ha: inquit alibi, *incomprehensibilis miseria! ergo-ne hominem, qui ad hoc creatus est, vt sit Deus: in carne manere*: Attamen aiebat sub obtentu Dei honoris & gloriæ, non esse zelandum contra malos, nisi officij ratio cogeret; non quod culparet amabiles animæ affectus conquerentis cum Deo de peccatorum excessibus & immoderationibus: sed quia hostis erat apertus, ementiti zeli, quem superbiæ pallium nuncupabat, cui impotentis animi motus, & indignatio frequenter adiunguntur. Vnde & erga omnes summa cum suauitate & benignitate se habebat, dicens perfectæ esse charitatis & humilitatis dumtaxat, aliorum defectus & inordinationes perferre. Et ex hôc caractere eos discernere solebat; qui in interiori vita multùm erant profecturi; asserens audacter; non sustinentes aliorum defectus, mortis & abnegationis spiritualis esse incapaces.

Erat etiam eorum inimicus qui cum charitatis dispendio iocantur, ridiculísque modis proximorum facta ementiuntur & pro theoremate habebat, vbicunque hic reperiretur defectus, ibi ne scrupulum quidem esse diuinæ simplicitatis; quæ tamen indicium esse debet & insigne animæ veraciter à Deo motæ. Tanta etiam afficiebatur commiseratione, & teneritudine erga aliorum infirmitates & afflictiones, vt illis multò maiùs quàm suis propriis commoueretur; dicerétque eum omnem, qui Deo fidelis est, currere indubitanter, in omni euentu, ad iuuandum in necessitatibus proximum; nec vmquam tædio aut temporis diuturnitati succumbere; de quo nobis (dignum certè quod æternitati mandetur) hoc tradidit effatum, scilicet veram fortémque charitatem nec præceptum quærere nec debitum, ad iuuandum proximum, sed ansam dumtaxat, & copiam.

CAPVT SEPTIMVM.

De donis Scientiæ, Sapientiæ, Consilij & Intellectus.

NAturæ dotes & dona commendare in homine naturâ penè exuto, qui eam quoad vixit quantùm potuit insectatus est, & supprimere (vt cum eo loquar) atque exinanire pro viribus ad exanimationem vsque contendit : fortasse videbitur incongruum, & à ratione quasi alienum ; Quia tamen naturam non destruit, sed perficit dumtaxat gratia, & (vt nos D. Thomas edocet) quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat & disponit, vt ad id ad quod eliguntur inueniantur idonei : fatendum est, electum à Deo, vtriusque authore, naturæ dico & gratiæ, humilem hunc cœcum, vt per eminentem contemplationem, mirabilémque quam præ oculis habemus perfectionem, nostræ reformationis & strictioris obseruantiæ, per tot iam tum prouincias, & vniuersum fortè ordinem diffundendæ ; basis fieret, columen, & firmamentum ; hunc inquam præuentum fuisse à Deo, non ignobilibus naturæ donis, sed acri ingenio, subtili intellectu, & forti firmóque iudicio fuisse ditatum ; vt diligentiùs inquirenti, & gratiam à natura segreganti, in omnibus eius operibus, dictisque & scriptis tam in seculo quàm in ordine, facilè patebit. Quæ quidem dotes, & naturæ dona habuêre se ad gratiam, & spiritus sancti charismata, non secus ac palæ aureæ, aut argenteæ, quibus pretiosissimæ gemmæ ab industrio aurifice eleganter inditæ sunt, vt & in aliis benè multis, accidit insignioribus sanctæ Ecclesiæ luminibus. Tres huiusmodi gemmas timorem scilicet, fortitudinem, & pietatem in optima indole, & ardenti ad amplexandum bonum propensione, aliisque multis, vis eius appetitiuæ congenitis dotibus, diuinitus insertas vidimus : Superest vt eximias vis eius rationalis subiectas supra dotes, quatuor etiam intellectualibus donis, velut quatuor pretiosissimis margaritis scientia scilicet, sapientia, consilio, & intellectu, pariter exornatas & locupletatas breuiter comprobemus.

Donum scientiæ supernaturalis infusum Fratri nostro Ioanni à sancto

ſancto Samſone inficiabitur nemo, qui cœcum ab incunabulis, ac proinde pauciſſimis rerum viſibilium ſpeciebus inſtructum, nullo ſcientiarum naturalium, niſi leuiſſimo Latinæ linguæ tinctu infectum: nihilominùs apprimè differentem de rebus naturalibus, cáſque inuicem, & cum ſupernaturalibus doctiſſimè conferentem, curioſiùs obſeruabit. Quis enim eo altiùs vitæ Spiritualis & contemplatiuæ penetrauit arcana? Quis naturæ genium, appetitus, & inſtinctus, ſubtiliùs expiſcatus eſt? quis creaturarum ab authore ſuo dependentiam, & ſubordinationem naturæ ad gratiam perfectiùs agnouit? Sufficiat, horum pauciſſima eum latuiſſe, quibus inſtructi, eruditi habentur & Magiſtri. Quanquam hæc omnia more Apoſtoli exiſtimaret detrimenta propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti, propter quem omnia arbitrabatur vt ſtercora. *Exinde*, inquit in ſuis contemplationibus, *poſſemus anſam arripere omnem hanc explanandi veritatum abyſſum, omnibus omnis generis ſenſibilibus & manifeſtis per totam elementarem naturam demonſtrationibus; ſed omnem pro viribus explicitatem ſemper diffugi. Decet nos quàm optimè doctiſſima ignorantia, ſiquidem infinitè amantes, abhorremus à naturali ſcientia, quæ panis eſt hominum duntaxat moralium. Sed infinitè plus dico, nolle nos etiam intimi amoris ſcientiam, & tamen fit per eumdem amorem, tantò excellentiùs, mirabilibúſque nos eâ perfundi quantò minùs eam deſideramus, & de ea cogitamus.*

De diuina Sapientia tam multa dixit, & conſcripſit, vt nil frequentiùs haberet in ore: de quo certè vt de pleniſſimo fonte, velut torrens innundans ſemper profluere & iugiter manare viſa eſt: quod omnibus qui aliquâ eius conſuetudine vſi ſunt, vel ſcripta eius vtcunque perlegerunt adeò notum eſt, & manifeſtum; vt probatione non indigeat, & ampliori ſermone. Porrò tam ſolicitè eam coluit, tam tenerè dilexit, támque vehementi ſtudio in omnes homines effuſam concupiuit; vt humanam illam moralium hominum Sapientiam, intra naturæ leges duntaxat incluſam, ferre non poſſet; in háncque præ amore iſtius; velut in aliquod horrendum monſtrum, ſibi intolerandum ſæpiùs inueheretur. Quod certè ſicut condonandum eſt amoris eius exceſſui: ita & illum efficaciſſimè probat: illarúmque non ſegniter ponderandum diſcrimen euidenter arguit. Maximè vero iſtius dignitatem & excellentiam

cellentiam in suis scriptis frequenter expressit, cuius specimen, instar omnium, breuiter hic subiicio. *Nostra*, inquit, *sapientia non est sicut antiquorum Philosophorum sapientia, sed diuina, non ei vacamus vt speculatiua Scientia studio, sed arctissimâ animarum cordiúmque nostrorum vnione cum Deo, à quo excellenter abundantérque amorem & sapientiam quasi vnum accipimus; cuius ope cum prudentia (quæ eâ digna est) vbique operamur; omniáque opera nostra diuinitus temperamus; nec vnquam ab ea sicut nec à Deo, vel minimâ extrouersione discedimus. Talis est in nobis iugis sanctissimi Spiritus effectus, qui ineffabili suo amore omne quod reperit imperfectum, absumit.*

Quæ supra diximus capite tertio huius tertiæ partis de cœca Cœci nostri obedientia, ferè omnia ad donum consilij pertinent: Eius enim quam illic astruimus ad omnes diuinæ voluntatis nutus, perfecta mobilitas, quid aliud est quam doni huius certissimus effectus, per quod Spiritus sanctus ita voluntatem eius ad diuinam composuerat & conformârat, aut potiùs in diuinam conuerterat; vt prorsus deiformis esset, nihílque amplius nec intus, nec foris operaretur, quàm diuino eius motu iugiter acta: in tantùm vt Deus ei nonnunquam signo aliquo sensibili & externo voluntatem suam aperiret. Die quadam cum simul conferrent ipse & Confessarius eius, audierunt distinctè quasi pulsantis manus alicuius ictum super mensam cubiculi in quo erant: statim intellexit Frater, hoc propter se datum esse signum, continuóque surgens ait Confessario, commoneri se à Deo, collatum satis esse, proindéque discedendum; quod ei & sequenti die confirmauit, addens insuper quod (si non discessisset) longè alium multo maiorem fragorem audiuissent. Quod item aliàs à multis è nostris multifariè est auditum. Adeóque omne tempus eius mensum erat diuinitus; ita vt ne momentum quidem vnum amitteret. Deus enim eum certiorem faciebat aut interius, aut huiusmodi externâ significatione, aut quouis alio modo, cum tempus erat à colloquio, aut quauis alia actione cessandi. Agnouit etiam se, cum aliquando pulsaret Manicordium, signo quodam sensibili ex imo instrumento audito, vt cessaret, fuisse diuinitus admonitum.

Obseruauimus antè, solitum fuisse, summo mane ad sacram synaxim accedere, vt famelicum suum languentémque expleret

panis huius cœlestis appetitum ; & plus temporis haberet ad consumendas species Sacramentales ante refectionem ; quadam autem die propter aliquam causam quæ ei sufficienter vrgere videbatur, volens etiam antequam sacrum audiisset, sanctissimam Eucharistiam participare ; Deus illi sensibiliter testatum fecit, hanc apud se actionem non probari ; ascendens enim altaris gradus, vt sanctissimam sumeret Eucharistiam, prohibitus est, & quasi manu inuisibili detentus ; statímque intelligens quid hoc significaret, descendit, & pro more Missam audiuit ; quâ finitâ liberrimè sacram synaxim adiuit.

Donum Intellectus à Sapientiæ dono sæpissimè indiscretum in scriptis eius habemus ; tribuens scilicet in sua simplicitate (quam accuratiori diuisionis gratiarum, & donorum Dei disquisitioni, semper anteposuit) multiformi Dei Sapientiæ, & hoc discretum ab ea Spiritus sancti donum ; quod & ei pariter infusum ex eius variis effectibus certissimè colligimus. Enimuerò assequebatur in instanti mysticum sacræ Scripturæ sensum, quam singulari prorsus obseruantiâ & amore prosequebatur, sciens illam memoriter ferè integram. De difficilioribus Theologiæ quæstionibus appositè omninò disserebat, & eruditè loquebatur. Germanum Patrum Ecclesiæ comprehendebat sensum, quorum benè multas dum ipsi legebantur, collegerat spirituales sententias ; quas etiam in modum Paraphrasis exposuerat, vt videre est in eius operibus. Denique homo erat verè Theodidactus, in Spiritus sancti Scola edoctus. *Non sumus inquit absque sufficienti Dei scientiâ, per quam explicaremus si nobis esset collubitum, Fidei nostræ mysteria, simplicitate altissimâ, excellentissimâ, summè intellectuali & profundâ. Quod si nos daremus ad ratiocinandum ; diuinarum rerum rationes excellenter possemus explorare ; sed & istud nolumus, contenti manere inclusi, & absconditi, tanquam mortui & viuentes in nostra diuina viuente sepultura, quæ Deus est.* Porrò quod mirantur singulariter hoc in Laïco docti ; est vtique cogitationum eius & rationum perspicuitas, atque accurata omnium eius verborum & sensuum cum naturalis & supernaturalis veritatis legibus consensio atque conformitas ; vt ex hoc duntaxat, meritò astruatur (veluti necessarium in eius anima, & superabundans) hoc Intellectus Spiritus sancti donum.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

De Dono Prophetiæ, aliisque gratiis gratuitis.

QVia fortiũm ingeniorũm (quibus hodie abundamus) & sagacitas, & eruditio, multa quæ de Sanctis leuiùs astruuntur, non insipienter cribrat & explodit: dum qui scribunt, sibi indulgentes, affectui suo erga Sanctum magis student, quam veritati, & pietati ducunt mendaciola confingere vt Religionem, Sanctitatémque commendent: Libenter abstinemus à multis non inuerisimilibus, quæ possemus hîc attexere, vt sanctimoniæ Fratris nostri, & gratiæ apud Deum, fidem ampliorem adrogaremus: ne dubia pro veris supposita, & incerta certis interpolata, veritatem omnem apud cordatos viros, & pro vna stantes non cespitante veritate, labefactarent. Itaque nobis erit satis si dixerimus, videri Deum dono Prophetiæ eum in multis decorasse. Cum enim adhuc esset in seculo, prædixit R. P. Matthæo Pinaldo, vt supra dictum est, multorum ingressum in Obseruantiam & Reformationem Carmelitarum Rhedonensium, qui eam fulcirent, tuerentur, & propagarent. Deinde Religiosus factus, prædixit ei pacem anni 1620. inter Regem Ludouicum XIII. felicis memoriæ & Reginam eius matrem; asserens hanc pacem, eo temporis articulo fore concludendam (vt reuerâ accidit) quo bellum fortius instare crederetur. Similiter inquisitus ab eadem Regina Maria de Medicis, in vltimis suis offensionibus, quid ipsi videretur de suis negotiis, prædixit (vt ante notauimus) in prima quidem Maiestatem suam, post aliquot tempus ab hac afflictione futuram liberam: sed in secunda debere se comparare ad multam patientiam; quod euentus verissimum comprobauit. Mulier quædam iunior, ægrè ferens, quod ex matrimonio prolem non susciperet, orationum eius coram Deo exorauit interuentum; annuit ipse votis eius, & futuram breuî matrem spopondit; sed & prædixit, huiusmodi gaudium diù non permansurum; quod reuerâ vt dixerat accidit, mulier enim peperit filium: sed non perdiu lucis vsurâ potitus est.

Quantùm fuerit oculatus noster Cœcus in discernendis spiritibus, vitæ eius series, & scripta amplissimè demonstrant. Cùm ei Dæmones laqueum parabant specioso obductum sipario, illico fraudem explorabat & artem, etiam antequam excuderentur. Ita versatus erat in omnibus eorum insidiis, vt nihil aduersus eum proficerent; sed in omnibus congressibus confusi semper & ignobiles ab eo recederent. Naturæ verò callidiores motus & instinctus quis perfectiùs agnouit? Dixerim liberiùs vix alium reperiri, qui versutias eius & dolos altiùs sit perscrutatus; vtpote qui subtiliores eius radices incunctanter euellere, & vt ipse loquitur, supprimere, quoad vixit nunquam destiterit. In aliis, verò etsi nullius regimen priuatim susceperit, semper tamen perfectè eam (quantùm fieri poterat) expiscatus est, quod videre est ex sapientibus & vtilibus consiliis, quæ omnibus, omnis status & conditionis cum adeuntibus, semper & vbique dedit. Generalia verò, sed ei propria (quæ in hoc genere plurima edidit theoremata) vberem hanc & supereffluentem comprobant gratiam; inter quæ hæc duo multifacienda duco, quæ penultimo subiecimus capite. Primùm est, vnius esse perfectæ charitatis & humilitatis duntaxat, aliorum defectus sustinere, & ex hoc charactere eos debere discerni qui in interiori vita multùm erant profecturi. Alterum, eos qui cum charitatis dispendio iocantur, modis ridiculis aliorum facta ementientes, nec scrupulum quidem diuinæ simplicitatis habere. Sed audiamus eum semetipsum prodentem, & quid de se sentiat in hac materia pro suâ summâ simplicitate liberè confitentem. *Quando* (inquit) *dixi spiritualem iudicare omnia & à nemine iudicari, non fuit mea mens dicere, & infinitè minùs credere, non conuenire sanctæ Theologiæ nos iudicare in iis quæ ad fidem pertinent; sed hoc dicimus iudicare nos omnia vt de omnibus quæ spectant ad strictiorem bonorum morum perfectionem, quod vtique scientia est, subordinata dono Sapientiæ à Spiritu sancto infusa; scientia inquam quæ continet discretionem spirituum, ad omnia patefacienda, omnia diiudicanda, & omnia ordinanda, super euentu quocunque, sensuum instinctu, & lumine naturæ, spiritum ementientis Dæmonum, aut Dei ipsius, & eius gratiæ.*

Quod spectat ad gratiam curationum, dicere possumus prima fuisse Nouitiatus eius tyrocinia, in quo præsentissimum & efficacissimum

cissimum sancti Spiritus donum, abundè probauit in innumeris penè febricitantibus, quos vndique ad se accedentes, & singulis diebus mane post dictam Primam ad Ecclesiam nostram simul conuenientes, omnes (quotquot se se offerebant) publicè curauit, & perfectæ sanitati restituit. Sed non sunt hîc repetenda quæ fusè satis primâ parte deducta sunt, cum illic habeamus huiusmodi Fratris nostri curationum gratiam, ab illustrissimo Dolensi Ordinario palam exploratam, & solemniter comprobatam.

CAPVT NONVM.

Summa eius Religio erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & quomodo sacræ species ad sex horas in eius stomacho permanebant incorruptæ.

EXpertus hanc veritatem si quisquam alius, noster Frater Ioannes à sancto Samsone, quam nobis de se prodidit ipsamet incarnata veritas (*ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat.*) Maximè in augustissimo Eucharistiæ Sacramento, vtrique huius ignis centro, ardores eius, æstus, feruores, & omnes verè mirabiles diuinæ conflagrationis, persensit effectus. Vnde & eius tantò tenebatur desiderio, tam ardenti studio, sensu, & affectu in illud ferebatur, & erumpere solebat: vt mirum sit quomodo de eo loquatur in suis exercitationibus. *Tuus est ignis* (inquit) *qui accensus est in terra, & cuius flamma super omnes Cælos ascendit, rapiens omnes beatos, & homines intimos tuos amicos; siquidem hi cum tua persona & Maiestate accipiunt omnem tuum ignem, vt ita loquar, omnem tuum amorem, omne tuum bonum, & omnia tua dona. Ideò quò magis te comedimus ô amor meus & vita mea, eò maiorem tui famem & sitim patimur; nósque abundantiùs reples & satias infinitis tuis deliciis, ad totalitatem amorosæ tuæ fornacis; quæ nos adeò suaniter vrit & consumit, vt illic deficiamus & expiremus, nostrâ totali exinanitione & in te transfusione; vnde exire, etiam ad momentum, nobis est infirna mors. Et vnde magis ac magis nos immergimus in abyssum tui totius, vbi omnium, ac nostri ipsorum obliti absorbemur*

penitus ab ardentibus tuis flammis & incendiis, quæ nos consumunt, & in te semper magis ac magis transformant, vsque ad supremum possibile creaturæ punctum.

Tales erant sanctissimi Sacramenti in hac anima, diuini effectus, adeóque egrediebatur ex hac mensa (ad quam ex dispositione Superiorum singulis diebus accedebat) ardens amore, & amorem spirans quasi Seraphim; quod passim & ferè semper elucebat in eius ore: sed maximè quando immediatè post, aliquid eum dictare & scribere contingebat; obseruarunt enim eius Secretarij (quod obsequium per quindecim menses & vltra me illi præstitisse summo honori, felicitatíque duco) eum tunc cum tanta sensuum, effectuum, & luminum copia dictare solitum; vt videretur esse non mortalis homo, sed Angelus aliquis è Cœlo delapsus, & humanâ carne vestitus.

Pluris faciebat, vel vnum accubitum huic sacratissimæ mensæ, omnibus gratiis & Dei donis quæ extra eam acceperat; dicens in ea perfici & feliciter consummari sacratissimum matrimonium, & mysticas animæ suæ cum Sponso suo nuptias; vt videre est in quadam eius contemplatione, vbi postquam amarè defleuit infidum & ingratum Christianorum animum, qui corde languido & sæpè gratiâ sanctificante destituto, hoc amoris Sacramentum adeunt, sic suum charissimum alloquitur Saluatorem. *Ad quid (amor meus) hîc tibi de huiusmodi infelicibus loqui, quorum omne gaudium in carne est? Nobis autem quid conuenit nisi appetitum nostrum irritare, vt iugiter te manducare & bibere concupiscamus: Cum hæc sit maior voluptas & maior gloria, quam tibi in hac vita exhibere possimus. Imò est ipsa consummatio, & diuini nostri inter te & nos matrimonij perfectio. Quod tua Diuinitati adeò iucundùm & delectabile est, vt ipsi Angeli & cœlestes Spiritus summoperè delectentur hoc ineffabili mysterio; vnione dico nostri nihili cum tua totalitate, per humilem & amabilem nostram sacri corporis tui sumptionem, qua ratione magis ac magis in te transformamur.*

Hic amoris excessus, & summa deuotio erga sanctissimum Sacramentum, fuit à Deo duabus singularibus prærogatiuis, iam ex hac vita repensa. Prima est, Deum huic pio Cœco quasi inuisibiles dedisse oculos, ceu virtutem quandam supernaturalem, quâ sanctissimi Sacramenti præsentiam agnosceret: adeò vt cum de

de vno loco in aliud asportabatur, visus sit (nullatenùs admonitus) genua ponere vt illud adoraret. Et ipse cuidam Superiori confessus est, Deum sibi quandam largiri notitiam, quâ, non monitus, certior fiebat de Superiorum, & Sacerdotum præsentia; cuius rei rationem ignoraret & causam. Hæc ipsa sunt verba relationis, quam hic Superior manu suâ tradidit exaratam.

Altera prærogatiua est ipsum, post sex horas, & vltra, sacratissimas species Eucharisticas in stomacho suo sensisse incorruptas; quod singulari ducebat gratiæ, & omnibus anteponebat beneficiis, quæ à diuina Maiestate accipere potuisset; idipsum est quod Confessario suo aperuit Reuerendo P. Valentino à sancto Armagillo, & postea in suis scriptis sub his terminis testatum fecit. *Probo* (inquit) *aliquorum rationem, qui sanctissimo altaris Sacramento singulariter addicti, optarent diutiùs habere incorruptas in se species, consequentérque benedictum nostrum Saluatorem; vt se in infinitum mare totalitatis eius ex omnibus viribus immergerent & liquefacerent. Quod si inter hos inuenirentur aliqui, in quorum stomacho sacratissima Hostia ad duas, tres aut quatuor horas, imò etiam ad sesquidiem, incorrupta remaneret, (quod illi optimè dignoscunt, & sensibiliter discernunt.) hoc ab illis debet computari pro singulari dono, & summa gratia quam obtinere possint in hac vita à Saluatore nostro, quem in suo amore infinito possident.*

Hac igitur insigni prærogatiuâ donatus est, vt in suo stomacho singulis diebus incorruptas tamdiu seruaret species: verso (vt ita dicam) naturali calore in amorem supernaturalem. Ex quo inferre pronum est quantùm delectaretur castissimus hic sponsus in purissimo sinu, & tenerrimis amplexibus amabilis huius Cœci. Vnde & alia non minor elucet prærogatiua quod posset scire, quandónam species alteratæ, & digestæ essent, proindéque Sacramentalis IESV-CHRISTI præsentiæ notitiam habere sensibilem. Propterea summo mane, vt plurimùm hoc cœlesti pane vescebatur, & vt sacramentales species ante refectionem consumerentur; & vt citiùs diutiúsque suaui & iucundâ dilecti sui præsentiâ frueretur. Vnde & scripsit, non debere hostiam diutiùs in ore seruari: sed statim gluttiri; alioquin, ait, esset quasi remorari ad ianuam regem intrare optantem, & apud suum clientem diuersari. Qui sensus valdè simplex, animâ fame-

licâ

licâ huius cœlestis alimenti, & sibibundâ digus est: cui minima dilecti sui absentia completum est seculum.

Hic sanctissimus homo sic quotidie pastus Angelorum pane, verè implebat opere, quod sanctus Iob dixit de se, (Antequam comedam suspiro.) Intolerandum enim ei erat astringi cibo corruptibili, degustatâ suauitate mannæ huius sacratissimi, grandium & fortium animarum cibi; mórsque illi erat durissima ab hac mensa regis descendere, vt vesceretur alimento bestiis, & hominibus communi. Aliquos hac de re sensus & affectus ex eius canticis exscriptis in vnum collegi hic subiiciendos. *Queror, ô amor meus, miseriam meam, videns, & quod oporteat me corruptibili animantium cibo vti: Cum olim sancti amici tui te solo, diuinóque tuo sacramento viuerent, & diuinitate tua, adorandáque carne inuisibiliter alerentur. Inde tantas secundum spiritum hauriebant vires: vt quasi nescirent sicut cæteri hominum lapsum & imperfectionem. Exoptaremus quidem, ô amor meus, ipsis esse similes: hac enim ratione quasi soluti à corpore essemus; omnésque nostræ vires in te prorsus immersæ & absorptæ, tibíque adhærentes, non se amplius in creaturis quæritarent. Sed (ô amor meus) satis mihi sit opportet, status meus; cum non merear tantam apud te gratiam, hanc libenter sanctis tuis remitto & quod meum est, sequar te pro viribus in omnimoda mei ipsius renunciatione, moriendo, & imitando te vbique, nude, & supra omnia, tam in corpore quàm in spiritu.*

Porrò dicere solebat hanc esse veram ad hoc sanctissimum sacramentum dispositionem, animam nostram & corpus ei personaliter exhibere, quem accipimus, ad reciprocandum amorem eius. Animámque verè amantem, quæ IESVM CHRISTVM sub hoc sacramento suscipit, addere paradisum paradiso, propter amabilem vnionem, quam iam habebat cùm Deo. Denique aiebat huiusmodi actionem tantopere esse concupitam ab anima Dei amore verè succensa, vt si ipsi licitum esset, & possibile, centies in die sanctissimum hoc adiret sacramentum.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

Ardens eius crucis, & austeritatem amor.

VEreor equidem, ne toties subiecta fratris nostri, amantissimæ suæ crucis, studia; tandem aliquando recrudescant, aut tædium pariant atque fastidium in animis legentium: quia tamen vt fidelissimus Christi æmulator, crucis huius singulariter amans fuit, & supra modum austeritatis laborúmque studiosus: hoc ipsum præterire non possum, nec ab iis quæ illud efficaciùs probant (breuissimè tamen) perstringendis, iustè & prudenter abstinere. Nullo per totam vitam teneriori amoris sensu fuit vmquam affectus, quàm erga crucem, passionem, & mortem. Adeóque ipsemet agnouit, (castos suos diuinósque canens amores, in aliquo suorum canticorum) tria se habere in hoc mundo in quibus vltro requiesceret, & iugiter commoraretur; crucem scilicet, amorem, & mortem: asserens tamen amanti animæ, tria hæc, esse vnum; vtique intelligens crucem & mortem, suum esse amorem: crucem & amorem, suam esse mortem: & amorem ac mortem, suam esse crucem. Itaque præ omnibus huius mundi delectabilibus crucem dilexit; nec est concipere, quàm tenere & amabiliter de manu Dei, & numquam de alia susciperet, quæcumque illi à quacumque creatura pati conueniebat. *Inuitamur,* inquit in suo de tribulatione tractatu, *suademur, & vehementer excitamur ad prosequendas cruces, & amabiles crucifixiones, acerrimâ & efficacissimâ Saluatoris nostri instantia, qui non solum nos ad id, in qua pro nobis passus est, accendit: Sed etiam potenter & necessariò cogit, tam suaui (tamen amabili, & internâ) libertate, vt nil desideremus, amemus, & acceptemus tam amorosè & suauiter, quàm crucem & passiones.*



Huius ergo veritatis altissimè cordi ipsius infixæ luce collustratus, crucem anteponebat eminentioribus luminibus, & sublimioribus emanationibus, quæ ipsi à Deo in contemplationibus suis possent infundi. Audiamus eum & istud coram ingenuè agnoscentem. *Volumus* (inquit) *& optamus, ô chara mea vita, mediante*

diante tuâ gratiâ, amori tuo nos conformare, & consumere in tuis amabilibus pœnis. Omnis tuarum nobilium, & excellentium in nobis operationum, sublimis theoria, huic veræ & fideli cedat exercitationi; Mihi enim multò magis placet videre te, & sentire viuidâ dolorum tuorum imitatione, quàm videre, sentire, cognoscere, & intelligere multiplicem multifariúmque ingressum, & emanationes motuum tuorum, notionum radiorum & splendorum, sine hac vita tua conformitate.

Eius scripta, maximè contemplationes scatent huiusmodi desideriis patiendi pro Deo, quæ hic homo credens se vltimum vitæ suæ attigisse diem, sic Deo amabiliter exponit. *Quantùm ad id quod foris est, gratissimæ semper mihi fuerunt sufferentiæ & labores, vt cibus meus, & potus delectabilior, & hoc ad acerrimam tuam æmulationem (charissime amor mi.) Sed nunc hoc mihi videtur tempus breuissimè emensum, præ insatiabili & famelico meo, te acriter imitandi studio, tam foris quàm intus, in tuis amabilibus pœnis & doloribus.* Et verè non leuis ipsi cruciatus erat & dolor, quòd neminem haberet qui se persequeretur, & pro optato suo, se crucifigeret; hocque summæ ducebat miseriæ, confusioni, & Dei vindictæ; nouam exinde humiliationis, abnegationis, & profundæ inter manus Dei resignationis, ansam arripiens; vti videre est in eius tractatu de tribulatione. *Quod nobis magis expedit* (inquit) *est intimo profundóque Dei in seipso amore, per omne totius vitæ nostræ tempus, presso pede firmiter expectare, quod peius homines, & omnes creaturæ nobis vmquam inferre possint. Adeóque cum nihil nobis horum euenit, infinitè confundimur in nobismetipsis, & obstupescimus; cùm propter hæc: tùm propter altissimam nostram indignitatem & miseriam, attamen abnegantes nos amabiliter: sustinemus Deum operantem in nobis, & de nobis quod ei collubitum est; tribuentes quantùm in nobis est, & in infinito eius amore, quod multum est, imò ipsum totum sanctis eius: nobis autem in iustissimâ eius iustitia, confusionem & miseriam. Rationem habebit Deus, non eorum quæ operamur, sed quæ exoptamus operari, & pro eo pati.*

Dum hæc scribo, videre mihi videor Apostolum prouocantem audacter tribulationem, augustiam, famem, nuditatem, periculum, persecutionem, gladium, mortem, vitam, Angelos & omnes creaturas, ad irruendum contra se, & tentandum, num se à charitate Dei quæ est in Christo, separare possint: Aut nostrum

Martyrem

Martyrem Ignatium (cuius sanctissimum caput in hocce nostro Auenionensi Conuentu, in quo scribimus honorificè, vt pretiosissimum thesautum asseruamus) ardore patiendi, leones lacessantem, & allicientem, ad se manducandum, contestantémque crucem, bestias, ossum confractionem, membrorum diuisionem, & omnia tormenta Diaboli vt in se veniant, & Christo fruatur. Tale est Cœci nostri hunc in modum amantis, votum; cui cruces & mortes, fuere semper per omnem vitam cibus suauior, & delectabilior potus. Tale eius iuge studium & desiderium, presso pede firmiter expectare, quod peiùs homines, & omnes creaturæ, ipsi vnquam possint inferre, & summæ confusioni ducere, miseriæ, & Dei vindictæ, neminem habere persequentem, seque pro optato suo crucifigentem. Hic sensus, & amoris supremi affectus, longissimè abest à mundanorum cura & solicitudine vtique fugientium quantùm in ipsis est, creaturarum omnium perecutionem & contemptum; nec cogitantium de sapiente & pretioso Saluatoris in carne positi consilio, gaudendi, & exultandi, cum nos persecuti fuerint homines, & exprobauerint, & maledixerint; eo quod merces nostra multa sit, & copiosa in cœlis.

Vt igitur studiosus hic Crucis amator, non inueniebat inter fratres suos, optatas patiendi occasiones, in congregatione ex Dei misericordia secundum charitatem ordinata: seipsum acriùs persequebatur, vexabat, & pro viribus insectabatur. Frequenter disciplinā accipiebat, & quidem asperrimè, ac per longius temporis spatium; adeò vt nōnulli Religiosi sæpiùs ad ianuam cellæ eius pulsare coacti sint, vt ab ea desisteret. Maximam partem noctium, omninò vestitus, & super palearem mattam negligenter iactatus, ad permodicum tempus quiescebat; reliquo noctis tempore, orationi vacans, aut Dæmonum insultus & impugnationes sustinens. Denique ieiunia Ordinis omnia semper obseruauit, & omnes eius austeritates, pœnas & labores (quoad vixit) id est vsque ad 65. annum absque dispensatione sustinuit. Sed vt verum fatear, non fuerunt hæ corporis macerationes, grauiores eius dolores, & cruciatus acerbiores; veræ cruces eius, & amariores mortes, fuerunt intrinsecùs in multis angustiis pressuris, deiectionibus, caligine & obscuritate, ex absentia dilecti sui, quæ tandiù passus est, donec eminentem illum contemplationis attingeret

 statum,

statum, ad quem Deus eum efferre decreuerat. Hanc esse suam supremam crucem, & equuleum omnium altissimum, euidenter aperuit; cum nobis sanctissimum hominem Iobum huic vndique foris & intus affixum in suis scriptis tam sapienter & eminenter expressit: vt & ipsum eundem omninò cruciatum multoties fuisse expertum, fateri necesse sit. Hanc inquam singulariter esse suam Crucem, cui se Christo confixum sæpiùs in vita & in articulo mortis ingenuè confessus est, manifestè probauit: cum paucis agnitam verissimam hanc rationem & causam cur ad tot excessus vir iste mortalium omnium patientissimus eruperit, (scilicet quod non haberet in summa sua inopia quo figeret pedem, id est, vel minimam refrigerij speciem, qua se subleuare posset, & tantisper consolari) planè diuinitus, vtique eadem diuina passus, exposuit. Eodem enim (inquit) tempore quo tot & tantis ægritudinibus laborabat in corpore, tótque angustiis premebatur in mente, eodem planè omni omninò destituebatur interiori leuamine: Vnde nudus corpore, spiritu pauperior, verè miserrimus, hac diuini luminis orbitate, & solatij cœlestis absentiâ, qua muniti etiam ipsi infirmiores, efficiuntur fortissimi; quasi à se abductus, & sensu deficiens præ dolorum multitudine, & angustiarum pondere, ad huiusmodi soluebatur imprecationes & excessus, quos videre est in sacris codicibus. Qui quidem excessus haud dubiè (inquit) in homine de vulgo crimini verterentur, aut certè vesaniæ, vt reuera vertebantur ab amicis eius, sapientibus quidem, & ad doloris vehementiam (vti par erat) obstupescentibus, sed angustiæ & miseriarum summam non attingentibus, quia non erant eiusdem cum eo viæ. At in patientissimo sanctissimóque homine Iobo ab vtroque vindicantur ab ipsomet Deo iusto eius iudice. Et quanto magis videtur excedere, & in suis imprecationibus exorbitare à recta ratione & vera sanctitate, tanto magis & meliùs statum suum eminentissimum exprimit, in quo ab his omninò alienus, vtique sibiipsi planè deficiens & omni creato, profundiùs in Deum (modo sibi prorsus incognito) demersus, totus absorbebatur.

Hæc est igitur inter omnes aliàs crux eius altissima, & cruciatuum omnium verè altissimus, summa illa inopia, & supernæ virtutis omnimoda (saltem sensibilis) ablatio: qua deficiente

tantâ

tantâ nonnunquam inuoluebatur caligine, vt vix ipſe caperet propter quid operaretur, & an Deum intenderet, ſibíque-met-ipſi quaſi ignotus eſſet; vt de ſe loquitur amiciſſimus eius Antesignanus idem ipſe Iob cum dicit: *Viro cuius eſt abſcondita vita, & circumdedit eum tenebris.* Hoc dubiò procul verum eſt amoris eius patibulum; in quo quandiù vixit, naturam ad radicem vſque ſupprimere non deſtitit, & tandem aliquando deficere omninò, & expirare coëgit: veriſſimè dicens cum eodem ſuo Antesignano, *Suſpendium elegit anima mea.* Quaſi diceret è Cœlo nihil accipio, ſed non propterea terræ adhæreo; auertit ſe Deus à me, ſed proptereà ad creaturas non conuertor: malo ſuſpenſus expirare hoc in equuleo, quàm vel minimùm ad meipſum reflectere, vt aliquid leuaminis hauriam aliundè quàm ab eo, cui me totum æternùm probaui? Dedignetur me, reſpuat amorem meum, nec intendat anxietati qua circumcingor vndique, & me tandem in hac ſumma inopia contabeſcere patiatur; ſuſtinebo eum, etiamſi occiderit me, adhuc ſperabo in eum. Iſtud eſt enim quod propoſito gaudio iamdudum elegi, & ſuper omnia complector verè amoris patibulum; in quo vtique mori, atque deficere ſub oculis eius volo, ne amori eius viuens vnquam deficiam.

Hæc ipſa eadem mors eſt, verè omnium nouiſſima & extrema, ad quam recurrendum & in qua requieſcendum ſæpiùs ait in ſcriptis ſuis, cùm in aliis mortibus & inferioris ſpeciei cruciatibus non ſuccurrit nobis aliud è Cœlo ſubſidium; ad hoc ſcilicet ſuſpendium verè conſummati amoris ſummum & altiſſimum patibulum. Sed hæc nimio plus protracta ſufficiant, cum iam à nobis ſecundâ parte fuſius explanata ſint. Hoc tantùm adiicio vt hoc caput de amore Crucis abſoluam; nihil frequentiùs in ore habuiſſe quàm nomen eius; nihilque frequentiùs ad ſe ventitantibus, & ſuam inſtitutionem expoſtulantibus, ſuaſiſſe & conſuluiſſe. Hæret memoriæ altiſſimè infixum, nec vnquam dante Deo exciſurum, quod Nouitiis & iunioribus Profeſſis, vtique mihi pro illo tempore Secretario eius, è cubiculario, ſæpè ſæpiùs repetebat, & quaſi ad tædium inculcare ſolebat: ſcilicet [Gladium in gutture ſemper eſſe habendum] quaſi diceret ſibi nunquam eſſe ignoſcendum, ſed mortificationi ſemper, & vbique ſtudendum. Et iſtud quod in idem recidit [Semper amarum pro dulci, & dulce

pro amaro esse sumendum;]quo volebat innuere,tanti faciendum esse mortificationis studium: vt præ amore illius quod dulce est, amarum, & quod amarum, dulce, reputaretur.

CAPVT VNDECIMVM.

Quantùm eius directio & conuersatio, ad spiritualem profectum conferret, colligitur, ex vita R.P. Dominici à S. Alberto.

DIctum est suprà, Cœcum nostrum fontem esse & originem, omnis vitæ spiritus, & internæ cum Deo negotiationis; quæ abundantiori Numinis æterni munere, in omnem nostram reformationem iamdudum satis liberaliter effusa, etiam nunc non indiligenter excolitur; omnésque vitæ huius studiosos, cùm Superiores, tùm inferiores, eum semper adiisse quoad vixit, quantùm potuêre, & per occasionem licuit; adeò vt eorum sit nullus, qui non glorietur, & felicitati ducat, illum habuisse institutorem, & Magistrum. Quia igitur ex riuo, fons agnoscitur, & effectus causæ nobilitatem probat: placet hic ex multis quos in Christo genuit filiis, oculatus noster Cœcus, quorum aliqui iam è viuis excesserunt æternùm Deo victuri, alij superstites sunt eius vestigiis acriter insistentes, specimen subiicere omnium instar, R. P. Dominicum à sancto Alberto, cui singulariter aperuit, quos intus experiebatur diuinarum operationum motus & ductus. Hic à Prima adolescentia ordinem ingressus, tam arctè spirituali Fratris nostri adhæsit disciplinæ, eiúsque suauitatem spiritus tam auidè degustauit: vt quasi repentinum senserit in corde suo amoris incendium; quod tandem vsque ad incredibiles penè creuit excessus. Adeóque diuinum hunc amorem vocabat inexorabilem exactorem, qui nunquam diceret sufficit: & ei cor inexplebilem in modum iugiter depasceretur. Hac de re scribebat aliquando Fratri Ioanni à sancto Samsone charissimo suo duci, & spirituali Magistro, planè esse mirandam & miseratione dignam animam, hoc amore potenter actam, ad infinitum semper tendentem, nec attingere

attingere valentem: córque suum æquè esse inexplebile in amando & desiderando: ac Deus ipse infinitus est in se effundendo. *Dicere tibi* (inquit) *quas mihi largitur Deus gratias, & quâ ratione mecum agit, verba nequeunt exprimere. Vnum est, ad quod contremisco, modicum fidelitatis quo ipsi respondeo. Videtur enim mihi, Deum cum omni sua Diuinitate illabi mihi; & ego ei dico, ne magnitudinis tuæ mole me premas: patior eum se resoluentem in semetipsum; nec aliud expetit anima mea quàm perlucidum esse speculum, quod sol æternus vtrinque peruadat, inueniendo se semper in seipso. Nihil eius in me manere volo, sed eum suum in me iugem habere fluxum, & refluxum, nihil mihi relinquendo. Mi Frater quid-nam sit hoc experiris. Infelix ego, nisi Deus mei misereatur. Rogo te, diuinam suam Maiestatem exorare, vt non ampliùs me tam vehementer inuadat, aut mihi concedat sequendi se gratiam.*

Adeò incensus erat huiusmodi diuino amore, vt ipsis noctibus quacumque anni tempestate, quotiescumque expergefiebat, quasi extatico abreptus motu, statim in terram desiliret, & genibus flexis diuinam Maiestatem adoraret. Ignis huius amoris etiam foris eruperat, talíque corpus eius æstuabat incendio: vt in ipso aspero in hyeme admouenda essent ipsius stomacho, madida linteamina, mitigandi rigoris ignis huius gratiâ. Pluribus annis sacram Theologiam cum admirabili sui apud omnes probatione legit, sed incredibiles perferendo mortes, in hoc speculatiuarum scientiarum studio nudæ & simplici Dei contemplationi tam opposito. Hinc enim, acre eius ingenium, & summa eruditio multiplici cum specierum scholasticarum grauabant pondere: Exinde verò, internæ eius exercitationes, huiusmodi species non compatiebantur, sed eas quantùm possibile erat, foras mittebant, vt perfectam assequeretur sin pietatem, eiúsque spiritus liber ab omnibus his sensibilibus formis ad Dei fruitionem euolaret, Adeóque in hoc conflictu tormentum am[illegible]is patiebatur, quod eum iugi excruciabat martyrio. *Speculationis exercitatio* (inquit in epistola) *mors est crudelior quam pati possit spiritus amans. Idipsum nouiter sum expertus; cum enim ab ea, per dies quindecim vacassem, omne hoc tempus Paradisus mihi visus est, sed ad studia mea reuersus, speculationémque meam cum contentione spiritus amplexus: (expedit enim) factus sum quasi à sensu alienus; ita vt crediderim me tristitiâ,*

&

& tædio planè conficiendum ; Et nisi enixus fuissem celare dolorem meum ; arbitrati me fuissent Religiosi grauiter laborantem. Attamen in hac morte mihi complaceo, quam credo semper vitâ meliorem.

Verè plus erat infusa, quàm acquisita eius doctrina, & in quotidianis eius expositionibus sæpè digrediebatur, & soluebatur ad tam religiosos, & vnctionem gratiæ redolentes, excessus spiritus : vt audientium animos insuetis collustraret luminibus, & sensibus afficeret omninò diuinis. *Doceo* (inquit suo directori) *duos tractatus, qui tanti quanti sunt, prorsus amoris sunt, gratiæ scilicet & Incarnationis. Pluris infinitè facio quam horum intus accepi à Deo cognitionem, eâ quam in libris addisco. Hæc mea est ; ista propter alios. Hæc est sapientia, illa scientia. Mi Frater, veram sapis Theologiam, & ego licet indignus, aliquid eius sapio ; non lectione librorum, sed liberali Dei in me effusione.* Hi sunt amoris sensus, & affectus, quibus omninò perfusus & exundans discipulus, Magistro suo status sui rationem reddit. Cùm verò simul congrediebantur, & de rebus diuinis liberiùs colloquebantur ; scimus ex proprio huius ore, quod se suis de æternitate, & diuinæ Essentiæ fruitione sermonibus, inuicem abripiebant, manentes per horas integras sic à se ipsis abducti, vt nec vllum verbum, alter ad alterum proferre possent.

Vtinam sublimen eius in omni occupatione & occasione, sibi ipsi moriendi rationem, exprimere possem. Hæc duo verba (*semper mori*) pro lemmate sibi singulariter adsciuerat ; quod tam verè & perfectè implebat opere, vt dici verissimè possit, vni vixisse Deo, modo hominibus ignoto. Quod meliùs exponere non possum, quàm referendo nonnullas sententias, & quædam hac de re theoremata ex eius epistolis ad Venerabilem Fratrem Ioannem à sancto Samsone exscripta, cum in eis se libentiùs aperuerit vtique illi quem habebat conscientiæ suæ rectorem, & in via spiritus ducem.

Quotidie disco mori, & me credens mortuum, adhuc inuenio vita plenum. Omnis abundantia mihi videtur vita : & omnis perfectio mihi videtur impuritas. Et hoc sciens Dominus, dignatur me derelictionum suarum socium : ita vt tædeat etiam nos viuere ; nisi quod vera mea vita, mors est continua.

Si quod haberem in hoc mundo studium, vtique solitudinis esset,

moriendi

moriendi gratiâ: sed æquè in occupatione ac in silentio, mortem inuenio.

Voluntas Domini est, nos vitam nostram conseruare, vt magis ac magis moriamur. Semper enim in mortem tradimur propter Iesum, vt siue viuimus, siue morimur, Domini simus. In hoc gaudeo, sed & gaudebo: quia ad nihil redactus sum, & nesciui.

Moriendum quidem est, sed pro ratione voluntatis eius, qui nos mortificat & viuificat, aliud non est mihi exercitium.

Sentio in me moriendi desiderium, non morte corporis, est enim mihi indifferens: sed morte Angelorum. Mi frater, nosti quid hoc sit. Non puto posse nos viuere absque morte; frui, viuere est; mori, cum anxietate appetere, hæc est vita amantium Deum.

Bonum nostrum in hoc est constitutum, quod absorbeamur ab hoc abyssali amore, qui nos perpetuo deuorat, nec consumit, scis enim quomodo illi sumus, & quibus dictum est, mors depascet eos.

Denique in hac iugi mysticæ, & spiritualis mortis exercitatione, quædam Apostoli vsurparat verba, quibus vtebatur ad exprimendum suum statum interiorem. Vti sunt hæc, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Puto quod Deus nos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos. Quotidie morior. Absorpti sumus in miseria. Ad nihilum redactus sum, & nesciui.*

Porrò Superioris officium hoc est, quod illi frequentius moriendi, sublimi mortis genere multifariam præbebat ansam, de quo sic scribit ad suum directorem. *Fidelis Deus, qui semper triumphat nos in Christo Iesu. Videbantur mihi officia, quibus ante functus fueram, sufficientes moriendi mihi exhibere occasiones: sed quod nunc gero, mors mihi perpetua est. Lemma meum est, omnibus omnia, quæcumque potero in charitate præstare, & propterea censurâ notari, atque calumniam pati, &c. Sed hoc nihil est, præ mortibus internis, quæ reuerâ tales sunt, vt nisi mortis tenerer desiderio, taderet me viuere.*

In hoc Superioris munere, hæc Apostoli verba frequenter habebat in ore. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Quot inordinationes video, quibus mederi non possum; tot mortales sentio aculeos, qui me vtrinque perfodiunt; & expirare cogunt in eum, quem immobiliter sustineo. Videor mihi regimen eius imitari, vtique videntis & ferentis hominum scandala, nec propterea mutati, licèt ei infinitè displiceant. Quasi rupto muro, &*

apertâ ianuâ, irruerunt super me quotidianæ sollicitudines fratrum meorum, quos gesto in visceribus, & quotidie parturio, donec formetur Christus in illis.

Sed non est nostrarum partium, vlteriùs in hanc materiam excurrere; sicut nec in aliam, quæ deberet eam immediate consequi; statum dico vitæ eius, aut resurrectionis spiritualis. Qui est status animæ quasi solutæ à vinculis huius mortis, & ab hoc mystico sepulchro, de quo modo locutus sum, in quo inuenitur tota lucida, & in libertatem filiorum Dei transmissa; hoc enim debetur totius eius vitæ perfectæ elucubrationi. Addam vnum istud, eximium hunc, Cœci nostri oculati discipulum, eum verè fuisse, qui in suis operibus cernitur, & in scriptis quæ nobis de Mystica Theologia reliquit: hominem feruentem, & verè igneum, strenuum Apostoli imitatorem; zelo Dei gloriæ, vt alterum Eliam, accensum; IESVM CHRISTVM non verbo & sermone, sed opere & veritate, amantem. Qua ratione duo hæc verba frequenter vsurpabat, *veritas, veritas: fidelitas, fidelitas*: quibus intendebat innuere, mendacem esse & infidelem Deo, qui non sequeretur constanter vestigia Christi, nec perfectè responderet gratiis & luminibus, quæ anima eius amore mota, ab eo incessanter accipit. De altissima humilitate illius, sufficiat hoc loco dixisse, sublatum ad dignitatem Vicarij Prouincialis, semper fuisse subiectum spirituali disciplinæ nostri Fratris Laïci, cuius exponimus historiam; qua ratione sic ad eum scripsit. *Obsecro te confidenter, vt ad me scribas, quæ mihi vtilius facienda in meis visitationibus iudicaueris, ad promouendam (quantùm potis erit) vitam spiritus; est hoc meum votum, quod perfectiùs implebo mihi ipsi moriendo, quàm multa exterius operando.* Mirum est, quomodo rationem ipsi reddit æquè ingenuè ac simplex nouitius, eorum omnium quæ interius sentit, & operatur; quod videre est, ex eius, quæ nobis supersunt Epistolis; multæ enim combustæ, aut consumptæ sunt, Et quod superest, quasi fortuitò, aut potiùs singulari Dei prouidentiâ seruatum est, ad promouendum sanctissimum eius in fidelibus animabus amorem.

Denique R.P. Dominicus, cuius memoria in benedictione est, & æternùm erit in nostra obseruantia, contrito, & consumpto per triginta & octo dumtaxat annos, suo corpore, laboribus, vigiliis,

pœnitentiis

pœnitentiis, & austeritatibus, in officiis P. Magistri Nouitiorum, Lectoris sacræ Theologiæ, Vicarij Prouincialis, Prioris Conuentualis, alísque honorificis obseruantiæ nostræ muniis: quibus in omnibus semper accuratè vitam regularem est secutus; Nannetis prior Conuentus obiit die 24. Ianuarij 1634. Hæc mors quam verè protiosam coram Deo possumus nuncupare, mors amoris fuit, & complemẽtum vitæ in charitate prorsus transactæ: in tantùm vt pius noster Cœcus, dono discretionis spirituum singulariter præditus, vix fuisse eius tempore maiorem in Ecclesia sanctitatem eâ quæ eluxit in hoc homine, dicere non dubitarit.

CAPVT DVODECIMVM.

De aliis quibusdam diuersorum statuum personis, quas Venerabilis Frater Joannes à sancto Samsone suâ consuetudine, aut directione Deo lucratus est.

ECce iam nostri humilis laïci, aquæ salutaris diuinæ sapientiæ, exundantes fluctus, & absque inuidia, singulari cum prouentu, quæ de cœlo sine fictione susceperat in fratres suos largiter effusa nunquam non æmulanda charismata: superest vt transeamus ad secularem statum, tam Ecclesiasticum, quam laïcum; nec non & ad aliquos Religiosos Ordines: vt & illic vberes sanctæ eius conuersationis fructus exploratos habeamus. Ordior ab illustrissimo D. Antonio *de Reuol*, olim Episcopo & Comite vrbis Dolensis in minori Britannia. Cùm primùm dignissimus hic præsul lydio lapide, vtique obedientiâ, & perfectâ humilitate, spiritus eius & virtutis, experimentum fecit: exinde ita ei fuit addictus, & diuinis eius sermonibus inescatus: vt sæpiùs, etiam ter in die, pedes veniret in Conuentum nostrum, satis distantem ab ipsius castello, vt cum eo, de rebus piis, & mediis ad promouendam Dei gloriam conferret. Eius consilio Conuentum Monialium fundauit in vrbe sua Dolensi, & capel-

lam construxit in campo ab ea modicùm distante, quam etiam sacrauit in vsum & secessum eorum qui peste laborârant; cuius necessitatem ipse agnouerat, dum eos consolaretur, & pro viribus adiuuaret. Ex eius frequenti consortio, tantam contraxit teneritudinem, támque ardentem erga ægrotantes, & agonisantes vrbis suæ, & viciniorum, charitatem; vt semper omnes, quantumcumque pauperes, pedes adiret, consolaretur, & ad benè moriendum, aut suam infirmitatem æquanimiter perferendam, efficaciter disponeret.

Eadem charitate religiosos nostros inuisebat ægrotos, benedictionem suam Episcopalem eis impertiebatur & funeri ferè omnium semper intererat. Æger & ipse arbitránsque se mori, sacrum Ordinis nostri scapulare, singulari cum deuotione nec non & dolore, quod eum non accepisset, ex tunc primùm cùm ei Fr. Ioannes de eo locutus fuerat, de manu R. P. Matthæi Exprouincialis accepit. Non ferente cœlo inuisam mortem tam citò præripere Ecclesiæ sanctæ, Prælatum tot virtutibus insignitum; quam à Deo recepit sanitatem: omnem omnino in operibus virtutum, maximè charitatis, sollicitè rependit. Vérè pater orphanorum fuit atque pauperum; frequentior eius exercitatio, & studium, cùm mentalis, tum vocalis oratio; hostis erat seculi vanitatum; Exemplum & lucerna non tantùm suæ Diœcesis: sed etiam locorum omnium vbicumque demoratus est. Quoties Religiosos nostros, singulariter P. Matthæum alloquebatur, semper Fratris Ioannis virtutes, religiosúmque subiiciebat exemplum; & quam de eo conceperat summam opinionem. Paucis antequam moreretur mensibus, eo vno nomine Rhedonas venit, vt sanctum hunc inuiseret Religiosum; rogauítque vt scriberet sibi spirituale exercitium, ad directionem suam & singulare regimen. Cui frater obtemperauit, tractatúmque scripsit, quem in fine operis huius luce donabimus, sub hac epigraphe, Speculum & flammæ diuini amoris. Quotidie cellam eius adibat, & cum eo aliquando per duas aut tres horas, de mediis ad sanctè moriendum conferebat, quasi suum certò præsensisset proximum finem: Et reuerâ in vrbem suam Dolensem reuersus, in morbum incidit; & breuî alia multa (quæ prætereo insignia virtutis & pietatis opera) sanctâ & pretiosâ morte compleuit.

Non

Non hîc recudo, quam de eo habebat summam opinionem Illustrissimus D. Petrus Cornulier, Rhedonensis Episcopus, (inter alias quibus singulariter præluxit virtutes, iurium Ecclesiæ suæ propugnator acerrimus;) nec, vt sanctâ auiditate eum audiendi de Deo loquentem, in Conuentum veniens, clam se intromittebat, vt monitorum particeps fieret & consiliorum, quibus hic Frater, alium Fratrem Laïcum ex obedientia instituebat. Scio sapientissimum hunc Prçsulem pia eius colloquia numquam non demirantem, dixisse cuidam è nostris non ignotæ virtutis Superiori, *videri sibi, alium videre in deserto Paulum.* Reticeo etiam quæ possem hic attexere de duobus aliis Ecclesiæ luminibus, D. *de Cœspean* Episcopo Nannetensi, & D. *de Vilazel* Episcopo Briocensi, de Domino *de Cussé* supremi Aremoricæ Senatus Primario Præside, de multis aliis huius Curiæ Præsidibus & Consiliariis; nec non & de augustissima Galliæ Regina, Maria *de Medicis*, Matre Ludouici XIII. triumphantis memoriæ Regis. De his enim duntaxat hîc mihi sermo est, quos suâ consuetudine Deo lucratus est; aut qui semetipsos eius disciplinæ, sponte tradiderunt.

Iam ante subiecimus ab initio, pium charitatis officium, quo Presbyter, Parœchiæ dictæ de Roz Dolensis Episcopatus Rector, Fratrem nostrum iamdiù febre laborantem, in domum suam, vt eius curam susciperet, excepit. Hic Rector charitatis studiosissimus, B. Franciscum de Sales Episcopum Geneuensem quam proximè ad effigiem, ore referebat, sed multò magis & meliùs grauitate suâ, suauitate, aliísque benè multis virtutibus. Sororem habebat apud se viduam, ætate prouectam, omnia sua, erga pauperes, & ægros parœciæ, studia, impendentem. Vix aduenerat in domum huius Rectoris noster Cœcus, cum ex tempore non tantùm eius domum, sed omnem circà regionem condire cœpit suauissimo virtutum suarum odore; & statim exploratum est mirabilis thesauri pretium, quo eam Deus huius cœci præsentiâ ditauerat. Rector & Parœciæ Sacerdotes quamprimùm se eius in vita spirituali conscripsêre discipulos; & ipse singulis diebus pios de virtutibus & sui status muneribus sermones ad eos habebat; quibus mirum quantùm delectabatur pia mulier Rectoris soror; quotidie serò solicitè cogens omnes domesticos & famu-

los, vt piorum huiusmodi sermonum, simul efficerentur participes. Inter eos erat vnus Presbyter, scholæ literariæ Præfectus, qui statis diebus discipulos suos ad Fratrem Ioannem adducebat: Ille eos tantâ excipiebat vrbanitate & suauitate, vt eorum animos à ludo & relaxatione sæpiùs auocaret.

Aliquándo eis spiritualem librum ad legendum porrigebat; aliquando super Catechismo interrogabat, instruebátque eos tam facili expeditáque ratione: vt maxima pars parochorum, ad eum videndum, & audiendum pios eius sermones sæpissimè conueniret. Docebat eos mane sua opera ad Deum dirigere, & serò scrutari conscientiam, dies Festos sanctificare, religiosè Sacro adesse, frequentare sacramenta Pœnitentiæ, & sanctæ Eucharistiæ, Denique tenerrimè & singularis deuotionis cultu, Virgini Deiparæ famulari.

Hæc Christianæ Religionis exercitia, quæ bellorum calamitas & iniuria hac in omni regione præfocarant, ita sunt restituta & reparata: vt multi diebus Festis & Dominicis, feruentioréſque etiam diebus Iouis, sua peccata confiterentur, & sacram adirent synaxim. Solemne erat apud omnes etiam infantes, quotidie recitare Litanias B. Virginis. Puellæ à mundanis vanitatibus auersæ, orationi, labori, aut pietatis operibus domi receptæ vacabant; Et multi horum, vtriusque sexus infantium, Religiosum institutum variis in Ordinibus amplexati sunt; hodiéque in nostro quorundam ex eis laudabilis viuendi ratio, cum plena apud omnes sui probatione, testatur. Sic humilis noster Laïcus, electus fuit à Deo, vt verus Apostolus, ad nouandum agrum hunc incultum, & spinas tribulósque proscindendum quos bellum, & hæresis impunè germinârant. Huius enim exemplo Parœciæ, in qua tot operatus est bona: aliæ vicinæ eius virtutis pietatísque æmulatrices factæ: Dei cultum, & pietatis exercitia, seriò amplexatæ sunt. Sed super omnes Rector Parochiæ *de Roz* cum pia sorore sua, mirabiles ex regimine, & disciplina Cœci nostri, cui se impensiùs subiecerant, fructus percêpere; in tantùm vt eorum domus & omnis familia, Monasterij speciem exprimeret; & tam hic quàm illa, religiosam hanc vitam, Religiosâ morte cum suauissimo omnium virtutum odore etiam nunc perseuerante, feliciter consummârint.

Eundem

Eundem, erga duos Concionatores Ordinis ſancti Franciſci ſancta eius conſuetudo, felicem planè habuit exitum. Hi duo Religioſi, quorum vnus erat Doctor, alter Bachalaureus ſacræ Theologiæ Facultatis Pariſienſis, per Quadrageſimam vnus poſt alium, in vrbe Dolenſi Concionati ſunt, paulò poſt profeſſionem Fratris noſtri; quem aliquando adeuntes & cum eo colloquentes, ita demirati ſunt, & verè mirabili eius virtutum odore permoti; vt ex tunc R R. P.P. Recollectorum Reformationem ingredi apud ſe propoſuerint. Et reuerâ Pariſios reuerſi, ſtatim atque ſimul conuenêre, decreuerunt Lugdunum proficiſci, vt propoſitum implerent. Hìc autem ſingulariter notandum eſt, quod eoſdem Pariſiis inuiſens qui iam Ordinis noſtri Superior, inuenit illos cum tribus aut quatuor eiuſdem ſui inſtituti, & propoſiti Religioſis, profuſis lachrymis diſpendium regularis diſciplinæ & perfectionis in ſuo ordine amare deflentibus; Ille exploratâ huiuſmodi lachrymarum causâ, dixit & idem ſe habere lugendi debitum vtique relaxationes, quæ & in ſuum ordinem, bellorum occaſione inauſpicatò irrepſerant. At illi reposuerunt; multùm eſſe diſcriminis, cùm Regula Carmelitarum non præcipiat ſub peccato mortali, niſi in his dumtaxat quæ ad vota pertinent; prætorquam quod vidimus (inquiunt) in Conuentu Dolenſi pium veſtrum Cæcum, tam ſanctè religioſéque viuere, tam vt (quem vndique ſpirat) ſingularium virtutum eius odor, ad introducendam reformationem in omnem veſtram Prouinciam aliundè ſufficiat. Ad hæc Doctor, imò ex pectore ſuſpirans, profuſéque lachrymans in hæc D. Auguſtini verba, prorupit: Surgunt indocti, & Cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce vbi volutamur in carne, & ſanguine. Procul dubiò bonus hic Cæcus nos rubore ſuffundit, fiteri úrque, ipſum plurimùm contuliſſe operi ad quod accingimur Reformationem ingrediendi; quod Bachalaureus iiſdem verbis confirmauit, & die ſequenti abſque dilatione profecti ſunt, vt darent nomina ſua Congregationi R.R. P P. Recollectorum, in qua & ſanctè perſeuerarûnt.

Poſſem his addere quod inſinuauimus ab initio, omnes qui apud illum, cum adhuc ſecularis eſſet, anagnoſtæ officio functi ſunt, ex hoc munere & colloquio, vberes fructus Deo nauiter

ſeruiendi,

seruiendi, semper reportasse. Alij enim Religiosos Ordines ingrediebantur; alij iam professi, reformationes; Alij, in seculo sanctè & Religiosè viuebant. Miles etiam (quod infrequenter accidit) ita pius factus est ex eius consortio, dum Lectorem ageret, vt in solitudinem secedens vacandi impensiùs orationi gratiâ tandem Religiosum susceperit habitum, vt compleret in Dei famulatu, perfectum suiipsius holocaustum. Denique multa alia possem hîc subiicere exempla, insignium sanctæ huius hominis Dei conuersationis, effectuum, tam in secularibus quàm in Religiosis; sed hæc sufficient, omni prudenter ex adducto vniuscuiusque status specimine, de veritatis firmitate iudicanti. Non possum tamen sine ingrati animi labe, non me hic, multis vtique beneficiorum nominibus, maximè instituti quod profiteor, deuinctum sistere; cum enim illud amplexatus essem, animo quidem, nuntium remittendi seculo, sed non ita obfirmato in perferendis eius laboribus, & Deo impensiùs seruiendi; nouitiusque trium aut quatuor mensium quasi dubius adhuc cespitarem; traditus ei per annum & menses aliquot in Secretarium, Lectorem, & assiduum in quotidianis spatiationibus decem & comitem: nec non & sub finem, cubicularium, quod vix, & ægerrimè, tandem tamen plusquam sexagenarius tulit; statim mutatus sum in virum alterum; & tam firmiter adhæsi electo statui & instituto, vt nequidem de retrò respiciendo, ampliùs cogitauerim; nec vel minimùm de implendo proposito, Deo æternùm famulandi in sacro nostro ordine, dubitarim.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Multifaria cùm spiritus, tùm corporis, ad sepulchrum Venerabilis Fratris, accepta beneficia.

QVi fulgore dumntaxat aguntur, & micante rerum specie, forsitam miracula sciscitabuntur in nostro Fratre Ioanne à sancto Samsone: cuius vita tota quanta est (meo quidem iudicio) iuge miraculum est. Non est mea mens vanæ eorum indulgere curiositati: Perinde enim mihi est, quo vocitentur nomine quæ hactenus

hactenus à nobis subiecta sunt, & subiicienda supersunt. Ad extremam huic vitæ eius compendio manũ imponendam, satis mihi & abundè est, si quæ, eo inuocato magis singularia & maioris momenti, ad Dei gloriam, ædificationémque proximi, post eius obitum, contigêre, ingenuè & simpliciter attexuero. Summa populi Rhedonensis erga deuotos, & virtuti supra morem studentes, religio, die exequiarum huius sanctissimi Religiosi, maximè enituit; tanta enim ad sacras ædes nostri Conuentus confluxit multitudo, vt vix eam (etsi latissimæ) caperent. Omnes ei capitis & barbæ pili attonsi sunt, & insuper post hæc abrasi, non fuit qui Rosarium suum corpori eius non admoueret; & vnusquisque certatim pretiosissimas vestimentorum eius, aut eorum quibus quocumque modo fuisset vsus, reliquias, pro viribus apprehendere contendit. Etsi tumulus eius non sit secularibus peruius, sed intra Conuentum, in ædicula sacra Dominæ nostræ de pietate dicata: vbi & promiscuum est aliorum Religiosorum sepulchrum: hæc tamen pia semper perseuerat plebis veneratio; adeo vt multi in eo loco frequenter Sacrificia postulent, imò & cereos ad eum deferri curent, imagines, & alia id genus vota, aut similia, acceptarum à Deo (meritis V. Fratr. Ioannis à sancto Sansone) gratiarum testimonia. Hæc est religio, hodiéque perseuerans Rhedonẽsis populi vox, quæ vulgò fertur esse Dei, quæque hoc in negotio eò verior & sincerior habenda est: quòd nostri Ascetæ à fastu & quæstu multùm alieni, merces suas & decora non ventilent, sed Apostolicis inhærentes decretis, se multùm indifferentes & rem sibi habeant in fouenda, diffamandáque hac opinione, ac colligendis huiusmodi sanationibus atque beneficiis, quæ populus in argumenta sanctitatis assumit. Ecce tamen aliqua, quæ (sanè non prætereunda) quàm breuissimè perstringo.

Dominus *Des Loges* Præsidens supremi Aremoricæ tribunalis, postea à statu laico ad Clericalem Sacerdotio euectus, vbique insignis virtute, & singularis meritis, anno 1637. graui morbo correptus in summa senectute, à Medicis derelictus est, & ab omnibus desperatus; Quidam è nostris dictus P. Iosephus à Iesu diuino (vt credere est) motus spiritu spondens sibi ægrotantis sanitatem precibus & interuẽtu Fratris Ioannis quondam pernecessarij

S (dum

(dum viueret) huius præſidentis, fidenter vouit Deo, & promiſit nomine ægrotantis eum (ſi ſanitatem recuperaret) nouem conſequentibus diebus ſacra facturum in ſacello in quo quieſcit corpus eius, & ſepulchrum eius marmoreâ tumbâ exornaturum; nuncupato voto Præſidens ex tempore melius habere cœpit, & breuî perfectam adeptus ſanitatem: ratam habuit religioſi ſponſionem, quam & ex omni parte, executioni accuratè mandauit.

Nobilis Domina, filia Equitis *Petri de Caradeu* Domini *de la Chalotaye* primi Comitis ſtabuli Rhedonenſis, febre laborans, appendit ad collum ſuum muniſma, quod perfunctus frater Ioannes viuens ſemper deferebat, confidens ſe meritis eius ex Dei miſericordia ſanitatem conſecuturam; quo facto nullo deinceps febris æſtu correpta, prorſus ſanata eſt.

Alia puella grauiter laborans in maxilla, vtque putato cancri morbo, & particulam habitus Fratris Ioannis fidenter admouit, interuentus eius inclamans auxilium, continuò dolor [qui propterea periculoſus erat, quòd in modico maxillæ ſpatio coaceruabatur] dilatatus eſt, & per omne caput extenſus; quo dolore, per tres hebdomadas febre æſtuans, abſque vllo vſus omnium remediorum ſubſidio, puella adhuc recurrit ad reliquias veſtimẽtorum V. Fr. Ioannis, quas iterum capiti ſuo admouit, & compreſsâ illico febre, ab vtroque morbo planè liberata eſt.

Quidam è noſtris dictus P. Eutropius à Sancta Catharina, habitum noſtri Ordinis poſtulans Aurelijs, ſæpè repulſam paſſus, propter albuginem quam ab infantia in oculo habebat, quæ & eum coclitem efficiebat; Epiſtolam quam aliàs Venerabilis Frater dictauerat, per tres conſequentes dies, id eſt ſemel vnequoque die, ad oculum ſuum applicuit, fundens & aliquas ad Deum preces, vt viſum reciperet, die ſecundâ longe meliùs quam antea videre cœpit, & deinceps de die in diem meliùs ſemper vidit, vſque dum perfectè viſum recepit, tandémque ad habitum & ſolemnia vota Ordinis admiſſus, & ipſe voto ſuo potitus eſt. Præter conſignatam ſcripto beneficij huius teſtificationem, quam ipſe tradidit, inſuper agnouit multa ſe etiam alia ſpiritualia auxilia, Dei ſerui meritis, eſſe conſecutum.

Puer balbus à parentibus ſepulchro Fratris addictus, poſt nouem

tuem celebratas in ædicula sacra, in qua quiescit, Missas: expeditum linguæ vsum accepit.

Religiosus grauiter laborans ex vlceribus quæ in tibiis habebat, eò tandem redactus est, quod illis amplius vti non posset: prorepsit tamen, & aduoluit se quomodo potuit ad hoc sepulchrum, & Deum pro curatione sua, ad ministrandum fratribus suis, meritis serui sui deprecatus, ex tempore illam obtinuit; in tantùm vt sanus exinde redierit. Quod idem etiam seculari contigit viro conditione illustri, & fide dignissimo.

Puer per multos menses febre vexatus, contabescens, & ad interitum propinquans: Mater ipsius à vicina monita vt eum in Ecclesiam nostram deferret, & V. Fratris Ioannis precibus commendaret, ad tempus neglexit, die quadam cum decreuisset eum deferre aliò distenta, propositum non impleuit: facto vespere, & ipsa tam vehementi febre correpta est, vt crediderit vltionem esse Dei: itaque crastinâ die puerum quem non credebat se viuum relaturam, defert ad Ecclesiam nostram, & audiendo sacrum, suam filiique sui perfectam obtinet sanitatem.

Iacobus *Emery* oriundus ex paræcia *d'Oruille* Rothomagensis Episcopatus, damnatus ad triremes in vnum supra centum annos, à præsidiali curia Rhedonensi, prouocans ad supremum Senatum, frater vxoris eius qui negotium agebat, postulauit sacra fieri in capella fratris Ioannis, pro felici prouocationis exitu, & damnatus inflictâ dumtaxat centum librarum (in emendationem) multâ, liber dimissus est; quod tantæ felicitati duxit & supra morem gratiæ, vt eductus è carcere die proximè sequenti ad eandem capellam accesserit, & in ea Deo gratias egerit pro tanto beneficio, quod precibus fratris Ioannis consecutum se fuisse est arbitratus.

Doctor Medicus facultatis Nannetensis æger, & in discrimine mortis, etiam iudicio conuentus aliorum Medicorum, commendatus Deo in vrbe Rhedonensi Anno 1645. à quadam seculari persona sub inuocatione Venerabilis Fratris Ioannis à sancto Samsone: visus est post duos dies, cum omnium stupore, sanus per vrbem deambulare.

Honorandus homo Ioannes *Gourdel* Rhedonis Mercator Pannorum sericorum, & Ambrosia *Aubrée* eius coniux filium habe-

S 2 bant

bant trium aut quatuor annorum febre, hydropisi, & dysenteriâ laborantem, cuius præter mortem aliud nihil expectabatur. Auus eius Ioannes *Aubrée* expunctis Sacramento Pœnitentiæ peccatis, & Eucharistico pane refectus; adiit sepulchrum Venerabilis Fratris Ioannis per nouem dies consequentes, & pueri integram sanitatem obtinuit.

Soror huius pueri sex annorum nata, ab incunabulis sensu auditus penè destituta erat. Idem Ioannes *Aubrée* auus eius, idem pro ea præstitit ad sepulchrum Venerabilis Fratris, quod pro nepotè præstiterat; Vidénsque hanc surditatem in dies minui, ab ea qua nouemdium cœperat, decimâ die, quæ fuit 14. Maij 1649. neptim suam ad sepulchrum adduxit; Dum sacrum pro ea perageretur, circa sanctissimæ Hostiæ eleuationem, puella sensit quasi manum inuisibilem ei caput & aures contrectantem, quo contactu à sua surditate perfectè liberata est. In cuius beneficij memoriam singulis Mensibus 14. die per annum, dictus *Aubrée* curauit celebrari Missam in ædicula sacra in quo quiescit corpus Venerabilis Fratris, præsente suâ nepti cereum manu tenente, adstante simul & ipsius Patre.

Sanctimonialis summæ virtutis, Magistra Nouitiarum in Conuentu celeberrimo, grauissimum patiebatur dolorem, ex inflammatione & tumore qui ei in genu acciderat; vnde & decumbere coacta est. Alienus eius animus à leuamentis & subsidio Nosocomij, vrgénsque Nouitiatus necessitas, impulerunt eam ad rogandum, præter morem Deum, suam corporis sanitatem. Petiit ergo particulam quandam, quæ ipsi data fuerat, Tunicæ Venerabilis Fratris, cámque manu tenens, gratias egit Deo pro collatis tot & tantis huic suo famulo beneficiis, obsecrans eum, vt eius meritis & sibi conferre dignaretur sanitatis suæ beneficium, vt impræsentiarum officij sui munia posset exequi; absque vllo singulari leuamine & subsidio. Fusâ ad Deum huiusmodi oratione, non priùs admouit genu suo particulam, quam ex tempore vis doloris remisit, tumor est imminutus, totâ nocte suauiter quieuit, & crastinâ die libenter ambulauit, omnísque epiphora intra duos dies non sine permagno Medicorum stupore, penitus dissoluta est. Hanc exteriorem gratiam secuta est tam abundans interiùs vnctio, vt numquam exinde deleta sit ex illius anima

anima. Hòc accidit anno 1649. cuius teſtimonio Monialis inſuper addidit ſe meritis Venerabilis Fratris, virtutem obtinuiſſe perferendi quandam Regulæ auſteritatem, quæ Medicorum iudicio, cum habituali quadam qua laborabat infirmitate, nullatenus conſociari poterat.

Multas alias prætereo gratias & benefacta, maximè curationis omnis generis febrium, aliarúmque ægritudinum quas permulti tam Religioſi quàm ſeculares ad hoc ſepulchrum, accepiſſe faciunt teſtatum. Quod paruiduco præ ſpiritualibus gratiis quæ in hoc benedictionis loco iugiter obtinentur. Hîc, alij vires inſtaurant, & muniuntur contra Dæmonum incurſus, cuius habemus certiſſimas depoſitiones; alij feruorem concipiunt, & de die in diem ad perfectionem innouantur. Denique omnes vberiùs recreantur, & ſpirituales referunt gratias maximè ſingulares, & inſolitas, quarum ſpecimen vnum & alterum hic attexere ſat eſto.

Quidnam Religioſus ſupra modum anxius pro negotio, gloriam Dei & animæ ſuæ ſalutem ſpectante, inſtanter orans ad hoc ſepulchrum; quaſi fulgore quodam luminis Sole rutilantioris afflatus: vocem audiuit hunc in modum ſibi loquentem, Tace & ne ſis ſolicitus; Deo tuum negotium & teipſum committe; præſtrictus hac luce, & totus offuſus Religioſus in terram prouoluitur, profuſiſque lachrymis humiliter Deo dicit. Fiat voluntas tua, ô Deus meus, ad gloriam tuam, & ſalutem animæ meæ; heu: cum ſim tantus peccator, quomodo dignaris tam ſpecialem mei gerere curam. Exinde receſſit repletus conſolatione & ſuperabundans pace ac tranquillitate ſpiritus, perfectè confidens de ſui negotij exitu in tam amabili Dei prouidentia.

Alter Religioſus à Superiore ſuo aliquid exequi iuſſus, cui ſe maximè imparem iudicabat: hanc ſuam obedientiam ad ſepulchrum Fratris Ioannis Deo commendans, tantas vires tantámque idoneitatem & aptitudinem ad illam accepit, vt, cum plena ſui omnibus probatione, munus ſuum excellenter obierit.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Apparitiones Venerabilis Fratris Ioannis post eius decessum.

PRæter attexta benedictionis testimonia, quibus pij huius Religiosi memoriam commendatam Deus voluit: hæc insuper habemus, quòd personis summæ virtutis, fidéque dignissimis videndum se post obitum obtulit. Præcipua eius apparitio, & multo digna consideratu, fuit R. Patri Matthæo Pinaldo (viro ex-Prouinciali, & eius apud nos quem supra vidimus commendationis & meriti) cùm esset in arce Inculismea à Confessionibus Domino Marquioni de Chasteau-Neuf supremo regij cęrarij Præfecto. Hic Pater vsus consuetudine per plures annos pij nostri Cœci, etiam antequam Ordinem ingrederetur, vt fusiùs dictum est, multum à Patribus Conuentus Rhedonensis, aliisque insignioris notæ personis quotidie pelliciebatur, vt quæ viderat, & sciebat de perfuncto à duobus annis Fratre Ioanne à sancto Samsone, tam seculari, quàm Religioso, scriptis mandaret, & relationem suam citiùs transmitteret. Distulit ille diutiùs, & postulatam relationem, propter aliquas non leuis momenti rationes, planè recusauit. Quarum hæc erat Prima, quod tunc arctissimè inclusus in arce Annodunaci, non erat ipsi liberum scribere, nisi ea ratione vt legerentur omnes eius epistolæ, ab eo qui præerat custodiæ Domini de Chasteau-Neuf; timebátque ne in fabulam adducerentur bene multa simplicia, pluris facienda quàm vt plurimùm fiant à secularibus multis quæ exponere cogeretur. Secunda, quod omnia quæ foris prodierant, & ipse viderat ex Fratre Ioanne à sancto Samsone omninò nihil erant ad vitam eius internam & in Deo absconditam comparata. Tertia, quia sæpiùs audierat eum dicentem, velle se, vitam suam hominibus esse prorsus ignotam, & vni Deo, quem in spiritu & veritate adorabat, agnitam. Adeóque Pater Matthæus planè nihil scribere apud se constituit, ne à defuncti intentionibus, quas singulari obseruatione venerabatur, leuiùs abiret. Attamen instanter adhuc permotus & enixè interpellatus à socio suo R. P. Basilio à sancto Ioanne, imò etiam & à

Domino

Domino de Chaſteau - Neuf, nec non ab eo cuius erat traditus cuſtodiæ, vtique promittente quam ſcriberet relationem, ſe fideliter tutéque miſſurum; negotium Deo impenſiùs commendat, cúmque ſerò decubuiſſet, cœpit cogitare ſeriò & attentiùs, quid faciendum haberet: in tantùm vt contrariæ hinc & inde rationes animo iugiter obuerſantes (quantumcunque contenderet eas expellere) ſomnum ab eo penitus ſubduxerint. Penſatis igitur omnibus & diù nimis agitatis animo; Tandem vltimùm decreuit nihil ſcriptò teſtatum facere, propter hoc maximè quod nullo modo conueniret à conſtanti Fratri Ioannis voluntate diſcedere; palam faciendo vitam quam ſemper omnibus, præterquam vni Deo, optarat ignotam. Hoc ipſo eodem inſtanti, vidit omne cubilis ſui interius conopeon, lumine repleri & collustrari, cuius ope, manifeſtè vidit, & diſtinctè Fratrem Ioannem à Sancto Samſone, veſtitum tunicâ ſuâ, ſcapulari, & caputio griſeo natiuo colore, vultu graui, & Maieſtatem præferente. Non exhorruit P. Matthæus, nec minimùm dubitauit, veram eſſe Fratris Ioannis ſpeciem, vtique omnia oris lineamenta, oculos, capillos, barbam, & conſuetam corporis compoſitionem, dum adhuc viueret, habentem. Per aliquod temporis ſpatium putà quod requiritur ad recitandum (*Pater noſter*) contuitus eſt firmiter hoc obiectum nihil dicendo, ne ſocium in alio cubili quieſcentem excitaret; ſed hæc verba duntaxat mente concepit. Si tu ipſe es (mi Frater Ioannes) ſi à me aliquid petis, & à Deo veniſti, adiuro te per eum, vt libenter edicas quæ à me fieri poſtulas. Eliciens igitur (ait dictus R. P. Matthæus in ſua relatione) hunc mente conceptum, diligentérque obſeruauans os eius, quod ſemper clauſum videbam; ecce eodem tempore, audiui diſtinctè auribus meis omnia verba ſequentia, (vox autem ore non aperto, nec motis vllo modo labiis inter ipſum & me quaſi in aëre efformabatur.) *Non verearis, quam poſtulatis, relationem mittere; verum eſt me ſemper optaſſe ignotam hominibus vitam viuere. Si vult Deus ad gloriam ſuam, innoteſcere Fratribus noſtris quæ poſſunt agnoſci; fiat voluntas eius: noli te opponere.* His dictis, ſubiit animum meum cum eo loquendi ſtudium; ſed prohibitus ſum metu expergefaciendi, & exterrendi meum ſocium. Vnde hoc ſolum mente dixi, ſi Deo placuerit hinc me extrahere, haud dubiè po-
ſtulata

ſtulata concedam : ſtatímque cœpit lumen minui, & in inſtanti viſio omnis euanuit. Poſt hæc diutiùs adhuc immoratus ſum in meditandis, voluendíſque animo quæ videram, & audieram; tandémque vocaui dormientem ſocium, eíque dixi apud me eſſe conſtitutum, aduerſaria mea de Fratris noſtri Ioannis vocationé exhibere, propter rationes, quas ipſi cum primùm dies eſſet,aperirem. Et paucis ab hinc menſibus Rhedonas profecti, rogatum ſcriptis teſtimonium vltro conceſſi. Omnia huius apparitionis adiuncta ex relatione R.P.Matthæi exſcripta, expreſsè hîc ſubiecta volui ; ne rei veritas in contentionem aut diſcrimen adducatur, & ea perſcrutantes erudi:i atque intelligentes, Sanctuarí-que pondere trutinantes, vera ſpiritus Dei explorent ſigna, & natiuam apparitionis ſupra naturam agnoſcant teſſeram.

Viſus eſt etiam ſemel & iterum, à Sanctimoniali ſummæ perfectionis, eíque (hoc vtique vinculo) dum viueret, arctiſſimè coniuncta. Primò vidit eum in aëre ſublatum veſtitum cappâ albâ, multùm radiante & fulgidâ, manúque ſuâ Conuentum ſuum benedicentem ; Deinde ei & ſecundò apparuit cum eſſet in graui quadam anguſtia, eámque eſt conſolatus, certiorem faciens de ſua cum eo,glorioſo & honorifico nexu, futura ſocietate, & ſtatim euanuit.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Epilogus totius Elucubrationis.

IS igitur fuit Venerabilis Frater Ioannes à ſancto Samſone, in vita ſua, in operibus, & in morte. Is in ſeculo, in clauſtro, & in virtutibus, collatíſque à Deo muneribus, & gratiis : qui in hac tabella viſus eſt. Talis fuit hic primi Carmelitarum Inſtituti acerrimus aſſertor, quem oculatum Cœcum, & vt diuinitus futura proſpicientem ; meritò videntem poſſumus appellare. Fuit quidem humilis frater, laïcus profeſſione ; Cœcus ab incunabulis ; ſecularis ſapientiæ intelligentiâ planè deſtitutus. Sed altiori affuſus, è cœlo, lumine ; in Ordinem Carmelitarum, ad Turoniam prouinciam directus : vt oſtenderet nobis & aperiret vt-

cumque

cumque dimissam, quin potius elapsam, iniuriâ temporum, vitæ & veritatis in Carmelo viam; hoc enim vsa est, dignissimo planè suo instrumento, verè mirabilis, vtique in sanctis suis, piissima erga nos Numinis æterni prouidentia; vt sincerum nobis Carmeli restitueret spiritum: assiduum dico contemplationis cultum, & iugem cum Deo negotiationem: haud dubiè Carmelitarum partem optimam. Talis fuit subiecti nobis per eum 30. circiter annis, quibus nobiscum degit, diuini luminis eius fulgor & efficacia. Talis etiamnum efficax eius apud Deum gratia, & potentisimus interuentus, quibus auspicatò tot cœlestibus donis, diuinísque muneribus, hactenus cumulati, & æternùm (vti sperare est ex eius benignitate) cumulandi sumus.

Porrò quis qualisue fuerit Venerabilis Frater Ioannes à sancto Samsone, longè meliùs ex scriptis eius agnoscitur, quàm in hac inerudita vitæ eius prorsus in Deo absconditæ, Epitome; in iis enim videre est mirabiles diuinæ Sapientiæ effluxus, & exundantes Dei spiritus emanationes, continentes sanctiorem spiritualis vitæ institutionem, & altius animarum regimen quocumque in statu & vocatione, ad supereminentem perfectionis apicem aspirantium. In iis inquam videre est & altiora fundamenta, & sublimiora scientiæ Sanctorum fastigia, magísque arcana mysticæ Theologiæ Sacramenta; adeò verum est spiritualem hominem spiritu Dei in omnibus institutum, omnia scrutari, etiam profunda Dei. Hîc igitur aduoco, & intentam volo eorum mentem qui in eius vita deposcent miracula, libenter enim hîc attexam (quod de Angelico Doctore olim Diuus Bonauentura verissimè dixit) scilicet quot sunt lineæ & verba in huius oculati Cæci scriptis, tot esse vera & singularia miracula; quod fatebitur non nemo, qui gustu spiritus Dei, & simplici operum gratiæ sapore vel leuiter affectus erit. Vnde & conuenientiùs fuisset tantas virtutes, tantáque merita, humili silentio venerari, quàm tam humiliter de eis obloqui, & omnibus partibus impar, tanti viri præconium inaniter aggredi. Sed quid? Sacrificium est, si non iustitiæ, saltem obedientiæ, imò & vtriusque; quid enim iustius, quam filios quocumque tandem modo (si quidem sat benè, si pro viribus) parentum virtutes commendare, & facta insignia posteritati tradere; vt numquam excidant, quæ sunt efficaciora

ciora ad virtutem incentiua. Quod si iustius hoc nihil est; iustissimum certè fuit, tot Patri beneficiis, gratiisque deuinctum inter alios filium, hoc in se munus suscipere, & licet inæqualiter ad eius dignitatem, vtcumque tamen executioni mandare. Itaque finem facio hæc Ecclesiastici verba, quæ desunt operi nostro abundè suppletura, appositè & vtiliter vsurpando. *Multa abscondita sunt maiora his; pauca enim vidimus operum eius. Omnia autem Dominus fecit, & piè agentibus dedit sapientiam.*

FINIS.



EPITAPHIVM

EPITAPHIVM VENERABILIS FRATRIS IOANNIS A SANCTO SAMSONE.

Hoc ſub marmore quieſcit

Venerabilis Frater Ioannes à ſancto Samſone, Carmel. Reformat. Laïcus, Obſeruantiæ Rhedonenſis. Verè Cæcus illuminatiſſimus, quo ſapientiùs, aut fuſiùs, hoc ſeculo ſcripſit nemo de rebus myſticis, & vera contemplatione.

VITAM DVXIT

Auſteritate & laboribus aſperam,
Cæleſtium contemplatione ſuauem:
Dæmonum continuo conflictu horribilem,
Angelorum conſortio iucundiſſimam,
Humilitate ad ima depreſſam,
Ardore Seraphico in Deum transformatam.
Quotidianâ ſynaxi refectus,
Pabulum cæleſte caſto pectore fouebat, etiam
Ad ſex horas incorruptum: natiuo calore
In Amorem verſo.
Quippe delicias putat Chriſtus puriſſimo
ſinu teneri.

QVID PLVRA?

In vita ſua fecit monſtra, in morte mirabilia
operatus eſt.

SISTE ITAQVE, VIATOR

Et, ſi me amas, hîc Deum adora
In ſuis glorioſum.

Obiit in Carmelo Rhedonenſi, vir verè mundo Crucifixus, in Feſto Exaltationis S. Crucis. 14. *Septembris.* 1636.



ALIVD EPITAPHIVM.

DILECTVS DEO, ET HOMINIBVS VENERABILIS FRATER IOANNES A SANCTO SAMSONE.

Solus inter mortales, moriendo nouum nihil:
Viuendo inter immortales, pauca expertus;
Deuixit seculo, cui numquam vixit:
Deóque suo iunctus, à quo numquam seiunctus;
Sepulchri tenebris binâ cæcitate assuetus,
Verum solem purissima mentis acie semper intuitus est:
Et spiritali in terra lumine, quomodo alius nemo, desuper illustratus est;
Deum suum videre, amare, amplecti, iamque toto frui

PERSEVERAT.

Siste paululum, Viator, & hoc vnum aduerte;
Cæcus videt, mortuus viuit,
Pauper Euangelisat:
Ignarus, indoctus
Facienda scribit, scribenda facit,
Beatus si audis, credis;
Et sine inuidia
Meliorum charismatum æmulator
Imitaris.



VENERABILIS FRATRIS IOANNIS A S. SAMSONE THEOREMATA, *ET* EFFATA SPIRITVALIA.

CONFITEOR TIBI PATER, Domine Cœli & Terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Matth. 25.

PRÆFATIO

PERFECTA & absolutâ (si tam paucis absolui potuit) vitæ & virtutum Cæci nostri oculatissimi tabellâ, in qua cùm admirabiles eius virtutes: tum vel maxime superemimentem contemplationis statum, adumbrauimus quidem: ipse, si suis coloribus natiuis, etiam inuitus expressu; postularet Christiana charitas, quæ absque inuidia, & vllo priuati affectu commodi, quæ de cœlo accepit partitur dona, vt opera eius omnia simul in lucem ederemus; & quæ nostra hactenus fuere singulariter, omnibus efficerentur communia. Sed quia tantus est illorum numerus, vt modò non simus huic persoluendo muneri, & reddendo communi voto, vtique & nostro; collegimus ex illa immensa scriptorum multitudine, lumina hæc & spiritualia documenta, vt absque dilatione, quantùm fieri poterat, vtrumque præstaremus. Et his diuinæ Sapientiæ thesauris Religiosi Mystæ, omnésque sacrorum arcanorum studiosi, saltem in compendio vtcumque potiantur.

Non attigimus tamen contemplationes eius, Soliloquia, & mysticum armarium, in quibus continetur forma directionis Animarum Religiosarum ab ipsis elementis, vsque ad summum contemplationis & diuinarum emanationum apicm. Mens nostra fuit, hu-

iusmodi tractatus tot, vt ita dicam, complecti lumina, quot verba: & sicut illa Ezechielis animalia, corpus oculis vndique plenum: vel vt cum sancto Machario Alexandrino loquamur, corpus totum oculum, & totum lumen constituere. Ideóque illibatos esse reseruandos, ad tempus, quod diuina prouidentia definiuit, propalandos.

Non sunt etiam ad amussim suas ad classes redactæ, omnes spirituales regulæ, tum quia sæpissimè sub vno virtutis vnius capite, de pluribus agitur, quæ sibi inuicem innectuntur, tum quia iucundius futurum arbitrati sumus in sua varietate opusculum, quam cum omni accuratioris dispositionis ordine, quem potuissemus obseruare.

Pratum est spirituale amœna florum confusione distinctum, cuius odor & pulchritudo non displicebunt gustantibus cum Propheta quantùm suauis est Dominus. Felix Anima, quæ in eo, diuini amoris sanctissimum mel ad delitias exuget, illius exuberantia & ineffabili suauitate inebriata, mirari non desistet mirabilem in sanctis suis, qui semper in illis mirabilis, amplius mirabilem in dies vtique nostros præstare se & exhibere videtur.

THEORE



THEOREMATA ET EFFATA SPIRITVALIA

Eximij Contemplatiui, venerabilis FRATRIS IOANNIS A S. SAMSONE, Laïci, Ordinis Carmelitarum, Prouinciæ Turoniæ: Ex eius operibus collecta.

De Humilitate.

I. EXistimo humilitatem non conuenire præcellentibus Sanctis, quia incarnati Dei stupenda virtus est; excessus hic est, quo vtor in altissima mea huius obiecti notitia.

II. Cùm attendimus simul ad magnitudinem, & amorem Dei: & ad eius humilitatem proprio exaratam sanguine, quando eum abiectum & in cruce pro nobis exinanitum contuemur: excordes essemus plane, & exanimes, ac supra modum ingrati animi labe infecti, si non amori huic immenso ex omnibus viribus responderemus.

III. Quandoquidem passiones & humiliationes Filij Dei (ex parte eius) infinitæ sunt, magis expedit eas suspensis animis æternùm demirari; quàm tam abiecte dicere de hoc fundo, de quo fluit pelagus infinitum stupendarum veritatum.

IV. Adeo rara est vera humilitas, vt non inueniatur, nisi in

iis, qui luctantur, agonisantur, & incessanter in eius assecutione ad imitationem Iesu Christi; nullo quæsito in creaturis solatio, moriuntur.

V. Adeo rara est humilitas, vt nemo eius media, quæ sunt mortificatio, & sui contemptus, aggredi velit. Et optaret quisque, nullis de suo factis impensis, hoc stadium sensim cucurrisse.

VI. Veri humiles à consimilibus dumtaxat agnoscuntur, mors & cruces deliciæ eorum sunt; licèt illud non manifestent: sed heu! de quo loquimur? de homine procul dubio, qui non faciliùs reperitur inter homines, quam phœnix inter aues.

VII. Vera ante Deum vita, alia non est, quam humilitas profunda, in derisionibus, in contemptu, in insultationibus, & perpetuis cõfusionibus. Alia quæuis, quantumcumque fulgeat, licet in die centies totus in diuina rapereris, aliud nihil arguit quam illudentem illusum, nisi sit summè humilis, & amator crucis.

VIII. Quàm magnum bonum est homini, esse continuò fabulam, & prædam linguarum hominum de vulgo.

IX. Nec exprimi, nec concipi potest aliquid in perfectè humili supra id quod effertur, cum mortuus dicitur.

X. Vera & profonda humilitas debet seruare vere mortuum semper mortuum, & æqualem; consepultum cum Christo Iesu, qui est vita omnium viuentium, in veritate mortis & vitæ.

XI. Humiliationes perfectè humilis, vt plurimùm plus passiuæ sunt quàm actiuæ; propter eius amorem, qui est summè patiens ad omnia perferendum & sustinendum.

XII. Multò purior & securior est via, à creaturis sine ordine & ratione acriter exagitari; quàm seipsum abiicere & accusare coram hominibus. Longè sanctior, purior, & perfectior est sic per alios versata anima: se enim ipsam exercens, tota est in semetipsa, & propter seipsam operatur, cum verò patitur, tota in Deum funditur & annihilatur, tantùm attendens ad abyssum, tum diuinitatis, tum proprij nihili.

XIII. Potest aliquis ad eum humilitatis peruenisse gradum, vt iam amplius nesciat quid sit ipsa humilitas, nec alia quælibet

bet

betvirtus prove talis, in exercitio ipsius. Quin & ipse amor præ illius excessu, & transgressione in Deum modo omninò ineffabili, ignorari potest.

XIV. Si non potes vt Aquila peruenire ad æternos splendores infinitorum secretorum Dei; viue ex humiliatione & humilitate, & te tantùm deiice in veritate tui nihili, quantùm ascendere, & sine alis altiora petere præsumpsisti.

XV. Quæ humilitatis leges hominem exterius dumtaxat instituunt, iis tantùm conueniunt, qui natura stupidi & rudiores sunt, nec ad aliud conferunt, quàm ad sensum crucifigendum.

XVI. Verè humili nec iniuria, nec damnum inferri potest: quia plus voluptatis ex deiectione sua haurit, quàm idem ipse, qui eum ex voluptate deiicit.

XVII. Religiosi propter amorem Saluatoris nostri pauperis & crucifixi, existimare se debent, & statuere scabellum pedum omnium hominum.

XVIII. Veri humiles omnem probationem à Deo, hominibus, & dæmone, supra omnem considerationem, discretionem, & rationem sustinent; possidentes seipsos in pace, & cordis quiete, expectantes cum omni humilitate beneplacitum Dei, siue ad vitam, siue ad mortem; non magis afficiuntur & occupantur iis quæ foris sunt quàm si non essent.

XIX. Si contingeret nos esse ludibrium, & scopum cauillationum alicuius, etiam non superioris; melius est illum sustinere; etsi liceret, imò expediret præuenire in voluntate Dei; secus facere, est suam mouere propriam vitam ad puras & simplices reflectiones, cum tamen hominibus ignoti, omni modo, & ratione permanere debeamus.

XX. Opus est summâ humilitate, fortitudine, & patientia, vt possit quis viuere inter meliores homines incognitus, & soli Deo notus.

XXI. Vbi nihil est, humilitas centrum suum obtinet, nam verum nihil hominibus apparere non potest, sed nihili loco, mors illis apparet. Itaque homines aspiciunt morientes & mortem, dùm nihilum manet ipsis incognitum: Quin & ipsi suo possessori, adeò profunde in Deo immersus est.

XXII.

XXII. Excellentissimus humilitatis habitus, vere mortuorum dumnaxat, decor & ornamentum est.

XXIII. Vere humilis secundum naturam omnino mortuus est, cuius occultiores vias exploratas habens, eam vt ipsam mortem detestatur, non tanquam naturam, sed propter ipsius dolos & malitiam.

XXIV. Qui perfectum habet humilitatis habitum, nec de humilitate, nec de sanctitate in ordine ad se cogitat, sed de se ipso sentit humillimè, vtique & operatur. Moritur & viuit in Deo, nec ad se, nec ad creaturas attendens omni in euentu quietissimus. Earum molestias summo cum gaudio sustinet, maiorésque semper exoptat, vt amantissimo exemplari suo Iesu Christo, perfecte similis efficiatur.

XXV. Generosa Anima incunctanter exercere se debet in humiliationibus, & mortificationibus tam internis quàm externis, in sancto & iucundo sui ipsius odio & contemptu delectabiísque pertinacium passionum suarum persecutione, & iis similibus; donec ab omni cordis nexu libera magistra sit sui ipsius & domina pro Deo.

XXVI. Nemò habet perfectum humilitatis habitum nisi mores eius, sensus, & affectus, perfecte expurgati sint, cor mundum, & animæ potentiæ, sibi ipsis restitutæ, ita vt in amorem Dei, supra omnem virtutis actum, se possit efferre.

XXVII. Vere humilis qui nihil pro se appetit, séque à nemine lædi posse arbitratur, neque à Dæmone, neque à natura decipi vmquam poterit, quia Deus eum tanquam quid sibi proprium, perfectéque cùm in tempore tùm in æternitate sibi subiectum, fortiter & potenter vndique circumcingit.

XXVIII. Humilitas quæ plus ex ratione quam ex amore procedit, simulatio est & species dumtaxat, quæ nunquam sustinebit ad extra hominum probationem, semper enim plus vel minus iudicium & rationem excedent.

XXIX. Quamdiu homo suasione indiget vt se humiliet, sibíque moriatur, vitâ propriâ totus est plenus. Cùm autem amplius non indiget, tunc mortuus est, & veræ Dei vitæ particeps.

XXX. Longe satius est abiicere se, mortificare, & contemnere

nere, quàm humilitatis excellentiam dumtaxat agnoscere. Ideò sublimes mystici plus affectibus puris, altis, perditis, & sapidis, de ea scripsêre, quàm rationibus.

XXXI. Humilitas quæ non plus subsistit quàm vnctio diuina, fucus est, larua, & mendacium.

XXXII. Voluptas animæ summè humilis est, profundam Dei penetrare abyssum, in quam ad infinitæ eius magnitudinis & pulchritudinis aspectum, irrecuperabiliter se absorbet.

XXXIII. Gradus humilitatis, per respectum ad corpus sepultum, sunt: esse in infimo loco, esse inhumatum tanquam mortuum, esse putrefactum & corruptum. Id est, in æstimatione sui, esse cinerem, esse purum nihil.

XXXIV. Tantùm est humilis amor, quantùm amor est: & amor qui non est humilis Dæmon est.

XXXV. Amor est humilis in incipientibus, humilior in proficientibus, in verè perfectis humilis & vnicus.

XXXVI. Malum est secundùm naturæ genium esse humili loco natum, sed è contrario bonum est secundùm Dei spiritum esse abiectum, imò & annihilatum.

XXXVII. Non inuenitur quisquam, qui se velit abscondere; sed omnes videri volunt, non quod sunt, sed quod non sunt.

XXXVIII. Humilitas est fundamentum & planum virtutũ omnium, ipsa mater earum est, basis & columen, vita, fortitudo, & principalis neruus. Et humilitatis fundus earum respectu adeo fœcundus est, vt numquam exhauriri possit.

XXXIX Vbi est perfecta humilitas, ibi quoque sunt & virtutes omnes; & si humilitas vellet suum sola possidere subiectum, omni ornamento nudatum, & vetustis suis lacinijs opertum exhiberet, quod fieri non debet.

XL. Omnis casus & defectio à virtute, surperbiæ signum est. Et si homo humilis verè esset, non solùm numquam caderet, sed nec in via virtutis, quicquam in quod offenderet vmquam reperiret, propter summam attentionem qua sibi ipsis humiles inuigilant.

XLI. Beatus est qui habet perfectum humilitatis habitum, quia per hoc ad veram sanctitatem est dispositus.

XLII. Beatus ille, cuius pro ratione vitæ in sapientia, & vir-

tute eminentis, animus pariter humilis eſt.
XLIII. Opta, expecta, ſuſtine, morere ignotus in perpetuum: hæc eſt omnis, & vera ſanctitas.

De Superbia.

I. NVſquam ſecurus eſt homo contra ſuperbiam in hac vita, nam licet tendat in Deum, tamen pro ratione profectus ſui in perfectione, inimici eius ſupra modum xacuuntur in ipſo, vt impediant actiuitatem curſus eius puri & actiui in Deum.
II. Auulsâ ab homine ſpirituali primariâ ſuperbiæ radice minores aliæ ſemper reſtant ſubtiliſſimæ, quæ germinant ad extra tot ſecretas ſuiipſius quæſitiones, vt deprehendi omnes nondum perfectè potuerint.
III. Delectatur ſummoperè ſponſus, per leuiores culpas ordinariæ & communis infirmitatis ſponſas exercere, vt eas à ſuperbia eximat.
IV. Deus maximè odit proprias ſuiipſius quſitæiones in donis ſuis; ſiquidem vt aliquos ab hoc malo ſeruet immunes, etiam à ſtimulis ſuperbiæ multam vim pati, quin ſuperari plerumque patitur.
V. Deus libenter acceptat bonam voluntatem aſpirantium & non valentium à ſuperbia ſe liberare, eóſque à vana ſui complacentia cuſtodit, per profundam, nudam, & abnegatam humilitatem, quæ ſub manifeſta illorum ſuperbia abſcondita eſt; Sic elatio moleſta tales ab elatione delectabili vindicat: cui, ſi ſe perfectiores cernerent, ſubiicerentur.
VI. Vtiliùs eſt homini in hac vita ignorare, an gratiæ & charitatis ſit particeps, propter ſuam altiſſimam ſuperbiam. Itaque ſummâ bonitate, & miſericordiâ vtitur erga illum Deus, cum ſic ab eo theſaurum gratiæ ſuæ & amoris abſcondit.
VII. Peſſima eſt creatura, quæ hanc Deo infert iniuriam, vt velit aliquid eſſe; etiam reſpectu cuiuſcumque alterius.
VIII. Longè ſatius eſſet, eſſe inſignem & manifeſtum peccatorem, quàm languere ſcienter in ſua ſuperbia, non deſcendendo.

dendo ad exercitia humilia & remota, quod eſt effectus ſuperbiæ ſingularis.

IX. Moleſtia quam quiſque patitur in re quacumque, ſuperbiam manifeſtè arguit, nam etſi verè humilis omne quod poteſt excogitari ſuſtineat, eo tamen non magis afficitur, quàm ſi alius, non ipſe, pateretur; quia mortuus eſt, ſoláque ſuperbia poteſt eum efficere viuentem, & talem exhibere, tam ſibi, quàm alteri.

X. Nec ab hominibus, nec à dæmonibus lædimur, ſed à nobiſmetipſis, id eſt à propria ſuperbia, & paſſionum noſtrarum violentia.

XI. Aſcenſus, quem ſibi quis ſupra alios arrogat, ſubtilis eſt ſuiipſius quæſitio: qui propterea fugiendus eſt, quia ſanctam, humilem, & ſimplicem ſapientiam deſtruit, hominémque ſuis etiam magis neceſſariis & familiaribus intolerandum facit.

XII. Quò plus quiſque iuris habet arrogandi ſibi ſupra alios, eò plus timere, & abiicere ſe debet, iuxta Sapientis dictum: Quantò magnus es, humilia te in omnibus.

XIII. Quantò quis humilioribus eſt natalibus ortus, tantò magis cauere ſibi debet à ſpiritu aſcenſus ſupra alios: etiam ij, quibus & ius, & ratio aſcenſum ſuper alios tribuunt, eo vti non debent ſecundùm naturæ genium, ſed tanquam poteſtate ſibi à Deo conceſſa, ad regendos alios, non per aſcenſum præcipitem & concitatum, ſed per iuſtam rationabilémque authoritatem.

XIV. O quot ſunt Religioſi ſuperbiâ inflati, qui ſub religioſo habitu arrogant ſibi aſcenſum ſupra inferiores omnis ſtatus. Dici poteſt de illis quod conſtituunt perfectionem in habitu ſuo, & auſteritatibus ſuis: deſpicientes illos qui non habent eandem viuendi rationem, & indignos ſuâ ſocietate iudicantes. Mihi credite, talis vita eſt ipſamet cœcitas, & lata ad inferos via, vt in æternum dæmones fiant.

XV. Perfectè moriens qui ſibi ſummè ſemper attendit, & indefeſſæ profundarum ſuarum humiliationum exercitationi, pro quacumque re numquam indignari debet.

XVI. Indignatio nihil eſt aliud quàm effectus altæ præſum-

ptionis, & in se ipso confidentiæ, ideóque filia superbiæ.
XVII. Indignatio & zelus sunt effectus præsumentis sapientiæ, intus excitatur indignatio, & zelus ad extra prorumpit super aliorum defectus.
XVIII. Humilitas & eius frequentes actus, opponere se debent perturbationi quàm excitat zelus in perfectis.
XIX. Quò plus homo est illuminatus, eò plus à zelo tanquam à morte abhorret: nec eo vtitur nisi contra seipsum.
XX. Qui tantùm secundum naturam perfectus est, imperfectos ferre non potest. Sola perfecta charitas, & profunda humilitas magnos naturæ defectus in fratre sustinet.
XXI. Si nusquam homo satis est humilis coram Deo, quomodo zelare audet contra quemcumque.
XXII. Numquam zelare debet mortuus, nisi illi ex officio incumbat, etiamsi cœlum & terra ruere deberent.
XXIII. Miranda res, quod homo perfectus impotentiam propriam non queat sustinere, sed eam velet subtili superbiâ, maximè cum ad opus aliquod leue quod aliis facile est, impotentem se videt.
XXIV. Quantò plus quis propriæ habet excellentiæ, tanto magis pudori obnoxius est.
XXV. Satis est Dæmoni quosdam fouere in sua spirituali sensualitate, superbia, & præsumptione: nec curat maiora eis ad extra inferre nocumenta, vt ipsi magis ac magis seipsos semper excœcent, & nullatenus peccatores interius agnoscant: licet enim se tales profiteantur, hoc tamen aliud nihil est, quàm fastus, vanitas, & complacentia secreta. Suadet illis amor priuatus se esse cum Deo intimè coniunctos, & in tantùm obcœcat, vt suam mollitiem & sensualitatem, verum & simplicem spiritum affirment. Expediret ipsis, vt essent in vulgari hominum statu, cum mediocri gratiæ & charitatis gradu, se enim peccatores saltem agnoscerent, qui se omnium sanctiores arbitrantur.

De Cognitio

De Cognitione ſuiipſius, & proprij nihili.

I. SCientia maioris momenti & magis neceſſaria homini in hac vita, eſt ſuiipſius cognitio.

II. Heu! homines de rebus omnibus diſſerere, & interim ſeipſos ignorare: oculati ſunt reſpectu aliorum, reſpectu verò ſui, cœci: prudentes ad conſulendum aliis, in proprio regimine, vani & ſtulti.

III. Antiqui Philoſophi, & adulterini Chriſtiani nunquam cognouerunt, nec vmquam cognoſcent, quid ſit iacturam ſui facere in humilitate, & ſibi mori.

IV. Felix ille, cui (poſtquam à ſeipſo per omnia omnis generis peccata exiuit, & totum orbem quaſi de domo in domum circuiuit) Deus tandem ope radij ſui luminoſi, ſemitas & viam propriæ domus aperit, vt rurſum introgrediatur, & ruinas eius reſtituat.

V. Qui domus ſuæ propriæ fundum inuenit, debet eam ædificare in charitate, & virtute, in humiliationibus ſempiternis: in quo opere quò plus laborabit, eò minùs fatigabitur, & ad perfectionem ſenſim perueniet.

VI. Qui non occupatur in agnitione ſui, nequam eſt: quia nihil aliud agit in ſua vita beſtialiter effuſa, quàm deſtruere naturam ſuam, laxis habenis ad omnia culpæ mortalis mala prorumpendo.

VII. Cor illorum qui ſe non agnoſcunt, vas eſt felle & amaritudine ſemper plenum, tanquam carnalium, tumultuantium & inquietorum hominum, ſemper accinctorum ad mordendum & carpendum omnia aliorum facta.

VIII. Miranda res, quòd noſtrum ſpeculum proprium adeò ſit impurum, vt nos nobis repræſentare non queat, & tamē aliorum defectus in eo tanta cum curioſitate deprehendimus.

IX. Qui ſe ipſos non agnoſcunt, in arguendis aliis quotidie detinentur; nec vmquam quæruut ſemitam & viam vt illic introeant, vbi ſcilicet numquam fuerunt; id eſt cordis & mentis, ſuæ domum, auertente eos ab ea, ac magis & magis

ſemper elongante cæcitate eorum & duritia.
X. Multò melius videmus deformitatem imperfectionum noſtrarum in alijs, quàm in nobiſmetipſis.
X I. Quicumque delectatur & confidit in Deo, habebit omnẽ in ſe ipſum poteſtatem, & clarè ſuum nihilum intuebitur.
X I I. Placet maximè diuinæ Majeſtati videre nos exinanitos, in notitia & confeſſione ſui totius, & noſtri nihili.
X I I I. Neceſſè eſt hominem qui videt & ſapit Deum per illuminatos eius influxus, videre quoque & ſapere nihili ſui veritatem.
X I V. Qui potenter moti ſunt & repleti diuina ſapientiâ, tam perfectè vident rerum ominum nihilum, maximè ſuijpſorum, vt humilitatem pro ſe quatenus talem non admittant; quia humilitas in ſe ipſa non eſt aliud quàm via ad nihilum, & nihilum terminus eſt, in quem humiliationes & humiliatas coëunt & adunantur.
X V. Si vultis ſcire quínam ſunt, qui Deo gratiores ſunt in hac vita; certò credite eos eſſe, qui omnino annihilati coram ipſo ambulant.
X V I. Rerum omnium & ſuijpſius obliuio contemplationi iuncta hominem efficit diuinum.
X V I I. Non operatur omnia Deus, nec eodem tempore in ſuis amicis quæ ad perfectam vitam pertinent; vt ipſis relinquat vnde verum mihil ſuum recognoſcant, ſéque in virtutibus, & amore diuino exercitent per, ſenſuum ſuorum omimodam abnegationem: quo ſuperabundantem Dei ſanctitatem ſuſtinere poſſint, ſine ipſius & ſui diſpendio.
X V I I I. Qui ſunt perfectiores debent ſemper ſe aſpicere tanquam infinitè defectuoſos: in hoc ipſo, quòd infinita puritas ſpiritus illis deeſt.

De Pec

De Peccato.

I. IPsa potestas peccandi ob oculos posita, terribilissia est misero viatori.

II. Si Deus tam seuerè castigat sanctos in hac vita, etiam per tortores infernos: profectò dicendum & concludendum est perditos esse peccatores.

III. Omnis anima fortiter in intimo suiipsius à Deo tacta, sentit, & in veritate credit, se eum plus solam, quàm cæteros simul homines offendisse.

IV. Non debent sibi omnino mortui expectare suæ conscientiæ stimulos, vt peccata sua discernant; hi enim stimuli in grauioribus dumtaxat peccatis venialibus inueniuntur: & hoc esset liberiùs viuere, nobis maximè, qui altiorem spiritus perfectionem profitemur.

V. Recta in omnibus intentio non sufficit, nisi etiam actus Deum inter & nos: nósque & creaturas, ex omni parte perfecti sint.

VI. Omnimoda perfectio animæ verè illuminatæ, in eo sita est quòd ordinem suum, simul & inordinationem videat.

VII. Peccata commissa per affectum ad seipsum, & suum benè esse, inter venialia grauiora sunt: & numquam remittuntur quandiu non corriguntur, etiamsi centies in die sacramento pœnitentiæ subijcerentur.

VIII. Deus ferre non potest peccatum in electis suis, quin castiget illud, & destruat per effectum præsentis suæ iustitiæ.

IX. Multi præ iugi adhæsione studiis suis & voluptatibus, & conuersione peccatorum venialium ad suos proprios gustus & delitias, nec vias eorum, nec vllas semitas in se animaduertunt, nisi cum illis mortalia videntur. Tunc ad libros recurrunt, vt ea si possunt venialia tantũ efficiant, & in posterum sine scrupulo perpetrent: hi coram Deo monstra abominationis sunt. Numquam eos amor reformabit, sed flagella dumtaxat, morbi, & atrocia tormenta, quæ vel patientur, vel pati videbunt, alios hominum aut Dæmonum ministeriò.

X. Non

X. Non debent ſemper conſiderari peccata penes materiam ſed penes gratiam,& vniuſcuiuſque lumen.

X I. Parum peccant ex ignorantia Religioſi.

XII. Peccatum debet æſtimari pro ratione luminis, affectus, fidei & intentionis vniuſcuiuſque.

XIII. Anima ſuauiter à ſpiritu S. mota, eum habet actionum ominum ſuarum teſtem: & cum peccaſſe vel non peccaſſe iudicat, vtique verum eſſe debet. Deus enim in illa amor, & lumen eſt, & ſicut illam ſanctificat, ſic & in omnibus illuminat.

XIV. Tenentur omnes in conſcientia, quâ poſunt maiori perfectione, inceſſanter operari.

XV. Cùm ſibi quis propoſuit perfectionis ſtadium, & in eo currere totis viribus apud ſe ſtatuit; omne tempus quo ſcienter & deliberatâ mente aliò vacat, habitâ ratione eius quod expoſcit ab eo Deus, peccatum eſt: & à Confeſſarijs vt tale reputandum eſt.

XVI. Multùm difficilè eſt legem ponere, circa peccata, ijs qui continuo, ardenti & generoſo amore feruntur in Deum: quia cum eorum corda ſint velut amoris fornax ante Deum, omnes eorum incidentiæ ſtatim atque apparuerunt, in ea conſumuntur: ſicut ſcriptum eſt: charitas operit multitudinem peccatorum.

XVII Minor ad Deum attentio animam quidem leuiter lædit: ſed negligentia grauiter velnerat.

XVIII. Omne quòd agit & loquitur Religioſus, ſine rationis præuiſione ad minimum, actus, aut ſermo otioſus eſt.

XIX. In noſtris offenſis & inordinationibus prius in Deum quam in nos debemus reflectere, ſub pœna peccati.

XX. Vix reperitur aliquis, cuius intentus, tempore tentationis, ſemper in Deum ſit æqualiter erectus, vtique & à peccato immunis.

De Vanitate Mundi,

I. MVndus quem nos dicimus vanitate plenum,aliud nihil eſt quàm cœtus, & adunatio peruerſorum, & reproborum, qui perpetuo conatu Dei cultum euertere & deſtruere nituntur.

II. Mundus eſt omnis malitia, omne venenum, omnis corruptio, omnis crudelitas, omnes tenebræ, omnis error, & omne mendacium.

III. Inter omnes mundanæ nequitiæ partus, voluptas & crudelitas principatum tenent.

IV. Mundus eſt vbique diffuſus, & non fallerer ſi dicerem, eſſe in multis Religionibus, vtique & pluribus Religioſis.

V. Deus eſt inimicus mundo, & mnndus Deo, & qui mundum dicit, dicit omne poſſibile malum.

VI. Qui de mundo non ſunt, ducunt vitam puram, dulcem tranquillam, lætam, in ſpiritu liberam, iucundam, Deo gratam; patientes ſunt, manſueti & mites: amor eorum rationum ſuarum ſtudioſus non eſt, nec ſupra ſe reflexus: nemini nocent, non ſe vindicant, benefaciunt ijs qui eos calumniantur & perſequuntur: paſſionibus ſuis incunctanter contradicumt: Deo omnia tribunt, ſibi præter contemptum nihil.

VII. Qui non ſunt de mundo nil audiunt, aut vident ex quo purum ſpiritum non eliciant, dimittunt omnia eſſe qualia ſunt, & benè de omnibus iudicant; ſemper accincti ad recipiendum de manu Dei quidquid creaturarum miniſterio eis accidere permiſerit, & eorum charitatas tam intùs quàm foris ordinatiſſima eſt.

VIII. Qui non ſunt de mundo, verè abſtracti ſunt, eleuati, puri, & contemplatiui. Alij viuunt in clauſtro, alij in ſeculo, alij in actione, alij in pura contemplatione, alij ſpiritu ſolitarij ſunt ſecundum altiorem perfectionis ſtatum; alij & corpore & ſpiritu; Et in vtraque ſolitudine diuinas & ſecretas illuſtrationes Dei infiniti abundanter recipiunt.

IX. Dimittamus vanitatem vanis, ſtultitiam ſtultis, tenebras cœcis, corruptionem corruptis, mollitiem voluptuoſis, & demum carnem cum omnibus ſuis concupiſcentijs carnalibus peccatoribus, æternùm miſeris & infelicibus.

X. Qui partim mundo, partim Deo volunt viuere: mundus illos, Deo reſpuente ſibi adſciſcit tanquam ſuos, vt illis vtatur ad quodcumque poterit.

XI. Etiamſi iuſti ſint in laboribus, perſecutionibus & grauiſſimis anxietatibus, ſicut & mundani; nihilominus tanta eſt differentia inter hos & illos, quanta cœlum inter & terram.

XII. Quæ enim afflictio iuſtos viuentes pretioſiſſimæ cruci mundanorum miniſterio affigit, eos in hac cruce mortuos poſt fidelem perſeuerantiam ad altiſſimum gloriæ ſtatum ſubleuat, & attollit, cum alij inferorum cruciatibus ſe iam in hac vita, qui eos proſequentur in alia, infeliciter addicant.

XIII. Miranda res, videre abundantem ſanctitatem, in eminentiori loco deſolationis & abominationis ſeculi; Et quòd in aula benè multi ſint in apice honoris & dignitatum poſiti, quorum exemplaris vita permultos rubore ſuffundit qui multò minores habent occaſiones perditionis. Sed quibus Deus eſt omnia, illis creatum nihil eſt, in quocumque ſtatu, loco, & conditione ſint; & non ſunt plus in mundo, quàm quod omnino in eo non eſt, voluptatum ſubiecta, in æternæ vitæ, & veræ ſanctitatis argumenta vertentes.

XIV. Nouit dominus ſuos à mundo ſegregare, tanquam ſibi pro ſua bonitate & miſericordia, deſtinatos, ita vt eos tempore conuenienti efficaciter moueat diuino ſuo ſpiritu, cuius ſuauitas efficit eis mundum & omnes eius ſuauitates ipsâ terrâ inſulſiores.

XV. Quidnam eſt mundanus homo, carnalis, & animalis, quàm præda dæmonis.

XVI. Mundi corruptio & eius aſſeclarum non aliunde prouenit, qnàm quia Dei Maieſtatem nec intra ſe, nec extra conſiderant, ideo tradidit eos naturalibus & belluinis cordis ſui deſiderijs.

XVII. Vniuntur mundani in damnum & ruinam bonorum, & diuiduntur vt ſe inuicem perſequantur.

XVIII.

XVIII. Scriptum est, cor durum habebit malè in nouissimis, terribilis comminatio mundanis induratis in peccato, quandoquidem heu! satis illis dicere est se in statu in quo nunc sunt morituros

XIX. Effectus gratiæ in nobis, magnum est & continuum miraculum, superans alia omnia visibilia miracula.

XX. Mundus est instrumentum, & assiduus minister Diaboli, qui ipsius author est & morale principium.

XXI. Fugere debent boni mundi consortium, tanquam Diabolum, mortem & infernum, & si in amore & via Dei proficere volunt, firmiter credere, mundum esse infinite peiorem, quàm experientia doceat, & explicatu sit.

XXII. Perditio reproborum stimulus est adeò viuus & acutus sanctis animabus, vt eas dolore, & mœrore possit conficere, quod indubitanter foret, nisi Deus eas amore speciali, & amorosâ bonitate conseruaret.

XXIII. Iusti, quorum vita militia est continua in mundo, & cuius blandimenta illis morte amariora sunt, bibunt & comedunt ad plenam satietatem dulcissimum & suauissimum diuinarum infusionum manna; quarum exprimi nihil potest, & qui non est expertus.

XXIV. Mundi persecutio fornax est ardens ad purgandum & probandum bonos, ne nimia pax & quies ansam eis tribuat conuersionis ad seipsos, & creaturas, in qua bonitatem suam & iustitiam amitterent, vel saltem inficerent.

De Vocatione ad Religiosum statum.

I. Vocatio supernaturalis consistit in rationabili desiderio Religionem profitendi, quod incessanter cor stimulat, & licet, quietus esse non possit quandiu non est voti cōpos, aut de eo securus, qui postulat, nihilominus motus non desinit esse à gratia, cuius euidentius argumentum est istud desiderium, & constantia in prosoquendo eius effectu; Etsi vocatio non minus vera sit, licet aliquando remissior postea fiat prosecutio.

II. Etsi accedens ad Religionem ignoret propriè quid quærat, nihil refert, sufficit quod firmum habeat propositum implendi omnia quæ continet institutum.
III. Si Religionis ingressum sequatur dissolutio: signum est, ingratitudinis, non verò nullitatis vocationis.
IV. Aduenientes post primas inspirationes tentationes, non arguunt veræ vocationis nulllitatem: sed cum impleuit Deus munus suum preueniendi animam gratuitò, & amorosè; vtique incipere debet & ipsa suum exequi in odio & abnegatione suispsius.
V. Quilibet Religiosus debet cognoscere ad quid ex professione sua teneatur, cui enim plus tribuitur, & ab eo plus repetitur; ideò Religiosus ad maiora quàm secularis obligatur.
VI. Numquam satis defleri potest Religiosus, qui detinetur in creaturarum oblectamentis, cùm sit vocatus ad Deum perfectè possidendum in supprema libertate, & coniinua spiritus exercitatione erga diuinam Maiestatem.
VII. Ha! si Seculares scirent & saperent nostram felicitatem, quàm malè de sua sorte, & de nostra bene sentirent!
VIII. Beneficium vocationis ad Religionem alia omnia continet eminenter, & quidem sublimi modo atque mirabili: sed hæc est nostra infelicitas, quòd paruipendimus, erga diuinam Maiestatem, pro ingratis haberi.
IX. Ad hoc vocati sumus & electi à Deo, vt ipsi exhibeamus omnem vitam nostram in iugi certamine contra nos ipsos & appetitus nostros.
X. Religiosus qui verè commotus est super excellenti dono suæ vocationis, semper in se recollectus est; & pro deliciis habet, abnegare seipsùm continuò, contradicendo naturæ animali vsque ad mortem corde magno, & alacri spiritu.
XI Religio est proculdubiò verum martyrium, & completum veri Religiosi purgatorium, si Deo vacat in perfecta sui reformatione, & vitam ducit perpetuò abstractam,
XII. Religio est seminarium perfectorum, & qui in ea imperfecti sunt voluntariè, vtique corpore, sed non spiritu in ea sunt.
XIII Religio quæ non metuit admittere malas indoles, passionum tyrannidi subditas, & quæ vi humiliationum exter-
narum

narum dumtaxat ordinantur, breuì ſe ad perditionis punctum adactam videbit.
XIV. Deus Religionem inſtituit non ſolùm ad ſaluandum, ſed etiam ad ſanctificandum nos, & præ cæteris vulgaribus, electis ſui participes efficiendum.
XV. Dolendum maximè quòd nonnulli Religioſi, qui deberent eſſe arbores vitæ, fructus mortis tantùm, ſibi, & alijs ſunt.
XVI. Inducti ſumus in Religionem, non vt nos quæramus, & viuamus ſecundum naturæ ſtudia, & motus, ſed vt in hoc omne gaudium, quietem & felicitatem noſtram conſtituamus, quòd Deum ad imitationem ſanctorum magno animo ſequamur. Quòd ſi non facimus, inimici noſtri domeſtici, inſurgent in nobis contra nos: & fortaſſe præda eorum erimus.
XVII. Exiſtimo nos fore profundiùs humiliandos & cõfundendos ex eo quòd perfectioni ſpiritus non vacauerimus in ſtatu Religionis, quàm pro omnibus peccatis vitæ noſtræ in mundo tranſactæ.



De Obedientia.

I. ADeò breuis eſt, & ſecura obedientiæ via, vt qui in ea ad finem vſque perſeuerat, poſſit dicere ſe quaſi dormientem & abſque labore ad portum optatæ felicitatis appuliſſe.
II. Multò ſecuriùs eſt hominibus obedire, quàm imperare.
III. Facillimè decipitur homo in via propria, quando ſolus eſt, & ſui iuris, nil autem ſecurius, quando Deo, & ſuis Superioribus perfectè ſubditus eſt. Cæterùm valdè deplorandum eſt, vix quemquam reperiri qui vere obediat, ex corde, & ex affectu.
IV. Religioſi debent ſe Deo ſacrificare animoſe & corde magno, per iugem imitationem excellentiſſimæ obedientiæ, quæ Deum in nobis & pro nobis hominem fecit.
V. Obedientia Ieſu Chriſti adeo viuum, & continum debet eſſe Religioſo ad obediendum in omni humilitate incitamentum, vt numquam ad Superioris mandatum rationi reflectere

permittat.
VI. Obedientia eorum qui in camino humiliationis & tribulationum, tam ſpiritus quàm corporis expurgati ſunt, infiniti pretij eſt ante Deum.
VII. Veris obedientibus iucundiùs nihil, quàm obedientiam in infinitum præſtare, protinus, ſimpliciter, alacriter, animosè & conſtanter; ex omnibus viribus tam internis, quàm externis.
VIII. Simpliciſſimi & humillimi obedientes numquam ſe grauatos putant, aut poſſe grauari; dociles ſunt & ad perſuadendum faciles, quidquid eis ſiniſtri accidat, oſtendunt ſe has omnes & maiores afflictiones firmo animo iugiter expectare.
IX. O Deus infinite! tempus perfectè obediendi ampliùs non eſt, tranſiit cum vita antiquorum Monachorum, Anachoretarum, & primorum noſtrorum Patrum. Non inuenitur quiſquam amplius qui excellentem hanc virtutem perenni gloria & honore dignam, æternùm colere velit.
X. Quò plus res aliqua leuis eſt in ratione obligationis & virtutis, eò plus ei adhærendum eſt per rationis electionem.
XI. Simpliciter obediendum eſt, cum iubemur auſteritates noſtras, & aliarum opera virtutum dimittere. Plus enim optare bebemus eſſe ſancti, & in fundo veraces; quam in noſtris operibus: & eſſe contenti tales exiſtere quales nos vult Deus non curantes quid operabimur, aut non operabimur.
XII. Quatuor requiruntur ad hoc vt opus ſit ex omni parte perfectum, ſcilicet opus ex ſe bonum; aut ſaltem indifferens, Intentio diuina, medium benè ordinatum, & ſæpè perfecta mentis attentio ad operis circunſtantias.
XIII. Quicumque propriæ renuntiat voluntati vt alienæ obſequatur, alij ſemper eius implent voluntatem; & nil vmquam ei præcipitur, quod non pari alacritate exequatur, ac ſi ab ipſa ſua procederet voluntate.
XIV. Etiam ipſe vniuerſus orbis cum minimo perfectionis, Religionis, & diſciplinæ regularis, diſpendio non eſſet conſeruandus
XV. Humilis regularitas, vita eſt Religioſi, quam præferre debet

debet omni occupationi, niſi ſit expreſſe mandata; omnémque diſpenſationem ſtrenuè vitare debt.

XVI. Non debemus dedignari nos ſubiicere hominibus: ſiquidem fecit hoc pro nobis Ieſus Chriſtus: & quicumque non eſt ſuper hoc, ſenſu & affectu motus, altiſſimè Dei miſericordiam inclamare debet, alioquin de illo actum eſt: poteſt enim prælatis opera ſua abſcondere, ſed non Deo.

XVII. Verè obediens ab omni inordinatione & paſsione liber eſt; & eius contrarius à beſtijs deuoratur. Id eſt ab appetitibus inordinatis, terrámque vt ſerpens comedit.

XVIII. Inobedientia ſuperbiæ filia eſt, ſicut & obedientia humilitatis partus eſt.

XVIIII. Quicumque Deum diligit, honorat eum in ſuis ſuperioribus. Inobediens verò, ordine inuerſo eos iudicat & arguit.

XX Religio inobedienti infernus eſt, quia in ea voluntas eius numquam adimpletur.

XXI. Boni & veri Religioſi mites ſunt & manſueti, ſicut agni pacifici, obedientes ſuis ſuperioribus tanquam Deo, qui illorum miniſterio regit eos.

De Paupertate.

I. Nihil habere & nihil velle, eſt nimis abundare in bonis & diuitiis, eſt eſſe eleuatum ſuper omnia, vnde non videntur creaturæ niſi à longe. Demum nihil habere, & nihil eſſe, eſt eſſe Deo plenum.

II. Animæ amoroſæ omnia bona ſua deſerunt, vt amorem ſequantur omnino nudæ.

III. Gloriabor & delectabor in paupertate mea, ſiquidem eſt ſponſus meus chariſsimus qui diuitias meas poſsidet, in ſanctis ſuis, ſint illis diuitiæ, gloria & lætitia: mihi omnis miſeria, languor, & paupertas.

IV. Quicumque recuſauerit ſequi Ieſum-Chriſtum pauperem, numquam eum poſsidebit in abundantia diuitiarum ſuarum nec gratiarũ, nec virtutum in hac vita, nec gloriæ in altera.

V.

V. Dimissio bonorum temporalium in mundo, aliud non est quàm introitus ad veram paupertatem Domini nostri: quæ in eo sita est quod se libenter euxat homo rebus etiam valde necessariis ad vitam, eorúmque penuriam patiatur in pace, & animi quiete. Et qui tædio in hoc praxi afficitur, non est verè pauper.
VI. Nemo est verè Religiosus nisi per iugem exercitationem paupertatis spiritus: quæ consistit in perpetua desertione & exuitione suipsius & creaturarum? non secus ac si non essent, optando esse sine æstimatione, imò etiam haberi pro stulto & insensato à suis, si contingat, & supprimendo ratiocinationem omnem, supra ordinem & inordinationem actionis creaturarũ.
VII. Vnusquisque vult esse in existimatione, & bona opinione: dum Deus homo factus habetur in nostra humanitate pro stulto, pro vini potatore, & dæmoniaco O stulta insensatorum Religiosorum stultitia, qui Dei beatitudine frui præsumunt, non imitati eum in cruce sua, in pœnis, in paupertate spiritus, alijsque virtutibus.

De Castitate.

I. COgitari non potest quantùm Angeli sunt vere castorum amatores, tam expressè eos in sua protectione suscipiunt, vt dæmones nocere illis nisi difficillimè & remotissimè possint.
II. Castorum vita verum est martyrium, cum etiam castitatem colere non sit habere castitatem adeptam: in hac exercitatione vehementissimæ colluctationes sustinendæ sunt.
III. Si tentatio admittitur, delectatio proximè sequetur? & si delectatio excipitur, voluptas quasi infallibiliter consequetur.
IV. Religiosus non potest esse castus in suo corpore, nisi prius, sit etiam mundus corde & spiritu: introuertens se iugiter in Deo, & continuò, à sensibus, & à creaturis omnibus sibi cauens.
V. Bestiale concupiscentiæ vitium, assiduus est superborum tortor.

VI.

VI. Qui de Virginitate ſua, & caſtitate gloriantur, & non curant excolere continuò animas ſuas, ſimiles ſunt quibuſdam animantibus, quæ naturaliter caſta ſunt, & nihilominus ſemper animantia.

VII. Ad obtinendam caſtitatem, quæ Dei donum eſt, oportet ad eum ſe verè, continuò, & ex toto corde conuertere; amouere à ſe vanas delectationes omnes, etiam licitas, & non expedientes, atque creaturarum conſortium; & viuere in ſolitudine corporis, & animi, quantùm fieri poteſt. Demum nil pretio ducendum eſt quàm pacis poſſeſſio, quæ ſuperans omnem ſenſum, & cogitatum cuſtodiet corda noſtra & intelligentias in diuina charitate Ieſu Chriſti.

De Modeſtia.

I. IMpoſsibile eſt ſimplicem & luminoſum, non eſſe modeſtum & ad extra benè compoſitum, quia eſt effectus veri luminis & diuinæ ſapientiæ, quæ cor & vires animæ ſuauiter interius detinens, prodit exterius ſaporis ſui radium.

II. Anima ſimplex nil habet coactum in ſe, nil violentum. Et ipſemet eſt Dei ſpiritus, qui quaſi ſolus operatur in eius operibus ad extra, propter gloriam ſuam propriam & proximi ædificationem.

III. Non eſt dictu poſſibile quantam habeat virtutem ſumma alicuius modeſtia, ad prohibendum alios ne ad quidpiam inordinatum ſoluantur, & eos ad ſeipſos reuocandum.

IV. Modeſtia hoc habet excellentiæ, quod viſa & inſpecta in ſpeculo veri ſimplicis, & modeſti, videntur in inſtanti, & guſtantur ſimul cum ea omnes virtutes ſpiritus.

V. Etſi corpus difforme ſit in aliqua ſui parte, modeſtia hanc difformitatem abſcondit, quia ſecretò rapit intuentium corda, & mentes, eóſque tam profundè afficit, vt certâ quadam admiratione quaſi extra ſe poſiti remaneant.

VI. Licèt verè modeſti affligantur interius infernalibus doloribus, & languoribus, quos Deus modo diuino operatur in eis; & ſimul à creaturis exagitentur ad extra, nihilominus ſem-

per æquales sunt, tranquilli & immobiles in seipsis, aliud nihil quàm modestam lætitiam præ se ferentes, vt suas afflictiones celent ijs quibus innotescere non debent.

VII. Sapientia diuina relucet in fronte, & in omnibus actionibus modestorum, ita vt videantur inter alios quasi Angeli incarnati.

VIII. Modestiæ effectus est libenter audire alios de Deo loquentes, & non nisi cum certa sobrietate, quæ animum à magisterio alienũ ostendat, de eo loqui, nihil in alijs reprobare, abstrahendo se à quolibet, & nihil ex eo eliciendo præter puriorem spiritum; fugere omnem singularitatẽ & partialitatem: omnibus habere honorem: & omnia operari quæ nobis ex officio incumbunt, siue priuatim siue publicè cum altissima demissione & humilitate.

IX. Immodestorum conuersatio plagas & vlcera vbique facit, linguæ eorum & sensus ianuæ sunt morti semper apertæ, & est eorum consuetudo de aliis iudiciũ ferre pro vt in se ipsis sunt, omnibus de intolerandi sunt, & miseros Superiores sub onere regiminis sui ad gemitus adigunt.

X. Eadem reuerentia debet haberi corpori ac animæ, quia templum Dei viuens est, in quod dignatur quotidie personaliter introire.

De Solitudine.

I. BEatior non est vita quàm verè solitaris, & à Secularium negotio, sollicitudinéque remota: quia in hac felici vita Deus prebet se totum creaturæ, & creatura totam Deo, per intimam vnionem, & vinculum cordium & animarum.

II. Veri Religiosi viuere debent in suis domibus omnino solitarij spiritu & corpore, in perpetuo silentio, oratione & recollectione suarum virium in Deum, per veritatem & fidelem abstractionem ab omni visibili, materiali & sensibili, vt sic in Deum erecti viuant in pura & simplici rerum supercœlestium & diuinarum contemplatione.

III. Quibus nihil est cum hominibus agendum, iis solitudo &

& quies debet eſſe bonum omne ſuper terram, vt in ea fundum ſuum excolant, aut ſi perfectum ſit, læti inhabitent.

IV. Solitudo infernus eſt ijs, qui naturâ ſunt turbulenti, amari, moroſi, inconſtantes, leues, inquieti, & ſubtilioris, acrioríſque ingenij, ſed præcipue ſummè melancolicis.

V. Non tantum corpora noſtra in cellulis & ſolitudinibus includenda ſunt, ſed & ſpiritus & corda illic quoque detinenda, vt omnino recluſi, & ſolitarij, poſſimus nos ipſos plenè poſſidere, & inde nos in Deum, ope gratiæ eius efficacis euehere.

VI. Solitudo tantùm conuenit iis qui ſunt bonæ indolis, lætis, affectiuis, mitibus, ſedatis, & ſanis corpore & ſpiritu.

VII. Eſſe ſolitarium corpore dumtaxat, eſt eſſe tanquam animal incluſum.

VIII. Vera ſolitudo, eſt in ſpiritu: ipſius regio, & deſertum, eſt in Deo, Patre & Magiſtro omnium ſpirituum.

IX. Verus ſolitarius debet ſe ipſum & omnia creata in ſua ſolitudine tranſcendere, vt Deo vniatur, & funditùs adhæreat.

X. Quantò plus homo diuinus eſt, tanto plus ſeipſum, & omnia creata ſupergreditur, in imo ſuæ reſidentiæ, ſibi ſoli & ſuis conſimilibus notæ, ſe immergens. Mihi credite, tale nihil eſt, ſicut hæc ſolitudo inceſſanter vbique verſata, quantùm expedit, ſecundum Dei ordinem.

XI. Inutiliter media ad vitam ſpiritus vſurpantur, niſi corporis & animi ſolitudo, quantùm conuenit, obſeruetur.

XII. Felix qui electus eſt, & vocatus à Deo ad diuinam ſolitudinem, quæ tanquam paradiſus terreſtris æſtimata eſt, ab omnibus ſolitariis, qui per iugem in Deum exceſſum ſancti effecti ſunt

XIII. Cùm quis ad ſolitudinem vocatus, & verè tractus inuenitur, ibi relinquendus eſt in ſua quiete & non abducendus ad communes & latas hominum vias, licet in eis ſe cuſtodiat, quantumcumque enim fidelis eſſe poſſit, cum ad ſuam ſolitudinem fuerit reuerſus, multùm ſe amiſiſſe inueniet, varias congerendo ſpecies, quas ipſi inuito natura repræſentabit.

XIV. Manualis exercitatio in aliquo bono opere, & ſcriptio rerum ſanctarum, ſolitudini Religioſæ non aduerſantur, modo

d 2 non

non noceant internæ cum Deo occupationi.
XV. Verus solitarius ad extra necessitate distractus, nil tam exoptat, quam charam suam solitudinem: & cum ad eam reuertitur, volare se arbitratur.
XVI. Solitudo est arena militiæ spiritualis, vbi necessaria sunt absolutè solitario arma spiritualia, vt contra seipsum præualeat; se, & omnia prætergrediatur; & Deo totaliter vniatur.
XVII. Militia bonorum secularium contra peccatum est, & solitariorum Religiosorum contra imperfectionem.
XVIII. Magna est miseria verum bonum nescire, & omnem mundum velle sapere in propriam ruinam. Seculares suum bonum quærunt cùm damno Religiosorum absque sua culpa, & Religiosi ipsis insaniores, omni sollicitudine & operâ, secularium bonum quæritant cum sui dispendio.
XIX. Nullus est homo, qualiscumque sit, qui non sibi, suóque bono, magis debeat, quàm mundo vniuerso, & non video vocari quemquam ad saluandum vniuersum mundum cum præiudicio suæ perfectionis propriæ.

De Silentio.

I. Silentium & solitudo, frater & soror sunt, qui sibi manum præbent, vt se inuicem tueantur.
II. Multùm difficilis est virtutis silentij acquisitio, ei qui spiritu Dei vacuus est, & nullo modo introuersus.
III. Sæpè ad obtinendum medium vsque ad extrema rationabili necessitate progrediendum est. Quia igitur multiloquium veri silentij extremum est, ad acquirendam virtutem bene & sapienter loquendi, silentium extremum est obseruandum.
IV. Silentium internum alio præstantius est. Per ipsum ratio & voluntas compescunt motum, cursúmque efferatarum passionum in parte concupiscibili, & irascibili; & externi silentij obseruantiâ vtique comparandum est.
V. Internum silentium quod frenat omnes passiones, Religioso

gioſo verè ſpirituali dumtaxat conuenit, aut ei qui talis eſſe ex toto corde deſiderat.

VI. Qui ſolum moraliter viuunt vitam mediocriter bonam, habent tantùm exteriùs ſilentium, quod eos torquet pluſquam dici poteſt

VII. Qui tantùm in ſpeciem tendunt ad Deum, toti in verbis effluunt nec finem faciunt, adeo gratum eſt illis ſuos conceptus aliis, eámque, quam de ſeipſis habent exiſtimationem imprimere; nil aliud ſunt quàm verborum effuſiones, repetitiones, exaggerationes, demum omnis eorum vita, paſſio eſt, & animi impotentia.

VIII Spiritualis homo cauere debet, ne ſe temere prodat, vt non impediatur in ſua nuda & libera introuerſione, & contemplatione Dei, in cuius fruitione requieſcit, in abyſſo ſui proprij fundi.

IX. Tyronibus dumtaxat, non veris Spiritus alumnis, laudandum eſt ſilentium, hi enim, fructus eius cum tanta ſuauitate deguſtant, vt ſuaſione aliâ non indigeant, ad ſentiendum de virtute hac, vti par eſt.

X. Virtus ſilentij vnum eſt ex præcipuis mediis, ad medendum cæcitati noſtræ, & omnibus intellectus noſtri defectibus.

De Quæſitionibus, & malignis Inſtinctibus Naturæ.

I. PRætextus noſtri, retia noſtra ſunt, ſed multùm defectuoſi ſumus, cùm in illis inuoluimur.

II. Nollem immunes aſſerere à bene multis quæſitionibus naturæ ſecretiſſimis, abundantes animas lumine, amore, & deliciis ſpiritualibus, propter reflectiones quibus inſenſibiliter ad ſe conuertuntur.

III. Ducimur naturaliter ad ea magis quæ nobis grata ſunt, quàm ad illa quæ aliis placent; hoc perfectioni repugnat; multò enim melius eſt placere communitati quàm ſibiipſi.

IV. Natura mendax eſt in viis ſuis, falſum pro vero accipiens & is coram Deo magna operari videtur, quorum tamen animaduerſionem, vtique & pœnam ſuſtinebit.

V. In omnibus ad quæ inclinatur natura, debemus nobis rationabiliter cauere, & proteſtari nos Dei ſolius gloriam intendere.

VI. Natura amoris perfectiui capitalis eſt hoſtis, & verus Dei amator, laqueorum eius ſubtilitatem, tanquam mortem & inferos reformidat.

VII. Hi naturæ mortui ſunt, quibus voluntas alia non eſt, quàm æternùm Deo, & gratiæ eius, propter ſolam ipſius voluntatem ſubiici.

VIII. Natura ſatisfactionem ſuam in rebus perfectis ſemper inueſtigat, inde fit, vt nemo quidpiam defectuoſum in vſum ſuum habere velit.

IX. Ex hoc certò dignoſcetur, ſi cuiuſpiam cupitæ rei, quæ pulchra & bona ſit, ſiue in eſſe, ſiue in ſpecie, naturalis ſit amor; ſi non æquo fertur animo huiuſce perfectionis minor defectus.

X. Quò maius & vniuerſalius eſt quod intenditur bonum, eò ſubtiliùs & cautiùs ſpiritus à natura decipitur, in ſtatu hominum moralium.

XI. Omne quod cùm anxietate quæritur, animatur aliqua ſpecie, quæ intellectui, veritatem obuelat.

XII. Quando multum acer eſt naturalis alicuius affectus, recta & pura in Deum intentio velaminis tantùm rationem habet, intentionẽ ſuperante affectu; inde fit, vt ſpirituales, in arduis charitatis, & aliarum virtutum, operibus ſuſcipiendis minus ardenter ſe habeant, quia viuunt in ſpiritu, & in natuta mortificati ſunt, ſibiipſis diffidentes.

XIII. Nullus quantumcumque ſanctus, non intendit finem aliquem & priuata commoda, ſpirituales ſpiritualiter, non ſpirituales minus cautè, & ſenſibiliter.

XIV. Quò maiores ſunt homines, eò maiora illorum priuatarum rationum ſtudia, etiam perſæpè ſanctitatis ſpecie obtenta, & ab appetitu propriæ excellentiæ conficta.

XV. Natura ſe excuſat, accuſat, iuſtificat, vituperat, humiliat

miliat, & deprimit, & hæc omnia, delectatione, & suiipsius complacentiâ

XVI. Delectatio, & quies gratiæ; est occultare se hominibus; natura vero omnibus se prodere appetit.

XVII. Quò plus homines perfecti sunt, eò magis sibi cauere debent à se ipsis, propter subtibilissimas naturæ reflectiones, quæ delectatur & complacet sibi, in pulchro, bono, & perfecto, eorum quæ ipsi valde licita sunt

XVIII. Omne bonum quod præstatur alteri, sine actuali directione amoris & voluntatis Dei, non est aliud quàm proprius naturæ instinctus.

XIX. Charitas omnia sustinet: natura nec sustinere, nec dissimulare potest.

XX. Pauci sanctorum in terra, perspectam omnino habuêre malitiam sui naturalis instinctus, in quæsitu suiipsius.

XXI. Omne bonum quod nobis concupiscimus, appetitui nostro consonum, valdè suspectum nobis esse debet, quia tam facilè ad nos ipsos incuruamur, vt etiam in intentionibus quæ nobis diuinæ videntur, nosmetipsos quæramus.

XXII. Omne aliud ad quodcumque nostri gratiâ manus admouemus, magis est ab instinctu proprio, quàm à gratia; sed omnino contrà de mortificatione dicendum est, nisi desiderium eius inquietum valdè, & anxium esset.

XXIII. Subtiles internæ proprietates pestes sunt spiritus, & in illis secretò, & inscij vsque ad mortem occupantur, qui languidi sunt & non respondent Deo, ex omni virtute, & conatu suo.

XXIV. Qui verè proficiunt, debent Deo soli tam firmiter adhærere, vt vno donorum eius ab eis ablato, alteri quod superest, non statim agglutinentur, vel sublatis omnibus: etiam ipsi Deo non adhærescant vt quiescant, quia tunc Deus ipse vt bonus dumtaxat haberetur ab illis, non autem vt nuda, & simplex deitas.

XXV. Diuersi spiritus gratiæ, naturæ, & dæmonis, non nisi effectibus innotescunt, & tunc maximè, cum de derelictionibus gratiæ, creaturarum, & suiipsius agitur.

XXVI. Vt plurimùm melius iudicamus de alienis operibus quam

quàm de nostris, quia in huiusmodi iudicio, lumen nostrum magis est ab affectu liberum.
XXVII. Natura pulchrum, bonum, excellens, rarum; & perfectum, sola habere vult, nemini communicando; contra verò gratia, omnium quæ possidet, idoneos participes facit: cauendum tamen, ab imaginibus quas generat hic se communicandi appetitus.
XXVIII. Sæpè puri spiritus inspirationes & affectus, ementitur imaginatio.
XXIX. Deploranda res, cum ætatem & tempus, non autem gratiam, naturam reformare oportet; quia ætas & tempus non nisi in seipsa naturam reformare possunt.
XXX Multùm difficile est (præterquam summè luminosis) discernere quonam affecti sint, & agantur spiritu, nonnulli infra 40. annos naturaliter sensibiles, & sensuales.
XXXI. Natura creaturas vult prosequi, gratia verò ipsis mori, natura pulchrum, bonum, excellens, perfectum & splendidum desiderat; gratia ab iis omnibus abhorret, amans contemni, & nesciri, nutriens se, si expediat, confusionibus æternis, natura solatium & delectationem vbique quærit, gratia respuit, Deo soli, qui consolatio & totalitas ipsius est, nudè adhærendo, demum quidquid sibi natura concupiscit, gratia ab eo abhorrescit.
XXXII. Natura pulchrum, & bonum, etiam in rebus sanctis & spiritualibus sola habere vult: gratia verò sibi alios anteponit, & hæc aliis magisquàm sibi diligit, quia vnumquemque se meliorem, coram Deo arbitratur.
XXXIII. Instinctus Dæmonis semper ad præsumptionem prouocant, & si quando ad humilitatem inducunt, hypocrisis est, & opinionis humanæ dumtaxat aucupium.
XXXIV. In repentinis vniuscuiusque habitus agnoscuntur.
XXXV. Si dubitamus qualis sit instinctus à quo mouemur, gratiæ an naturæ; alius similis in eadem materia, qui sit naturæ consonus, nobis est proponendus, & si talis species primo aspectu cum delectatione apprehenditur, primus instinctus naturæ fuit, ideóque reiiciendus.

XXXVI.

XXXVI. Nemo verè mysticus est, nisi multùm sit versatus in scientia viarum naturæ.

XXXVII. Etsi cognitio aliqua sensuum actiuitate comparari possit, tamen anima quæ his ducitur, numquam verum bonum degustabit, quia ad influxus diuinæ sapientiæ non habebit accessum liberum.

XXXVIII. Quò magis inescata est natura Dei Spiritu, qui ei suauissimus est, eò magis propensa est, & actiua ad eum sibi attrahendum, & eo tanquam prædâ suâ vtendum; adiungit semper proprium spiritum, Dei spiritui, & vtique fœdat corrumpitque in damnum suum magnum; quod sic semper fiet, nisi diligenter obseruetur.

XXXIX. Natura veram rationem, & prudentiam simulare potest in aliquo, sed non in omnibus, quia priuatum eius commodum rebus in infinitis inuenietur, quibus se numquam spoliabit.

XL. Subtilior laqueus quem nobis natura tendit, est inducere nos ad licitum pro vtili vsurpandum.

XLI. Spiritus Dei amorosam & liberam homini vim inferens, illum ad reflectendum incunctanter in Deum inducit, & vtique in eo, & pro eo operandum : contra verò spiritus naturalis, quibusdam luminibus & deliciis sensualibus cor emolliens ad proprium commodum continuò conuertit suum subiectum.

XLII. In laboribus & sufferentiis grauioribus, qui purè naturales sunt, subtiliùs mali, efferati, & pertinaces sunt, quàm qui rudes & animales, & tam hi quàm illi in Religione metuendi sunt.

De Mortificatione.

I. Numquam religiosus gustabit deliciosum manna, quod nemo nouit nisi qui accipit, si non se perfectè vicerit vsque ad mortem.

II. Qui non est perfectè mortuus passionibus suis, non est sufficientur dispositus ad accipiendum donum intellectus, sine

cuius infusione & habitu, impossibile est, quemquam esse transgressum, & in spiritu mutatum, ideóque qui foris iacent, sine spiritu sunt.

III. Non aliam ob causam regulæ nostræ nobis à Deo & hominibus præscriptæ sunt, quàm vt eamus contra nosmetipsos, & vt animalem, carnalémque hominem in nobis destruamus.

IV. Sicut austeritas corporis sola, tota comparata est ad superbiam gignendam: ita amori interno iuncta, apta est, & absolutè necessaria ad sanandam animi elationem & vanitatem.

V. Veri spiritus alumni contra seipsos pertinaciter Dei partes æternùm suscipiunt, absque venia, & vlla indulgentia.

VI. Religiosus Carmelita sine contemplatione sanctus esse potest, modo vita eius, & opera sint sancta, quod tamen esse non potest, absque oratione, & passionum, affectionúmque humanorum abnegatione.

VII. Simplicibus & abstractis mors est recreatio sensuum: ad quam feruntur numquam vt se recreent, sed coacti dumtaxat, & ex necessitate, in bonum & ædificationem proximi.

VIII. Sunt aliqui motus, & voluntatis passiones, quæ rationabiles sunt, ex lumine rationis excitatæ: sicut & sunt omnino animales vt videre est in hominibus de vulgo.

IX. Vnum est quod magnoperè miror, scilicet, quosdam Superiores, Religionis finem in sola externa, perfecta & exacta regularitate constituentes: Cæterum si Religiosi interius sint omnium suarum passionum, vitiorum, & concupiscentiarum bestialium præda, paruipendentes.

X. Religiosi qui pluris quàm par est, exteriora sua munia ducunt, de communi sua infelicitate gloriantur.

XI. Omne quod expetitur sine indifferentia perfecta, & omne quod propriâ voluntate, & priuatâ quæsitione suscipitur, suiipsius amor est.

XII. Si quis tremor animum inuaderet, talem metum simplici ratione præoccupate, & non sinatis vsque ad sensus extendi: hac ratione ferè omnes excutientur.

XIII. Mortificatio sensuum, & passionum, obseruatio silentij, regulæ, & cæterorum, media sunt ad acquirendam perfectionem: ideóque obligant non secus ac illorum finis.

XIV.

XIV. Contendendum eſt naturam fallere in omnibus eius commodis, intendo tamen diſcretè, iuſtum ei aſſignare medium.

XV. Caueant ſibi diligenter Religioſi à falſa ſenſuum libertate, & à liberiori conſcientia; ſcire enim debent, ſe ita teneri ad totalem ſenſuum, & paſſionum mortificationem, vt ſe non poſſint ab hac obligatione ſine peccato eximere, propter ſcandalum quod perpetrant in Religione.

XVI. Homo veraciter ſpiritualis, quæ purè licita ſunt, à ſe ſubtiliſſimè ſubtrahit, ad ea dumtaxat quæ expediunt, ex omnimoda Deum inter & ſe præuiſione, procedens. Et hoc ipſum eſt quod in infinitum tendere, nuncupamus.

XVII. Omnis homo qui operatur, & ſubſiſtit in pura natura, animalibus ſimilior eſt, quàm veris hominibus.

XVIII. Si vere Religioſi ſumus, contra imperfectiones dumtaxat dimicare debemus, bellúmque noſtrum aduerſus peccata, ſeculari multo occultius, fortius, & cruentius eſſe debet.

XIX. Multùm deploranda res, Religioſos multos, æque acriter tentationibus oppugnari, impugnari, & expugnari, nec minori cum labore ipſis reſiſtere: ac miſeros ſeculares.

XX. Animat ſe continuò verus Religioſus ad pugnandum contra ſeipſum, generosè, fortiter & ſanctè, non reſpiciens ad mercedem, ſed ad Dei amorem dumtaxat & beneplacitum.

XXI. Qui non ſentit, nec videt intus & extra ſe, proprios ſuos hoſtes, illis omnino ſubiectus & mancipatus eſt.

XXII. Religioſus benè domitos habens ſenſus, & Deo intentus, ſecularium corda, cum illum in ſua modeſtia intuentur, efficaciùs commouet, quàm omnis exterior apparatus.

XXIII Periculoſius aliquâ ratione eſt, mortificationi deeſſe in minoribus quàm in mediocribus, minores enim culpæ, & imperfectiones oculos obuelant, maiores verò reuelant.

XXIV. Aptior naturam mortificandi modus in ipſius proprietatibus eſt eas illi auferre antequam poſſideat; quia non tam deſideratur, quod poſſidetur, quàm quod non habetur.

De Charitate erga Deum.

I. AMor otiosus non est, & numquam desistit, quoluque viuido affectus & actionis cursu, omnem obicem & impedimentum superauerit.

II. Si amor rationem non supergreditur, homo seipsum numquam transgredietur.

III. Ludus est dumtaxat illudens, nullius valoris & nullius effectus, sensu tantùm & teneritudine deuotionis affici, quâ deficiente, deficit quoque omnis præcedens voluntas bona.

IV. Desiderium animarum sanctarum semper vires illorum superat, propter earumdem infinitam obiecti magnitudinem & pulchritudinem.

V. Iesus Christus in cruce mortuus est, vt totum hominem ad se traheret, iugique & amorosâ, in infinitam amoris sui abyssum immersione absorberet.

VI. Cùm aliquis agendo, patiendo, moriendo, & amando, siue in amore, siue supra amorem, factus est spiritus, & diuinus; iudicari non potest, in via sua, ab alio, quàm à simili.

VII. Qui tantùm in suiipsius amore viuit, mortuus est, & peior quàm mortuus, quia eiusmodi vita aliud nihil habet, quo suam quietem sibi conciliet, quàm impetus passionum suarum dumtaxat & sensuum.

VIII. Purus, perfectus, & essentialis amor, consistit in cruce & sufferentia voluntaria, in exerçitatione virtutum actionis tempore, in profunda humilitate, contemptu, & suiipsius deiectione in æterna morte, & paupertate spiritus; & non est alia sanctitas in hac vita, quàm in æterno morientis in cruce pro nobis Saluatoris comitatu.

IX. Amor non retrogreditur, numquam dicit sufficit, erubescit cum terminum difficultatis intelligit, amat supra tempus, & supra sensum, & effectus eius in amorosis sufferentiis agnoscitur.

X. Fundus animæ non est amore transfusus, donec virtutes omnino

omnino ſupergreſſus ſit, eique ſic famulentur, vt eas ad manum habeat, ad quodcumque libuerit, in ordine diſcretionis ſuæ.

XI. Purus amor ſummè perfectis dumtaxat conuenit, & nemo poteſt illum inceſſanter in puritate & veritate ſpiritus exercere, niſi ſummam virtutum ſit adeptus.

XII. Purus amor per ſeipſum nullatenus agnoſcitur, ſed per ſingulares dumtaxat virtutes, noſque ipſi non aliâ ratione amorem noſtrum, verum an falſum diiudicamus.

XIII. Verus amor auro ſimilis eſt, quod non colore, ſed Lydio lapide comprobatur.

XIV. Amor purus in infirmitate, & æterna cruce dignoſcitur. Hoc quàm citò dictum homini non amanti, & pro felicitate ducenti nihil perferre, numquam contradici, nec in contrarium ſuiipſius ſenſum exerceri; quantomagis non languenti, & adhuc magis præ amore animam non agenti.

XV. Verax amator agit ſemper in Deum quando liber eſt, & ex corde patitur; quando non eſt, aliam non habet electionem nec propoſitum, quàm dedere ſe amoris martyrio prædandum, & hic eſt exercitationum amoris apex in hac vita.

XVI. Anima quæ non quærit ſeipſam, ſed purum dumtaxat amorem, eſt in mundo, maior mundo, & vt chariſſimo ſuo ſponſo ſimilis fiat, ſupra naturam patitur, ſupra guſtum, & ſupra dulcedinem, fixa ſtabiliter in Deo, quò ſenſualitas attingere non poteſt.

XVII. Deus gratiarum ſuarum theſauros in nobis congregat; vt eos tanquam amoris ſui effectus inibi contempletur.

XVIII. Certa & firma eſt veritas, quod ſpectat ad interiorem vitam, nos non habere ſupererogationis operà; quandoquidem Deo nos totaliter debemus, tam propter ipſum, quàm propter infinita eius beneficia.

XIX. Si non ſit in nobis ardens amor, neque ſpiritus & lumen Dei aderunt quoque; & mirum non erit, ſi nolentes noſtri iacturam facere felicem in Dei ſpiritu, in noſtro proprio pereamus.

XX. Locus, habitus, profeſſio, vita, regulæ, & ſtatuta non ſanctificant Religioſum, ſed eximia charitas, amor, & profunda

humilitas; reliqua omnia media ſunt dumtaxat, vtique præſtantia, ad hoc ordinata.

XXI. Credere non debemus, nos nullo pretio obtenturos ſupremi boni poſſeſſionem; alioquin amor naturalis dumtaxat foret, & in nos ipſos reflexus.

XXII. Qui difficultatibus, & arduis exercitationibus facile vincitur, argumentum eſt certiſſimum, illum amorem habere in verbis tantùm & deſideriis, non in corde & operibus.

XXIII. Agere vitam continuò debemus, in aſpectu & affectu infinitæ abyſſus amoris Ieſu-Chriſti, reddentes ipſi amorem pro amore, dolorem pro dolore, pœnitentiam pro pœnitentia, paupertatem pro paupertate, vitam pro vita, totum pro toto; quamuis ex eo infinita ſint omnia, & ex nobis omnino nihil.

XXIV. Vera & firma charitas neque præceptum quærit, neque debitum expreſſum, ad bene operandum.

XXV. Infelix ille qui cùm poſſit amare Deum ex omnibus viribus, & in amore perfectiuo, non amat eum niſi amore Chriſtianis omnibus communi.

XXVI. Verax & ardens amor operatur in hominibus ſpiritum ſimplicem, appetitum ſimplicem & extenſum, omnimodam recollectionem virium omnium, tam ſuperiorum quam inferiorum, ita vt vnum videantur eſſe erga ſummum bonum.

XXVII. Secretum eſt, vtique altiſsimum, amorem in ſe ipſo ſummè exercitatum eſſe infinitè aliud, quàm viuere vitam ad voluntatem Dei ſolùm ordinatam.

XXVIII. Cognoſcitur amor Dei, & eius effectus, quando anima quæ eo mota eſt profundè ſe humiliat, vultque veraciter contemni.

XXIX. Nihil dulcius & iucundius homini amoris capaci, quàm videre ſe à Deo amari, qui eſt nobilitatis & excellentiæ infinitæ, vtique infinito amore.

XXX. Oportet vt Religioſi ad excellentem Dei amorem euocati, numquam deſiſtant in eum effluere, per viuidum & ardentem amorem, ſeipſos excedentes, & omnes imagines ſenſibiles, vt ſine impediento & in ſpiritus quiete, Deo ſuo ſummo bono perfruantur, ad æternam ipſiuſmet Dei lætitiam.

XXXI.

XXXI. Cumulus humanarum miseriarum est nescire, non sentire, non desiderare, & non gustare Deum.

XXXII. Heu scire nos, & credere quantùm sit amabilis Deus, & tamen tam segnes esse ad sanctè excitandum nos, vt eum summè & profundè diligamus!

XXXIII. Proh dolor: quæ cœcitas, & quæ miseria! adeò ne homines, qui videntur Aquilæ excedendo naturas, rerum in seipsis, inepti sunt in viis amoris, & cognitionis Dei.

XXXIV. Qui perfectum Dei attigit amorem, numquam illum quidquam rogat, quàm propter altissimam eius gloriam, & in perfecta conformitate voluntatis eius vltimæ.

XXXV. Tantùm excellit dumtaxat fides, quantùm animata est ardenti in Deum charitate.

XXXVI. Effectus charitatis in aliquibus sunt tantùm sensus, in aliis spiritus, at vera charitas non vtique sensus operibus, sed veris spiritus operationibus mensuratur.

XXXVII. Adeo amabilis est, tantúmque promeretur amorem Dominus noster, vt Seraphicus amor exiguus sit erga illum.

XXXVIII. Numquam fatigatur veræ charitatis amor, quidquid accidat; amor sensibilis ratiocinatur ad amandum, sed amor nudus, simplex, & abstractus à sensibus magna semper, aut vt melius dicam, omnia operatur, & patitur.

XXXIX. Ratiocinari ad amandum peccatum est contra amorem purum.

XL. Modi quibus nobis Deus sua dona largitur, innumerabiles sunt, vt nos suis anticipationibus edomet, & sibi subiiciat.

XLI. Quod nos ad amandum infinitè mouere debet, est vtique, quod eruptiones sumus amoris Dei infinitè excessiui, qui nos nobismet ipsis palam exponens, vt eo cumulatè perfruamur, vult à nobis omni sollicitudine & studio diligi.

XLII. Etsi sola charitas ad christiani perfectionem sufficiat, nihilominus aliæ virtutes quantùm necesse est comparandæ sunt.

De

De Charitate erga proximum.

I. IN hoc viuida charitas innoteſcit, cum quidam reſignatus agnoſcitur, non ſolùm in omnibus ſufferendi occaſionibus, ſed etiam cùm amoroſè pro bono fratrum ſuorum fertur ad actionem. Qui enim Deo veraces ſunt, volant vt ita dicam ad hoc exercitium in omni euentu, nec à temporis diuturnitate ſuperantur. Non tamen ad hæc ſe intempeſtiuè & temerè exponunt, ſed neceſſitatibus & afflictionibus fratrum ſuorum ex corde compatiuntur.

II. Qui non habent fortitudinem, & fidelitatem ad hoc vt generoſè moriantur in nuditate ſpiritus, ſenſibilibus Dei influxibus: aliquando ſibi perſuadent vocari ſe à Deo ad reformandos alios. Stultitia eſt vtique & vanitas, propria exquiſitio, & naturæ complacentia, quæ nuditatem, tædio affecta ægrè ferens, viuendi media quæritat, & non moriendi. Non vult Deus verè ſolitario vti pro alio, quàm pro ſe ipſo.

III. Verè perfecti debitum eſt, fratris ſui crucem ſubleuare, & non aggrauare, compatiendo quantùm fieri poterit doloribus in cruce patientis.

IV. Oportet eſſe ſanctum non ſolum in ſeipſo, ſed etiam in operibus, in exemplum proximi, cui cum fundus noſter minimè pateat, ſupereſt vtique iudicare per opera.

V. Cum videmus aliquem patientem, nobis non debet eſſe ſatis ei ad intra compati, ſed id exterius etiam demonſtrare debemus, & ſuper hoc commouere nos, diſcretè tamen, & ſine affectatione & quò imperfectior eſt patiens, eò amplius & hoc præſtandum eſt.

VI. Adeo exigua eſt vulgarium hominum charitas, vt in opere laborioſo facillimè euincatur, maximè ſi diuturnum, moleſtúmque ſit, & proximi auxilium agatur. Hi amore dumtaxat naturali tenentur, ~~licèt ſibi~~ contrarium videatur, qui vtique tædio, & labore fractus, abiicit omnia, quia ſeipſum tantùm & quæſiuit & quærit ſed.

VII. Homines perfecti corpus & vitam totaliter debent impendere

pendere pro benè eſſe naturali proximi, quod maioris eſſe pretij coram Deo, ſuo proprio credere debent, & fratrum ſuorum præocupare neceſſitates. O quàm pauci ſunt qui propriam vitam & animam ſecundum benè eſſe ſenſibile prodigere velint pro benè eſſe totali & ſenſibili proxmi.

VIII. Verax & firma charitas neque præceptum quærit, neque debitum, ad iuuandum proximum, ſed ſolam opportunitatem & anſam.

De Oratione, & vita interna.

I. Religioſi magni ducere debent orationis ſtudium, tanquam optimum, & maximi momenti ſuæ perfectionis medium, non tam propter guſtus & ſapores quos in ea percipiunt, quàm propter id, quod Deus eſt in ſeipſo.

II. Mirum non eſt, ſi tam pauci inueniuntur Religioſi virtutibus præditi, cùm habeant appetitum adeo contrarium, virtutum omnium origini, & totius boni principio, recollectioni ſcilicet & orationi.

III Religioſi ægerrimè ferre debent temporis lapſum, in quo orationi vacare non poſſunt.

IV. Qualis quiſque eſt in vita ſua, & in appetitibus ſuis, talis in oratione erit tam mentali quàm vocali.

V. Religioſi qui ſeruiunt Deo in fortitudine & veritate ſpiritus valdè induſtrij eſſe debent, vt ſe auertant ab omnibus creaturis vtique à ſeipſis, & ſe attentos præbeant videndæ & ſentiendæ quantùm poterunt infinitæ Dei Maieſtati, vt ſe coram illa tanquam aquam odoriferam corde & anima, in dulci & ſapido precum ſuarum feruore effundant.

VI. Vt habeatur attentio pacifica & continua in oratione, neceſſaria eſt magna cordis, affectus, & intentionis puritas, cum pace cordis & ſpiritus.

VII. Obſecranda eſt diuina Maieſtas ex interiori, ex exteriori, & ex te ipſo toto, tam priuatim quàm publicè.

VIII. Cùm in pacifica & totali fruitione cordis & animæ ſumus, tunc Deo vacandum eſt colloquiis amoroſis, ſimplici-

bus, interioribus, & ſpiritualibus, quoad intimè & affectuoſiſſimè fieri poterit.

IX. Etſi terrenis corporibus prægrauemur, tamen ſupra ſenſibilia viuere debemus iugi cordis & ſpiritus eleuatione, habentes corpus dumtaxat in terra, animam autem ſemper in Deo, Deo vacantem.

X. Credere debemus nos vitam naturæ & gratiæ non propter aliud habere, quàm ad refluendum actiuè, in Deum & inſtanter nos refundendum in eum.

XI. Quicumque non amat internam vitam, neceſſe eſt eum eſſe omnium ſuarum paſſionum ludibrium & ſcopum.

XII. Spiritualis tantùm in ſpeciem vt plurimum intentiones omnes, affectus, & agendi rationes, ſunt tantum zelus concitatus, cœcus & indiſceretus.

XIII. Homines vt plurimùm ſanctitatem in aliis colunt, & diligunt, ſed quantùm ad ipſos, & pro ſeipſis fugiunt illam, & pro viribus deſtruunt.

XIV. Qui non accipiunt diuinum lumen in ſpiritu, & pro ſpiritu, ampliùs accipere nequeunt lumen & ſpiritum quàm ad extra; ideo hæc lumina non erunt permanentia, quia non ſunt penetrantia.

XV. Religioſus internis deſideriis, & diuinis affectibus vacuus, inceſſanter erit ſupra ſe reflexus, conſequenterque in æuum ſollicitus, & in inquietudine ſua infortunatus.

XVI. Religioſi qui pigri ſunt & tepidi in diuina introuerſione & occupatione interna, numquam experientur dulcedinem & ſuauitatem diuinam, vnde cogentur foris circumcurſare, in ſenſibus quæritantes ſolatium & ſubſidium.

XVII. Religioſi quibus ſapidus & ſimplex Dei ſpiritus prædominatur, nihil coactum, nihil violentum habent, ſed videtur quaſi ſolus Dei Spiritus omnes eorum actiones ad extra, propter gloriam ſuam propriam, & altam proximi ædificationem operari.

XVIII. Multum diſtat à perfectione, qui neſcit Deum in omnibus inuenire.

XIX. Quia bona vita condemnat prauam, indè fit vt ſenſuales homines ſpiritualium egreſſus quantùm poſſunt improbare
con

contendant, velantes hac ſpecie horrorem & amaritudinem, quam ex huiuſmodi vita patiuntur.
XX. Verè interni nullius rei, præterquam Dei ſolius ſtudioſi ſunt, nihil habentes proprium in ſenſibili & viſibili, neque intra, neque extra ſe, manentes quieti & ordinati in Deo, quem ſupra omnia dona ſua modo ineffabili poſſident.
XXI. Haud dubium quin, ſicut anima præcipua pars eſt hominis, ita eſt & ipſius ſanctitatis.
XXII. Infiniti momenti eſt, vt ſpiritualis homo vitam ducat ſemper æqualem, nec vel minimùm à debita grauitate diſcedat.
XXIII. Religioſus magis viuere debet ex Dei præſentia, quàm eius corpus animæ ſuæ præſentia.
XXIV. Religioſi intrantes Religionem, contraxerunt debitum vitam animalem & ſenſualem penitùs deſtruendi, vt vitâ ſpiritus omnino viuant.
XXV. Heu! quæ hodie Religio quibuſdam in Monaſteriis! corpora ſunt & capita politico ſpiritu animata, vbi acceſſorium Religioſos rapit, & languet ſpirituale.
XXVI. Digna res admiratione æternâ, nolle homines mali quidquam habere, præter animas ſuas.
XXVII. Quod affligit (ſi ſic loqui licet) infinitè Deum noſtrum, eſt quod ſubiecta ad recipiendas largas ſuas & amororas profuſiones, diſpoſita reperire non poteſt.
XXVIII. Cœcitas, duritas, & inſenſibilitas in rebus ſpiritualibus, ſunt omnium malorum conſummatio.
XXIX. Spirituales homines ferè tantùm à Deo cognoſcuntur, & à conſimilibus valdè imperfectè, niſi ſint excellentioris viæ.
XXX. Quò plus quis per amorem Deiformis eſt, eò magis Dei amicus eſt, & quò Deo amicitior, eò faciliùs pro ſe & pro aliis quæcumque vult, obtinet.
XXXI. Si Deus facile tribueret vulgaribus hominibus quæ ab eo poſtolant, dona ſua deprimeret, & iis, ingrati in ruinam ſuam abuterentur.
XXXII. Qui foris iacent & quieſcunt, in vita actiua: numquam eam ſupergredientur, vtique nec ad manifeſtationes,

ſplendores, & delitias vitæ interioris peruenient.

XXXIII. Etſi vita noſtrâ ſit ſimpliciſſimæ fidei, in ſimpliciſſima ſua nuditate: licet aliquando ſe per ratiocinationem vocalem ad Deum conuertere, non ſe introuertendi gratia, ſed quia actus eſt valdè licitus, & ab amore perfectè conſummato ſæpiùs requiſitus.

XXXIV. Quicumque paſſioni alicui enormiter ſubiicitur, numquam hoc ipſo exuit illam, ideóque ſemper ineptus erit non ſolum ad excellentem & ſublimem contemplationem, ſed etiam communem orandi rationem.

XXXV. Noſtra ad Deum, attentio per officium diuinum ex toto anima eſſe debet, ſimplici vnicóque deſiderio, & ſpiritus eleuatione, non autem ex ſolo intellectu, agitando animo, & inueſtigando diuerſos verborum quæ proferuntur, ſenſus: hoc enim ad literaturam dumtaxat propriè pertinet & non ad precem. Simplices in hoc & idiotæ potioris conditionis ſunt, agentes in ignorantia & ſimplicitate ſua cum Deo per amorem; aliis ſpeculationi rerum quæ ad Deum pertinent magis quàm eius amori vacantibus.

XXXVI. Perſoluentes diuinum officium ſiue priuatim ſiue publicè debemus eſſe interiùs & exteriùs benè compoſiti, nihil operantes, aut geſtu, aut motu corporis contrarium grauitati, reuerentiæ & attentioni quam Deo debemus; nos vtique qui chariores ſumus & teneriores filij.

XXXVII. Nullus eſt Religioſus qui non debuiſſet eſſe expertus, quæ poteſt operari Deus in ſpiritu per diuinas ſuas irradiationes.

XXXVIII. Æquum eſt, eos qui voluptatem hauſerunt ex attractione ſpecierum delectabilium rerum externarum, ab illis orationis tempore fatigari, iuſto Dei iudicio huiuſmodi imaginibus quaſi conſtitutis tortoribus, viam eis præcludentibus ad dulcem Dei in ſeipſis communicationem.

XXXIX. Qui in creaturarum circumferentia occupatur, elongat ſe à centro ſuo, quod eſt Deus, itaque oportet eſſe eſſentialem, arctum & conciſum in ſua ſpiritus exercitatione.

XL. Multùm eſt operatus qui benè incepit, ſed qui ſemper in progreſſu incipit, cito ad finem peruenit.

XLI.

XLI. Permulti orationi dediti, Deum numquam sapiunt, quia ipsi extra orationem ampliùs non attendunt.

XLII. Capaces sumus amicitiæ Dei, & quidem infinitis ipsiusmet impensis, multúmque condolet quòd non possit hominibus abundanti spiritus sui effusione omnia quæ vellet bona largiri, infinitámque suam liberalitatem tam arctè ab hominibus restrictam videat.

XLIII. Heu! magnam miseriam, homines non esse Deo plenos, & diuino eius spiritu incessanter agitatos.

XLIV. Qui ad vitam spiritualem & mysticam introducti fuerunt, eámque voluntariè dimissam vilipendunt & calumniantur, ministri sunt Dæmonum, qui cum huiusmodi hominibus aptissimè consociantur, malitiam eorum frequentibus suis & validis tentationibus continuò prouocantes, oppidóque sperantes se eos in articulo mortis habituros.

XLV. Vera, nuda, profunda, & simplex introuersio exerceri, & in sua vera perfectione compleri non potest, nisi sumptibus veracium & non fictorum amantium, nec vtique conuenit iis, in quibus naturalis amor excedit verum, essentialem & simplicem.

XLVI. Extraordinariæ inspirationes non tribuuntur, nisi hominibus extraordinariis, tam in consiliis quàm in effectibus.

XLVII. Discretio & vera prudentia, indicia sunt veri profectus animæ in vita interna.

XLVIII. Homines spirituales donantur à Deo Patre Saluatori nostro, tanquam propria sua locatio, propriúmque bonum, vt illud colat, & abundanter augeat, ad plenam Dei Patris sui satisfactionem & gaudium; nec non & suum proprium.

XLIV. Fundus animæ nostræ, sedes est inefabilis felicitatis nostræ: Adeò mirabile est quod illic nobis manifestat Deus, vt nihil huius sub sensum cadat, vnde exprimi possit. Illic sumus in Deo perditi, in quo stabiles & immobiles manemus in ipsa Sanctorũ plenitudine. Illic radices nostræ altissimæ, & fruitio nostra ineffabiliter sapida, supra gustum æternum amoris in seipso, in eminentia quietis.

L. Species est tyrannidis, veram spiritus vitam contemnere

in iis, qui ad eam trahuntur & euocantur, ſub prætextu quòd ignoratur, & in ea nihil cognoſcitur.

LI. Qui verè in fundo humiles ſunt, & Deo purè placere quærunt; ſi deſit illis hominum directio, Spiritus Sanctus qui omnia viuificâ ſuâ vnctione docet, non deeſt illis in hoc amoroſo officio.

De Sacra Synaxi.

I. SVmentes ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, debemus tradere nos perſonaliter animam & corpus ei quem accipimus ad reciprocandum eius amorem, quod eſt creaturam addere paradiſo paradiſum. Et â vero amante adeo exoptatur, vt eum millies in die reciperet, ſi ipſi licitum foret, indéque affligitur, quod alio alimento vti cogatur.

II. Si poſt communionem deeſſemus amori reciproco, ſimiles in malitia eſſemus iis, quorum miſeriam deploramus.

III. Quid eſt fidelem ſponſam ad Sacram Synaxim accedere, quàm nuptias Agni ſumma cum exultatione celebrare.

IV. Qui ſe communionis corporis Ieſu-Chriſti proprietarios efficiunt, maius ipſi fortaſſe damnum inferunt, quàm qui omnimodâ ingratitudine & infidelitate ſuſceptum, abſque colloquio ſolùm relinquunt, vt faciunt permulti ſacerdotes mali.

De Fide.

I. SIcut corpus abſque anima mortuum eſt: ita & fides ſine amore mortua eſt.

II. Languet fides, & ſemiuitam tantùm habet in maiori parte hominum; adeóque paruus eſt in illis Deus, vt quaſi annihilatus ſit.

III. Adeo rudes in fide & imperiti ſunt quamplurimi homines, vt leuem dumtaxat eius delineationem, & veſtigia quædam habeant. Ita vt illis dicere, habendam eſſe de Deo per amorem ſummam exiſtimationem, ſurdis ſit verba facere, &

lapides

lapides animare velle, aut brutis animantibus sapientiam loqui.

IV. Fides per studium comparata, ingens est dumtaxat colossus, tenuissimo vitæ flatu animatus; vix potest dici an viuus an mortuus sit; melius scientia quàm fides appellatur.

V. Ad hoc scientia sæpissime tantùm inseruit, vt fidem destruat, magis quàm accendat; alioquin viderentur docti, esse Dei amorosi, & ad charitatem propensi, recollecti, & in se ipsis ordinati.

VI. Lectissimum & maxime essentiale amoris nostri centralis punctum est, Deo per simplicissimam, nudissimam, & amantissimam fidem adhærere.

VII. Quo plus sapida est & amore parta fides, post primam infusionem: eò plus amorem illuminat; sicut & ipse amor fidem vtique confirmat.

VIII. Qui habent hanc sapidam fidem, iam nunc in gradu aliquo beatitudine participatâ fruuntur.

IX. Quicumque fidem & verum amorem habet, omnia supereminet, erectúsque supra seipsum Deum eminentissimo obtutu conspicit.

X. Ad hoc tantùm nobis in baptismo infusa est fides, vt illam posteà comparemus, & iugi pióque amore sapidam reddamus.

XI. Ex omnibus donis quæ largiri potest Deus, quod animam singulariter delectat in hac vita, est fides sapida, amorosa & luminosa, qui enim illam à Deo tanquam amoris sui mutui pretiosum pignus accepit, videt illius ope, & intelligit, quæcumque de se Deus, suísque infinitis perfectionibus & diuitiis reuelauit, séque omnem seculi doctrinam, citra comparationem transcendere percipit.

XII In perfectis fere idem est fides & amor, licet optime norint vtrumque distinguere pro vt oportet.

XIII. Perfecti contemplatiui non melius agnoscent in gloria sanctorum, argumenta fidei quàm hîc agnoscunt, quia simplex eorum obiectum, & ipsius fruitio, apud illos rationem vnius habent; supra fidem, & supra omnem scientiam, propter amorem, super amorem, in amore totaliter possessi, vel vt melius dicam, totaliter possidentes, in supergressione, in perdita

imper

imperceptione, & in perceptione imperceptibili.

XIV. Maior pars hominum Dei manus comprimit,& constringit,qui videns modicum illorum amorem, & infirmam fidem, non nisi parcè & tenaciter munera sua illis conferre potest.

X V. Incertum est inter nos quisna n reprobus aut prædestinatus sit, quod probè scioest, quia meremur propter infidelitates nostras à Deo deseri in vita nostra, & in mortis articulo, attamen in hoc calamitoso puncto, diuinæ bonitati cum quatuor anchoris,fide scilicet, spe, charitate, & Dei misericordia firmiter adhærendum est.

X V I. F des doctrinâ collustrata, facit vt homines etiam vulgares de Deo magna sapiant, sed non supergrediuntur illam scientiam, & lumen, manentes in exercitiis vitæ omnino communis; alij de Deo, & fide benè sentiunt, viuentes tamen in peccato mortali, de Deo aliis rectè loguntur, cum ostensione sensus & affectus,ad celandam suam turpitudinem, at regnum Dei non est in sermone,sed in virtute.

De Patientia, Constantia, fortitudine, & Generositate Spiritus.

I. VIrtus patientiæ vt patientia est, non est integra fortitudo, sed eius effectus in gradu aliquo:quia patientia supponit reflectionem plus vel minus viuidam, quam non habet fortitudo.

II. Munus est proprium, & effectus fortitudinis diuinæ, naturam eleuare ad purum spiritum, & eam in illum transmutare, hominémque Deo, amoris nexu arctissimo, coniungere.

III. Fortitudo diuina producit semper effectum suum infallibiliter in suo subiecto, nisi stet per illud.

IV. Fortitudo auget sapientiam in homine, & sapientia ordinat fortitudinem; fortitudo enim quæ sine ordine est & discretione,temeritas est,furor & præcipitatio.

V. Vera fortitudo sustentat & fouet humilitatem, éstque necessaria

necessaria ad acquirenda & conseruanda omnia spiritus bona.

VI. Nostri spirituales inimici iuge sunt nostræ fortitudinis exercitium, quod ideo exercitium in actione forti consistit prosperitatis tempore, & in forti sufferentia tempore aduersitatis.

VII. Fortitudo perfectorum simplex est, & nuda, residénsque in fundo animæ, quò omnes vires vltra operationem omnem sensibilem redactæ sunt. Et vndè sensitiuus homo non recipit ampliùs quidquam fortitudinis, & auxilij sensibilis vt fortiter operetur sicut prius. Hinc fit, vt homo sit robustus spiritu, & tamen corpore valdè infirmus esse possit, nihil ei suâ cruce charius, & tamen vix potest asperum quid, & molestum in suo corpore perpeti, quin sensum doloris exprimat, modestéque gemat, licet suum statum pro mille mundis nollet commutare.

VIII. Infirmi debent a Deo petere humiliter malorum suorum redemptionem, vt ei melius seruiant, expectantes fortitudinem ad nude & sine amore sensibili in cruce moriendum.

IX. Perfecti liberare se possunt à malis quæ illos à fruitione obiecti sui diuini abducunt, quod si non possunt, illic in cruce languere & mori debent, crucifixi ad extra, intus autem in Deo quiescentes.

X. Fortitudo passiua in Spiritu Sancto diuersos habet gradus, Deo eam largiente iuxta mensuram veritatis vniuscuiúsque, aliquibus pro sufferentiis communibus, aliis maiorem, aliis denique maximam.

XI. Vnusquisque de sua fortitudine passiua iudicium ferre potest per suam patientiam, aut impatientiam animi, in vincendis naturæ tædiis, plus minusve diuturnis, quod anima facillimè ex fundi sui tranquillitate poterit obseruare. Si enim non inuenitur quieta & pacata in huiusmodi impressionibus, victa est, & reflexa in seipsa, & in sua natura.

XII. Altior & nobilior fortitudinis diuinæ status, est efficere vt numquam anima impatientiâ moueatur ex diuturnitate suarum mortium.

XIII. Sunt aliqui ita corpore debiles, vt vix quidquam pati posſint, quod existimo ex duplici oriri capite, scilicet magnâ

Spiritus nuditate, & non vsu tolerantiæ; hi tantò fortiores esse debent spiritu in cruciatuum violentia, quantò sunt corpore imbecilliores.

XIV. Impatientia & cordis amaritudo, ex fundo immortificato procedit amore sensibili vacuo, séque dumtaxat in suis operibus respiciente, licet ipsi contrarium videatur; indè repugnantiæ ad sufferendum, & in sufferentiis querimoniæ.

XV. Vera virtus & charitas ex fortitudine & constantia mensuratur in perferendis generosè substractionibus necessitatum tam Spiritus quàm corporis. Nam caritas fortis est sicut mors, & aquæ tribulationum numquam eam debent extinguere.

XVI. Ne sis vmquam inquietus quidquid acciderit tibi, quia inquietudo ianua est per quam Diabolus intrat in animam; ita vt etiam virtutes, & ipsemet Deus cum anxietate & sollicitudine exoptatus, aliud nihil sit quàm suiipsius quæsitio, & propria satisfactio.

XVII. Sic debemus exteriùs esse dispositi, vt nullus casus vim habere possit, incutiendi menti nostræ & rationi timorem.

XVIII. Animi instabiles & inconstantes semper vt luna mutantur, non sunt idonei ad altiora Spiritus consilia, quia deest illis cor & generositas.

XIX. Anima generosa mauult millies mori, quàm vmquam animum abiicere, circa varios casus, & rerum euentus, vt ex eorum vicissitudine, & alteratione mutationis quidquam patiatur.

XX. Fatendum est difficillimum esse assiduam malorum hominum exagitationem pati, multò plus Dæmonum omni humanitate carentium. Sed fidelis anima in iis Deum iugiter intuetur, qui operatur in illa, occultâ fortitudine; eam sine reflectione ad creaturam, his in asperis exercitationibus lætam in fundo suiipsius efficiente.

XXI. Scientia bellantium amatorum, est, Deum non mutari, ideo necesse est, apud illos virtutem & amorem tendere indeficienter in Deum: & eò iucundiùs, alacriúsque, quò pœnæ, & afflictiones perferendæ horribiliores sunt.

XXII. Patientia est virtus affectiua Spiritus, quam fortitudo diuina

diuina producit, ad agendum & multò magis ad patiendum arduas aduersitates.
XXIII. Patientia quæ diuturnitate vincitur, ostendit fundum à quo manat esse imperfectum.

De amorosa resignatione, & abnegatione nostri ipsorum in Cruce.

I. IGnis amorosæ resignationis supprimit omnem sensum, tam intra quàm extra, vsquead animæ medullas, & intimum eius fundum, quæ ad hoc desolationis & impotentiæ punctum deducta, vrit holocaustum suum supra omnem cognitionem, nesciens vtrum odio an amore sit digna, Deumùe cognoscat, licet ipsi nudissimo & simplicissimo amore, occultáque fortitudine passiuâ, firmiter adhæreat, nullatenus de mediis se liberandi cogitans; omne gaudium eius, est, si Deo placeret, æternùm in hac cruce mori, & creaturæ aptiores sunt ad malum eius exaggerandum, quàm ad eam consolandum. Huiusmodi animæ purissimæ sunt omnium in terra viuentium. Sed heu! vix scimus de quibus loquimur.
II. Licet aliquis numquam attingat supremum amoris gradum, si tamen abneget seipsum, & omnino exuat in priuatis rationibus & commodis, talis amor renunciatus, sæpe Deo acceptior est, quàm omnino liquefactus, & altè eleuatus Et in hoc hominis voluntas quæ omnis eius thesaurus est, omne suum imperium suprà omnem influxum & sensum, Deo amorosè sacrificat.
III. Quando peruenimus ad centrum nostrum, transfusi, & annihilati in Deo, omnimodâ transmutatione voluntatis nostræ in voluntatem eius; iam hinc plenitudine sanctorum fruimur, etiam in mediis præliis, & cruciatibus nostris Quod mirum quidem est, Deum in nobis per omnia exercitationum genera magis ac magis perpoliendis, singulariter delectari.
IV. Hi inter sanctos sunt sanctissimi, qui sufferentiarum & angustiarum in earumdem abundantia, & diuturnitate, inexple-

biles sunt.

V. Dici potest inter sanctos quosdam gigantes esse quantùm ad patiendum in corpore, & alios qui sunt quasi ipsamet infirmitas, cuius Deus valde expressè rationem habet. Sed negari non potest summum Dei esse donum, quando per altam sancti Spiritus fortitudinem, crucibus & sufferentiis interioribus exteriores adiunguntur, & hoc sanctitatis genus esse rarissimum & coram Deo pretiosissimum.

VI. Si desideratis scire quinam ad intra totaliter trahantur, omnimodâ extensione, & luminosâ suiipsorum simplificatione in Deũ; dico eos esse, qui in aduersiate, & Spiritus desolatione versantur, imo quibus omnia desunt necessaria: adeo enim absorpti & immersi sunt, in essentia diuina vt omnes infusas & perceptas veritates infinitè supergrediantur.

VII. Cauendum est pertrahere huiusmodi personas ad deductiores sermones, cum cruces has & mortales diuinarum substractionem angustias patiuntur; tunc enim inopes sunt, & sibi & aliis: adeo vt quot verba exteriùs proferre coguntur, tot mortalibus aculeis expungantur.

VIII. Si vires internæ totaliter suspensæ sunt, & omnino actionis impotentes, perferendi sunt hi cruciatus, & Spiritus langores, in æterna resignatione, cum lætitia & voluptate; in hoc enim purior & exellentior sanctitas sita est animarum fortium & generosarum, quod sic Deum supra omnem affluentiam, & supra omne lumen sustineant.

IX. Renunciatio est omnimoda suiipsius desertio, absque vlla operis aut temporis restrictione; in cuius argumentum nec vult, nec operatur, nec patitur creatura, nisi pro solo Dei beneplacito, purè & simpliciter.

X. Quod adeo ignotam efficit perfectam abnegationem, est vtique quod creditur sitam esse sanctitatem, in sublimioribus intellectus eleuationibus, & non in perferenda cruce sua cum Iesu Christo, sufferendo cum illo vtique & commoriendo in cruciatibus corporis & spiritus. Error, tenebræ, & miseria maxima, nam Dei donum & gustus, medium est dumtaxat ad obtinendam sanctitatem, & non sanctitas ipsa.

XI. Vita abnegata est super omnia Sanctorum miracula, quia cum

cum ſit adeo ſupra naturam, & rara, multùm de ſuo creatura tribuit,& aliquando omnia, vt videtur, propter magnam ſuam nuditatem,deſtitutionem, infirmitatem, & totalem virium ſuarum effuſionem, & ignorantiam Dei, & ſuiipſius. Quò fit vt neſciat an viua, an mortua ſit; an lucretur,an amittat; an conſentiat,an reſiſtat. Hîc eſt vbi agoniſans, Deóque vitam reddēs anima, dolore & anguſtiâ amorosâ, moritur & expirat inter eius brachia, ſubmiſſa, reſignata, & ad omne quod ei placuerit renunciata.

XII. Vera amiſsio, ſeu ſuiipſius exuitio ad aliquod tempus dumtaxat aſpera eſt, vtique tyronibus & nouitiis, nam in medio facilis eſt,& in fine ſuauiſsima.

XIII. Animæ perfectè abnegatæ nihil adeo iucundum,quàm oblectare Deum ſuis æternis ſumptibus & impenſis, malenti ſanctitatem Dei in omnibus eius amicis, quàm in ſe, & pro ſeipſa, quò fit vt illa in veritate puri ſui amoris, omnium ſanctitate cumuletur & illuſtretur, viuens in Deo ſupra omnem ſcientiam , conſiderationem & diſcretionem plenè & ſemper æqualiter omni in euentu contenta.

XIV. Amiſsio duplex & totalis, id eſt ſecundum corpus & ſpiritum præcellentibus dumtaxat Sanctis conuenit, quæ autem videtur eſſe tantùm ſimplex, ſecundum ſpiritum ſuo ſubiecto duntaxat conuenit, tam in renunciatione quàm in reſignatione. Quod ſi quis liber eſt ad eligendum, ſciat potiorem eſſe totalem.

XV. Rarus eſt Religioſorum numerus, qui ſeipſos totaliter abnegent, vt ſequantur Deum in ſimplicitate & nuditate Spiritus, per deſerta & ſpinoſa crucis itinera, abſque fluctuatione & conuerſione ad ſeipſos.

XVI. Pauci ſunt qui ſenſibilis quietis iacturam patiantur, vallum eſt firmiſsimum, ad quem tranſiliendum non libenter adducimur.

XVII. Perfecti tenentur ſe totaliter deſerere ſine reſtrictione in tempore & in æternitate, nunquam vt ita dicam in ſe,ſed in Deum reflectentes.

XVIII. O quàm locuples eſt theſaurus, poſſe ſe in pace & tranquillitate poſſidere; dum vires animales detinentur, occu-

pantur, & asperis assiduísque sufferentiis attentæ videntur.
XIX. Tempore cruciatuum, derelictionum, & desolationum, opportet gaudere in intimis Spiritus, illúcque iucundâ & simplici abstractione fugere, vt Deum, solum inibi residentem, in quiete; & fruitione, passiuè, extra nos, in ipsomet contemplemur.
XX. Qui sine Dei & creaturarum solatio pati desiderat, multùm abest à repellendis accusationibus iniustis, quæ fiunt contra eum, etiam in maiori sua desolatione interiori.
XXI. Perfecti & solidi in charitate, aliorum planctum & commiserationem numquam desiderant: & si possent in suis morbis ignoti manere, summum eorum esset gaudium; itaque sic erga illos se gerere, crudelissima est mors, quæ possit illis inferri.
XXII. Oportet perfectum hominem exteriores eruces magnifacere, quod si adeo prægraues sunt, vt cogitatu & sensu totus sit in illis, tunc præponere debet tales cruces & depressiones suæ Spiritus quieti, compescens quantum poterit motus & gemitus. Licet enim in his cruciatibus paccatum se habere exteriùs sit difficillimum, tamen in hoc, est ædificandus proximus, qui non nisi ex iis quæ videt, elicit iudicium.
XXIII. Pauci sunt qui ad declinandum ab aliquo inauspicato casu, ad extrema non prolabantur, & qui non facit, emimentissimè sapiens est.
XXIV. Religiosus qui Deo, & in Deo viuit, mediis in aduersitatibus corporis & animi, supra quam credi potest, est contentus, quia crux & iugis afflictio, tota vita & delitiæ eius sunt.
XXV. Adeo delectatur Deus in sanctitate & fulgore supremo suorum sanctorum, vt ad aliquos excolendos plerumque vniuersam Ecclesiam, maximum damnum & iacturam pati permittat. Testis est sanctus Ludouicus in terra sancta.
XXVI. Subtilissima Spiritus resignatio, splendor est, vitáque verè liberorum libertate diuinâ, sustinentium cuncta, nudo desiderio, & generoso, eos Deo immobiliter coniungente.
XXVII. Resignatio sensus diuersos gradus habet & status, iuxta mensuram fortitudinis passiuæ, secundum quam exercetur. Sed accipi

accipiendo illam in ſublimiori gradu, mors eſt animæ præſens, & cruciatus ſui totius, à quo ſe liberare ipſi impoſsibile eſt, imò & liberationem in deſiderio habere.

XXVIII. Tribulatio ſors eſt iuſtorum magis expetita, locuples eorum poſſeſsio, & hereditas in hac vita. Confert ipſis ad fouendam & augendam gratiam, ſeruans eam ſanam & puram, & ſicut ignis metalla expurgat: ſic tribulatio iuſtorum animas emundat.

XXIX. Tribulatio maximus eſt theſaurus, quo poſsit Deus ſanctos ſuos in hac vita honorare, ſic mali homines bonis ſunt neceſſarij; imo etiam ipſi Dæmones ruinam noſtram exoptantes, affligendo nos, maius bonum nobis præſtant, quàm excogitari poſsit.

XXX. Tribulatio ſola etiam in hominibus de vulgo, poteſt illos ſe ipſâ ſanctos efficere, vtique præcellentes, licet ad Deum numquam vitâ ſpiritus, & contemplatione tetenderint. Quia tribulatio, vt verè loquar, totius vitæ actiuæ apex eſt, & multi ſunt in cœlis magni ſancti, qui numquam fuere magni contemplatiui; qui ideo tales ſunt, quia toto vitæ decurſu ſanctè paſsi ſunt, cum quadam deuotâ ſpiritus & cordis eleuatione.

XXXI. Optimè ſortitus eſt, qui eundem potum quem rex ipſe, bibit, & qui hunc contemnit honorem, ſtultus eſt, aut ingratus. Vide igitur quo te Deus afficiat honore, cum tibi filij ſui calicem propinat, & qualis erit ingratitudo hæc, ſi alibi ſolatium tuum quæſieris.

XXXII. Vita humana, vt Deo accepta ſit, ſinè tribulatione eſſe non poteſt, ſicut nec corpus ſine anima, anima ſine gratia Dei, & ſine ſole terra.

XXXIII. Tribulatio amoroſa medicina eſt ægrotantium ſpirituum, & bonorum torcular, vndè exprimitur vinum delitioſum, quod ipſemet Dominus noſter bibere dignatur ad voluptatem.

XXXIV. Quando Deus animam in intimis ipſius crucifigit, creatura non poteſt eam conſolari, imò ſolamina eius etiam intima, grauia illi & affligentia ſunt.

XXXV. Crux altiſſimè in Religione plantata eſt, tanquam ſupremus eius fulgor & ornamentum, maximè in corde vniuſcuiuſque

cuiusque Religiosi, & Deus tantoperè delectatur eam in aliquibus profundiùs infigere, vt illam ipsis ad mortem vsque relinquat.

XLI. Lugendi sunt qui sibi tribulationem tantum esse bonum persuadere non possunt, quia nihil præter creaturam, carnem & corruptionem sapiunt. Nos autem qui debemus esse alterius temperationis, & vstrinæ, tantò pluris tribulationem facimus; quantò minoris ducimus vitam hanc, cum voluptatibus eius.

XLII. Quicumque non patitur etiam vsque ad extremum, multùm abest à seipso cognoscendo, & quandiù sic erit, iustissimum habebit & maximum sibi diffidendi argumentum, séque profundè coram Dei Maiestate in suo nihilo humiliandi.

XLIII. Non est diiudicanda ex corpore, & eius sufferentiis hominum sanctitas, sed attendendum est an læti sint, alacres, & intus immobiles, etiam cum corpus gemit & miserè lamentatur.

XLIV. Tribulatio proprium Dei bonum est in hominibus, & vicissim proprium hominum in Deo bonum; adeóque tali bono frui, omnimoda Sanctorum in terra felicitas esse debet.

XLV. Pura & profunda sufferentia tantò actionem omnem excedit, quantò Empyrei cœli amplitudo, modicam nucem.

XLVI. Tanto Deus tenetur desiderio illustrandi, & exaltandi Sanctos suos: vt sæpe sæpius supernaturales sint, & ex ipso solo, causæ tribulationum quæ ipsis accidunt.

XLVII. Perfectiores sic debent agere, pati, & mori interiùs cum tribulantur, veluti si Deo sensibiliter abundarent, & in eum secundum sui totalitatem actu raperentur.

XLVIII. Religiosus viuido Spiritu Religionis veraciter animatus ita flexibilis est ad fluendum incessanter in Deum, in veritate Spiritus, affectus, & actionis; vt non videatur in eo aliud, quàm cruciatus, quàm mors, quàm opera & verba mortis, vitam tamen & Spiritum habentia. Pressuras pro deliciis habet, & nec de se, nec de re alia quacumque curat, modo Iesum Christum lucrifaciat.

XLIX. Vanus est, & mendax qui nihil patitur, homo enim natus ad laborandum, vtique & patiendum, quod à fortiori

de

de electis & amicis Dei est intelligendum.

L. Imperfectorum vita, copiosam exercitationis, sufferentiæ, & mortis præbet materiam veris Religiosis: sed hoc ipsum illorum est gaudium, scientium per sapidam experientiam, illud esse suum purgatorium, & amorosum martyrium.

LI. Apud bonos Religiosos statutum est, & fixum, scabellum esse pedum totius mundi, & sub specie stultorum voluntariorum, toto vitæ decursu carnem & sanguinem in perfectum holocaustum, diuinæ Maiestati superimpendere, quæ vt eos tanquàm aurum in formace excoquat, permittit cruces illis ex omni parte etiam superiorum aduenire.

LII. Religio in suis alumnis non recipit splendorem suum, nisi per flagella, malleos & ignem, voluntariè perpessa.

LIII. Religio est omnimoda suiipsius, & rerum creatarum amissio, per integram transfusionem, & resolutionem totius sui in Deum, ad non viuendum nec moriendum nisi in eo, vsque ad perfectā consummationē carnis & sanguinis in igne amoris eius.

LIV. Refluenti per amorem iugiter in Deum, contrarietates vitæ huius lætitia sunt & gaudium, & eas sustinet forti & generoso animo, ope duplicis fortitudinis amorosæ, sanctissimi Spiritus. Ipse aquila est diuina, cœlestia contemplans, & ipsam Diuinitatem; & simul homo, cum hominibus humaniter agens, nec desistens esse cœlestis, nihil abhorret quàm seipsum & sua, aliorúmque bonum ad altissimam Dei gloriam incunctanter prosequitur.

LV. Anima non est propter corpus nisi secundariò, neque corpus propter seipsum, sed anima propter Deum est, & deinde propter corpus quod informat, vt illud fraternè secum agere faciat, suaui & liberâ violentiâ ita domans, & subiiciens, vt totus homo possit in Deum, originem suam & finem amorosè & valdè libenter effluere.

LVI. Non consistunt in vno statu veri iusti, sed semper in exercitio virtutum progrediuntur, vt magis ac magis carnem spiritui substernant, fiántque Spiritus Sancti templum viuens in corporibus suis & animabus, quod Deus delectabiliter inhabitet, vsque ad sui amoris consummationem, & suæ diuinæ similitudinis in ipsis.

De Morte myſtica animæ.

I. ANtequam anima totaliter deficiat operationi ſuæ, in abyſſo Dei obiecti ſui amabilis, ſuſtinendæ ipſi fuerunt mortales aſperitates feruentis humilitatis per aliquod tempus, & pluſquam feruentis per aliud; in nuditate, mortibus, renuntiationibus, amiſſionibus ſui, indifferentiâ, & aliis ſimilibus viis, quas ipſi ſine vllo ſubſidio, & ſolamine tranſgredi neceſſe fuit: adeo vt exprimi non poſſit, quantùm in vnoquoque horum graduum perpeſſa ſit.

II. Si quis ita fidelis ſuis exercitationibus inueniretur, vt regionem morientium omnino ſuperaſſet, vel aſſiduæ & profundæ mortes ipſi vitam radicaliter ſuppreſſiſſent, in amoroſo igne vrentis & conſumentis tribulationis, tam ſpiritus quàm corporis: adeo præcellens hæc foret anima, & in hoc ſeculo rara, vt vix cognoſcatur vna. Nam heu! omnes hodie occaſiones, nos ad naturæ noſtræ vitam educunt, quam nolumus ſupprimere; ſed ſemper agere, ſentire, & viuere volumus, vt ab hominibus videamur, & æſtimemur.

III. Quod morientibus conuenit faciendum, eſt ſic viuere, veluti ſi præter Deum & ipſos nihil in mundo foret. Hoc facientes citiùs ſe mortuos inuenient quàm arbitrantur. O quàm felix eſt creatura, quando totaliter in Deum elapſa, & transfuſa eſt, nihilque eius ampliùs in ea reperitur.

IV. Quicumque ſe Deo tanquam inutile inſtrumentum penitùs ſubſternit, Deus ſua per eum altiora, & ſecretiora operatur mirabilia.

V. Mors eſt excellens priuari bono quod fieri non poteſt, ſed longè excellentior, non poſſe pati quod multùm deſideraretur.

VI. Ordo Dei eſt, vt nos in nobiſmetipſis annihilemus, & quantò plures videt huius annihilationis effectus, tantò plus ſibi complacet in nobis: hæc autem exinanitio eò verior eſt, quò minus eam ſentimus in nobis, propter horribiles noſtras tenebras, & peſſimos quos interiùs patimur effectus.

VII.

VII. Aliæ sunt mortes in perfectis, aliæ in imperfectis, nam gradui Spiritus semper respondent.

VIII. Præcellens sanctitas in hominibus est incognita, quia momentum nullum est, vt ita dicam in quo non oporteat in Deum expirare, saltem quantùm verax est fidelitas, ita vt quo eminentiores & subtiliores sunt, eò quoque subtiliores, acutiores: & profundiores mortes, quæ terribiles effectus in impetu sui doloris foris producunt. Tales fuere Sancti Iob mortes & dolores: & tristes ac dolentes quos elicuere planctus, satis demonstrant, crudeliores fuisse & horribiliores quæ possint excogitari. Nam in omnimoda sua derelictione non habebat quò pedem figeret, id est appetitum, vt tantisper quiesceret in se, & in creaturis, adeò arctè, & vndique accerrimis doloribus & angustiis premebatur in anima & corpore.

IX. Id ipsum quotidie accidit magis intimis Dei amicis, quorum aliqui cruciantur in spiritu & corpore, alij sine affectu, sine consolatione & cognitione in spiritu derelinquuntur, ita vt in infernalibus suis languoribus ad inauditos verborum excessus erumpant, quibus homines qui hæc ignorant vesanos illos ac furentes arbitrantur. Sed homines diuini, qui & ipsi triste hoc & asperum traiecêre desertum, longè aliter iudicant de illis, scientes hos excessus, tormentorum amoris vehementiam exprimere, radicalem in eis vitam modo inconceptibili supprimentem; & huiusmodi expressiones, tantò longiùs ab eis distare, quantò profundiùs toto hoc tempore, in Deo occultè immerguntur.

X. Plerumque accidit vt quò plus quis spiritus efficitur, minus contra seipsum potens sit, & pars inferior contra superiorem ita violenter insurgit, vt se credat perditum, cum non possit anima sibi persuadere Deum esse, qui terribili hoc vtitur medio, vt compleat perfectam occultiorum eius proprietatum purgationem. Quod si non sit fidelis in sustinendo mortali hoc statu, forti & constanti patientiâ: credens se nusquam fuisse meliùs, ab excellentia sui status decidet in maximum sui damnum. Et si ad exteriora sua regrediatur exercitia, affligendo corpus suum tanquam pugnæ huius authorem, multùm aberrabit, & per hoc vehementiùs quàm vmquam impu-

gnabitur, hic gradus ordinariè vltimus est appetitus actiui, & introitus ad regionem passiuam & mysticam.

XI. Ad hoc vt creatura perueniat ad totalem sui in Deum transfusionem, oportet vt sit perdita suo viuere, suo sentire, suo scire, suo posse, suo mori, viuens & non viuens, moriens & non moriens, patiens & non patiens, resignans se & non se resignans. Quod si hæc omnia infra illam sunt, in electiuo ipsius actu, tunc impassibilis, inattingibilis & immobilis est, quia creaturæ Deum non possunt attingere suis adinuentionibus, vtique infinitâ distantiâ.

XII. Qui nolunt transgredi regionem sensus, & semper videre cupiunt quò pedem figant, & quiescant: numquam introibunt ad arcana scientiæ mysticæ, licet illius scientiam, imò & gustum ex lectione habeant; sed fideles amantes qui amorem sciunt magis ex exercitatione æternæ mortis, quàm ex cognitione acquisita & scientia; ita perfectè & totaliter Deo subiiciuntur in omnibus mortis casibus, vt ignorent, an sibi an Deo viuant, quæ est veritas infinitæ extensionis.

XIII. Animæ consummatæ in amore, non desiderant patefieri, nec sibiipsis manifestari, nisi fortuitò, & absque suo scitu ad hanc notitiam pertrahantur.

XIV. Exercitationes veri amoris postulant acres & strenuos ad amandum animos, qui numquam in pœnali, sed iucundo agendi, patiendi, & moriendi labore fatigentur. Varij enim successus, modò fruitionis, modò priuationis, modò pressuræ & doloris, adeò frequentes sunt, vt impossibile sit exprimere, hoc vnum dicam, scilicet:

XV. Quâ quis ratione sublimes hos amoris gradus conscendit: eò destitutiones, priuationes, & languores duriores sunt, & intolerabiliores efficiuntur. Et quò plus submersa est anima & inundata luminibus & deliciis cœlestibus, quò plus percepit, & experta est infinitam Dei amabilitatem, & excellentiam; hoc ipsum magis ac magis congeminat grauitatem mortalium eius cruciatuum, & miseriæ, paupertatísque, ad quam se absentiâ sui beatifici obiecti redactam videt; minimum enim temporis interuallum separationis sensibilis horum subiectorum æqualiter mutuò vnius ad alterum amore percitorum

torum, mors eſt animæ crudelis, quæ nihil reſpirat præter obiecti ſui pluſquam amabilis vnitiuam fruitionem.

XVI. Mori & expirare in Deo, eſt nulli rei priuatæ adhærere, nec vlli lumini proprio & particulari, quantumcumque ſubtili; quodcumque enim lumen accipimus cum adhæſione, ſubtiliter inquietat ſubiectum ſuum, & in ſe, alióſque reflectit, ac proindè ex hoc à natura eſt purè, aut à Dæmone. Et quò maius eſt quod præfert bonum, eò magis tale eſt æſtimandum.

XVII. Vnus, perfectè abſtractus in veritate mortis, diſcernit ſpiritus, & diuerſas vniuſcuiuſque vias.

XVIII. Non exiſtimo reperiri quemquam, qui velit omnimodè eſſe hominibus ignotus, per mortem & renuntiationem Spiritus.

XIX. Anima legibus & diſciplinis viarum puri amoris rectè inſtituta, tempore magnarum deſolationum & languorum internorum, non debet foris ſolamen in creaturis quærere, vt apud aliquem conqueri, aut legere Spiritualem librum; hoc enim eſſet occultè ſe ab amoroſo patibulo liberare.

XX. Vt perueniat bona anima ad ſupremam quietem, contendere debet fortiter mori, ad ipſam ſponſi ſui voluptatem.

XXI. Qui neſcit perdere ſeipſum, & omne ſuum prodigere, in vera Spiritus morte, ſupra omne exemplum, & imitationem, numquam ſuperabit ſenſum, timorem, pudorem, & rationem, quia purum non attigit amorem: nam qui exemplo dumtaxat viuit, valdè infirmus ſemper eſt in genere virtutis.

XXII. Impoſſibile omnino eſt, vt quis incipiat ſentire, & viuere myſticè, in ſimplici intelligentia ſapientiæ diuinæ & infuſæ: quam per integram mortem, & ſuppreſſionem totius ſenſitiui & rationalis appetitus.

XXIII. Diſciplina verè Sanctorum, eſt dimittere omnia in ſeipſis qualia ſunt, & in illis nullatenus implicari, niſi ex officio teneantur. Quod ſi ſpectat hoc ad omnino mortuos, quantò magis ad nihilum, & adhuc infinitè magis ad eum qui etſi viuat, numquam tamen ad vitam egreditur.

XXIV. Generoſa anima cui curæ nihil eſt, quàm in obiecto

ſuo mori, non ſolùm victrix eſt ſuorum inimicorum, ſed etiam ad ſeipſam, & ſuum puriſſimum amorem illos conuertit, vt ſecum Deo perfectè ſubiiciat.

XXV. Si quis inter homines ſciret tantùm morientem amorem, vtique phœnix eſſet, nolim tamen dicere nullos eſſe, ſed non agnoſcuntur. Alij ſemper à ſe crucem excutiunt, & Spirituales aliqui, in hoc ſe Dei voluntate cooperiunt. Res deploranda, quia veracem eſſe vſque ad quoſdam dumtaxat limites: præſtare nihil eſt. Semper Deo totum dandum eſt, ſempérque reddenda ei in agonia vita, ſine ſpe ſolatij, & leuaminis vllius Quod ſi Sancti non ſic æternùm agonizaſſent, Deus non tantùm in eis glorificaretur, nec ipſi in eo.

XXVI. Mori & expirare in Deum eſt reddere ſe immobilem, & incommutabilem, ſemper ſibiipſi æqualem, in omnibus obiectorum etiam difficillimorum generibus, gratiâ naturam his omnibus mori cogente, vt ſtrenuè poſſideat ſuum in obiecto ſuo ſubiectum, in ſimplici pace, & ſpiritus tranquillitate, quæ exuperat omnem ſenſum.

XXVII. Animæ verè ſimplices aliud neſciunt quàm mori iugiter, vt viuant vitâ Dei, in quo ab omnibus creaturarum petitionibus immunes efficiuntur. Tanta enim numquam poteſt hauriri voluptas in illis vexandis & affligendis, quamtam ipſæmet ex ſuis preſſuris & afflictionibus hauriunt.

XXVIII. Adeò rari ſunt ſpirituales vt agnoſcantur nulli; neſcitur enim quiſnam velit æternùm mori, & nemo eſt, qui non ſe liberet per ſeipſum à cruce, quærens ſolatium in ſenſibus, & in creaturis; ita vt ſpirituales ſimus dumtaxat ad vſque quoſdam limites.

XXIX. Qui non eſt mortuus proprio ſpiritui, fortiſsimo Dei ſpiritu, qui vnus vſque ad mortem ei dominari debet, non eſt dignus qui Religioſus vocetur, cuiuſcumque ſit Inſtituti.

XXX. Nam tàm attendendum eſt ad id quod operatur in nobis Deus, quàm ad id quod, poſtulat à nobis, vt in omnibus rebus, diuinæ illius voluntati perfectè conformemur, in actionis eminentia, & mortis ſupereminentia.

XXXI. Deliciæ diuini ſponſi, ſunt videre caſtas ſuas ſponſas ſuæ Majeſtati diuinæ immolatas, in ipſa ſupremæ paupertatis

tatis

tatis indifferentia ; crux & deſolatio in tempore, & in æternitate.

XXXII. Debemus ſemper proſequi & expetere, viuere & mori in Deo, in eius amore, & ad vnum ipſius beneplacitum infinitum.

XXXIII. Miraculum eſt, Religioſum nanciſci Deo & ſibi veracem, quia nemo vult vbique, & ſemper mori.

XXXIV. Vnus verè moriens, aut verè mortuus, ſuſtinere poteſt veram quietem, quæ eſt effectus diuini aſpectus in vera & ſancta otioſitate, cui ſoli conuenit in ſuo obiecto æternum mori

XXXV. Solus fidelis in moriendo, ſuſtinere poteſt aſperrimum, & penè intolerabilem ſimplicis otioſitatis impetum.

XXXVI Quantùm anima conſummatur per mortes myſticas, quæ videntur debere ſupprimere omnem naturæ vitam, tantùm illi quies facilis efficitur ; quia fortior eſt ad eam ſuſtinendam.

XXXVII. Sublimiorum contemplatiuorum felicitas, quantùm ad illos, in ſola eorum morte, amiſſione, & totali conſummatione conſiſtit, omni ratione, & modo poſsibili creaturæ ; ad quod requiritur ſumma Spiritus fortitudo, vt in diuturnitate inalterabiles maneant.

XXXVIII. Mortui eſt permanere in ſua ſepultura, illic vitam ſuam diuinam ſapienter & plenè poſsidentis, in ſua ſimpliciſsima & eminentiſsima quiete.

XXXIX. Quò quis ſapientior eſt, eò religioſior circa minores ſuos defectus, ſeipſum fideliter obſeruans. Optimè ſentit Spiritualis ſe numquam ſatis poſſe coarctare ſe, ſecundum exigentiam veri mortui, qui vſque ad diem iudicij in ſua ſepultura permanebit, conculcantibus eum omnibus, & hoc cum conſilio & voluptate, nullibi locum alium reperiens ſibi proprium, & illic in obliuione creaturarum æternùm poſitus, quæ eum, quamuis vbique ſcrutarentur, numquam reperient.

XL. Diuerſitas ſtatuum inter ſpirituales, in eo conſiſtit quod non ſunt æqualiter morientes

XLI. Deductio ſpiritua[illegible]teriarum in ſimplici fundo, multùm delectab[illegible]ici, ſed ſi in omnibus mortuus

sidet sæpiùs ignota; plus enim sita est in morte simplici & nuda, etiam omni actioni, & corporis sufferentiæ, quàm in actione, & operatione sensibili, aut etiam spirituali. Sic ab huiusmodi vita, visibile nihil est expectandum; & tales â seipsis dumtaxat & consimilibus agnoscuntur, quia viam omnem & exercitationem humanam sunt supergressi, tam in actione quàm in passione & sufferentia.

XLIX. Gradus & altitudines vitæ spiritualis tantùm inter se dumtaxat differunt, quantùm homines in exercitio moriendi, perdendi se, & in Deum fluendi, inæquales sunt.

L. Magna est distantia inter agere, pati, & mori, nam agere iucundũ & delectabile est incipientium, nonnihil prouectorum; pati in actione est desiderium & effectus vere proficientium, & valde prouectorum ardenti suo cursu, in amoris stadio. Sed mori æternùm, in passione & mortali sufferentia, radicalem animæ fundum in æuum supprimente, perfectorum dumtaxat est, quorum numerus adeo est modicus, vt vix vnus inter mille reperiatur.

LI. Nullo sensus moueri affectu, est esse hilariter mortuum, sed nescio an possint reperiri qui tales sint, quia vita nostra non est radicaliter suppressa, nec supprimibilis.

De Contemplatiua & supereminenti vita.

I. THeologia mystica sumpta in sua essentia, aliud nihil est quàm Deus ineffabiliter perceptus, qui non potest nisi ineffabiliter egredi, alium non habens introitum & exitum, seipso quàm seipsum, in illis qui in simplicitate essentiæ vnum sunt in illo, sine distinctione, sine differentia, in consummationis plenitudine. Hîc videtur lumen illuminans, de lumine eductum, non esse lumen: sed lumen de lumine, lumen ostendens non suis possessoribus sed suis indigentibus: Idipsum est, in quo profunda & suprema mysticitas, in sua pura simplicitate, nihil extra simplicissimum admittit Ideóque in verbis suis non debet iudicari, sed in simplicitate sua, tam egressa, quàm non egressa, & in sua infinita expressione luminosa, in

i qua

qua omnia videt non viſa, & omnia iudicat iniudicata.

II. Ad introeundum in hanc tam ſublimem & ſupremam ſpiritus vitam, oportet ſuperaſſe innumerabiles penè gradus, qui omnes in perfecta purgatione, illuminatione, & vnione conſiſtunt; cum ſint hæc tanquam fundamenta huiuſmodi graduum.

1. Gradus eſt vocatio interna de cœlo accepta, excitans & exacuens animam ad nihilifaciendas res omnes creatas, maximè ſeipſam, & ad deſiderandum ſe eſſe totius mundi fabulam & ludibrium.

2. Gradus eſt minimæ imperfectionis perpetuus horror. Vndè procedit

3. Gradus, qui eſt indifferentia per quam homo viuit & moritur, in tempore, & in æternitate, Deo omnino ſubiectus, ſuis ſuperioribus, & omni humanæ creaturæ, quantumcumque vili, ſine reſeruatione vlla appetitus naturalis quantumlibet ſubtilis, permittens moueri ſe ab illis, & trahi quocumque voluerint.

4. Gradus ex hac indifferentia procedens, eſt ardens & neceſſaria virtutum omnium exercitatio, quæ debent eſſe animæ ornamentum, abſque tamen præſumptione acquiſitionis illarum.

5. Gradus, & proximior diſpoſitio ad diuinam vnionem, eſt cum quis ſupra dicta exercens, ſentiet ſe adeo profundè in ſeipſum intractum, vt quaſi ſenſibus orbatus ſit, & eorum vſibus mortuus; tantùm ſe ab eorum obiectis ſemotum ſentiens, quantùm ſi centum leucarum ſpatio ab illis reuerâ diſtaret.

6. Et vltimus gradus eſt omnimoda ſuiipſius dimiſſio ſuperioribus ſuis, ita vt aperiantur eis omnes affectus, motus, ſenſus, cogitatus, & ſtudia, quod eſt abſolutè neceſſarium.

III. Si qui in via ſupereminenti diriguntur, in obſeruantia regulari ſcienter ſe negligunt; argumentum eſt illos in pura eſſe natura, & non in Deo. Impoſſibile enim eſt ardentem animam, & Deo per fixum ſuum immobilémque aſpectum adhærentem, vtique hoc modo deiformem factam, & quaſi in infinitam obiecti ſui naturam omnino transfuſam, poſſe quidquam ſcienter negligere.

IV. Compendium graduum vitæ supereminentis, est post suppressionem actiui in amore supergresso, succedere introitum purgationis, quæ consistit in morte refluxus sensibilis.

2. Gradus consistit in morte & suppressione refluxus rationabilis.

3. Consistit in morte & destitutione spiritus, per sufferentiam angustiantis actionis diuinæ, quæ initio sui lusus mori facit & expirare animam in seipsa absque lumine.

V. Post aliquot successus, Deus eumdem suum exercet ludum actiuum, & angustiantem in anima, cum immenso lumine, & eruptione suiipsius ad se, vt communicet altissima sua secreta in profunditate distinctionis.

VI. Post hæc succedit illuminatio pura, profunda, nuda, in vnico simplici, liberata à sufferentiis diuinarum actionum, quæ non sentit, neque cognoscit nisi exstases sui totius extra se, in abysso obiecti sui, vbi non habet potestatem, nec voluntatem exeundi ad expressionem eius quod habet, & quod est. Et quò magis occupat se foris anima, eò magis immergitur in abyssum quæ eam rapit, dilatat, & transformat totam in se ipsam, sine distinctione, neque differentia, in fuitione perpetua sui totius, in suamet vnitate.

VII. Post hunc statum succedit consummatio, quæ in ipsamet vnitate & fruitione, neque luminosa est, neque profunda, neque simplex, neque exstatica; eo modo quo præcedens, sed est, & possidet omnia hæc, supra infinitè, in ipsa vnitate, in qua est hoc ipsum quod est, tam in simplici perceptione, quàm in imperceptione.

VIII. Compendium graduum vitæ vnitiuæ est, tres esse status ad complementum & perfectionem huius viæ. 1. Est purgatius, 2. illuminans, 3. consummans. Et non sunt intelligendi hi status, sicut in viis præcedentibus, sed omnino aliter, conformiter ad huius eminentiam.

1. Igitur est luminosus & languorosus, habens diuersos gradus pro suo complemento.

2. Est luminosus & exstaticus, habens etiam diuersos gradus illuminationis, per quos anima profundè illuminatur, & rapitur extra se, & omne creatum, in abundantia suauitatis & delitiarũ.

3. Qui eſt ſupremus ſtatus & vltimus conſummationis incipit cum per ſucceſſionem temporis & graduum illuminationum abyſſalium, quæ rapiunt ſubiectum in obiectum ſuum plenè perceptum, quaſi de profunditate in profunditatem, de abyſſo in abyſſum, quarum deliciæ & ſapores ſunt inexprimibiles, cum inquam tales perceptiones ſunt refuſæ, & totaliter transfuſæ in vnitate, ſupra fœcunditatem.

IX. Status iſte perfectionem ſuam non attingit, & integrum complementum, niſi per multiformes Dei effectus qui animam agitant in actione ſua continua, quíque diuerſos faciunt gradus ſupereminentis conſurrectionis, quò cum peruenit ſpiritus, & eſt totaliter in ſuo beatificante obiecto conſummatus, eo fruitur, & eius ſupremâ quiete ſuper omnem perceptionem poſſibilem.

X. Antequam perueniatur ad gradum conſummationis, neceſſe eſt animam permeare infinita æſtruaria, modò internorum & indicibilium dolorum, modò paupertatum & miſeriarum; propter receſſus ſponſi à ſenſu, numquam tamen à ſpiritu, modò abſtractionum à ſeipſa, & à rebus creatis, modò indicibilium luminum exſtaticorum, quæ eam extra ſe profundè rapiunt. Tum abſcedentibus & deficientibus huiuſmodi extaſibus, incipit ſtatus & gradus conſummationis. Vnde procedunt adhuc alij ſtatus per omnimodam deſtitutionem fluxus ſenſibilis & actiui Dei, qui animam rapit & à ſenſibus auocat variis ſuis & profundis attactibus, arctiſſimis ſuis amplexibus, ſimpliciſſimis & leuiſsimis ſuis acceſsibus & receſſibus, ſummè vnitis delectabilibus, luminoſis & extenſis. Sed omnia hæc inconceptibilia ſunt ei qui non eſt expertus.

XI. Homo igne diuino peruaſus adeò deiformis efficitur, vt ipſi mirentur Angeli, potuiſſe iſtud fieri, per liberam virium eius gratiâ præoccupatarum applicationem in amando indefeſſè Deo, & eius amori correſpondendo.

XII. Poſtquam anima ſuis viribus & amoroſo conatui præ diuinis contactibus, ſuccubuit, tunc Deus conduplicat ſuos attactus profundos in ea, & eam magis quàm vmquam penetrat, viuidis & ardentibus blandimentis ſui amoroſi ignis deuorantis & conſumentis omne quod aptum reperit ad ſuſtinendam

nendam

nendam ſuam actionem, ita tamen vt non moriatur, nec deficiat vitæ ſuæ naturali.

XIII. Subit tunc ſtatum vnionis, aſpectus, gaudij, transformationis, quietis, & fruitionis omnino diuerſum à præcedentis tuncque moritur, & expirat æternùm pro eius comprehenſione: Deus enim infinitè meliùs comprehenditur moriendo amore, quàm amore languendo.

XIV. Nudæ contemplationes eorum qui nolunt ſibi iugiter mori, ſunt tantùm pura vanitas, complacentia, & animi præſumptio.

XV. Poſſet-ne quis inueniri, etiam eorum qui omnino demerſi ſunt in æterna Dei abyſſo, qui actiui nihil habens faciendum, in pura & æterna contemplatione viuere vellet.

XVI. Anima priuatis quibuſdam exercitiis alligata, non eſt idonea ad effluendum totaliter in Deum; quia non ſe dimittit ſatis, vt eum purè & nudè ſequatur, quò eam vult pertrahere in ſpiritu; quod vtique impedit ne ſe omnino ſupergrediatur.

XVII. Deliciæ contemplatiui in eo ſunt, quod ſcit & videt ſimplicem ſuum fundum obiectiuum & fruitiuum, qui Deus eſt, non debere, nec poſſe vmquam comprehendi, nec attingi ab anima in amore conſummata, & in hoc conſiſtit omnis eius fruitio, aut vt meliùs dicam ſuprema eius felicitas.

XVIII. Perfecti contemplatiui cognoſcunt & intelligunt clarè, & ſine admiratione omne quod à literatis egreditur: quia ſupereminent omnem ſcientiam, intelligentiam, & cognitionem ſpeculatam.

XIX. Verè contemplatiui extra ſe ſunt nudè, ſimpliciter, & totaliter, in Deum fuſi, quem aſsiduè contemplantur.

XX. Quidam luminoſi ſatis & ſpirituales ſunt, qui tamen ſibi intus omnino viuentes, præ vi ſuæ imaginationis actiuæ, magis abſtracti ſunt à ſeipſis circa ſubiecta rationabilis imaginationis, quàm ſecundum ſpiritum: quod eſt valdè ponderandū, quia numquam poterunt fieri ſimplices in ſuo fundo, etiamſi vellent, quin omnino ſint mortui, ſuæ actiuitati naturali.

XXI. Quâ menſurâ diuinis ſplendoribus irradiatur anima, diuiníſque motibus agitur, (qui varia ſecreta notionéſque continent)

tinent,) eadem magis ſtudioſa, inflammata, faciliùs actiua, & magis introuerſa quàm vmquam inuenitur.

XXII. In via meditationis ordinariæ, intellectus poſt ſe rapit voluntatem, ſed in via myſtica & contemplatiua affectus intellectum rapit; nullatenus ferens illum ſecum ſuum partiri theſaurum.

XXIII. Vita myſtica ſtatim annihilat ſenſus & vires hominis, ita vt illico ſimplex & vnicus in igne diuini amoris eum in ſe transformantis, efficiatur.

XXIV. Sicut ſomnus quietem præcedit, ſic extaſis ſummam contemplationis quietem antecedit: ſed tam vaſtum interiacet deſertum, vt valdè pauci ſint qui ad eam perueniant.

XXV. Quicumque perperam & ſine cauſa contemplationis quietem volet deſerere, proculdubio amore ſuiipſius captus remanebit. Si anxium Dei & martyrij deſiderium nequam eſt, quidnam erit de aliis quibuſuis ſpeciebus? ſi igitur aliqua in vobis admittitis ſtudia, vtique veræ mortificationis, humilitatis, contemptus, renunciationis, & confuſionis eſſe debent; ſi modò ſunt ordinata, amoroſa, dulcia, & tranquilla.

XXVI. Multi ſunt gradus in ſtatu fruitiuæ quietis, quorum vltimus eſt ſine labore poſſideri, ſaltem reſpectu præcedentium mortium; & tamen propriam ipſe mortem ſuam habet, ſed quæ facile ſuſtinetur, tum quia anima tota conſumpta eſt igne amoris ſui myſtici, tum quia aptiſſimam ad hoc accipit fortitudinem.

XXVII. Qui occultis imaginationis ſuæ laquæis & decipulis irretiti ſunt, vt mortui numquam tranſuolabunt in regionem infiniti Dei, qui eſt viuens principium omnium irremiſſibiliter mortuorum.

XXVIII. homo perfectus ſiue Deò abundans, ſiue deſtitutus, reſpuit creaturarum ſubſidium; quæ nihil ei præter infelicem mortem, & martyrium infernale conferunt.

XXIX Sicut perfectè ſimplices habere modum neſciunt, ſic cum hominibus agere, nullatenus eis conuenit: omnes enim creaturas transgreſſi, in Deum totaliter effluxi ſunt viâ amoris & myſticæ transformationis. Dimittendi ſunt, vt omnino inutiles terræ, licet eorum corpora inibi cum maximo animi dolore degant.

XXX.

XXX. Qui recuſat pati ab hominibus cum expedit, manifeſtè deeſt amori ſuo : & ſi perfectionis inſignioris exiſtimatur, iuſtè mendacij, falſitatis, & infidelitatis inſimulari poteſt, & vt amore proprio falſo lumine, errore, & tenebris plenus haberi.

XXXI. Ex quo aliquis diuinis attractibus potenter commotus eſt, relinquit exteriora qualia ſunt, & eſt impoſsibile aliter ſe eum habere circa illa, cum ſufficiat ipſi ea non contemnere, ſed tanti ducere quanti tenetur.

XXXII. Cum ſit Deus in ſeipſo ignis deuorans, deuorat, & conuertit omnia in ſe, in vnitate ſua infinita.

XXXIII. Suprema & perdita contemplatio, eſt magis expreſſa Dei inter homines imitatio : qui certè illum ſecum habere indigni ſunt.

XXXIV. Numquam anima ex vltimo loco debet aſcendere, niſi à ſuo ardenti amore importunè ſollicitata.

XXXV. Vbi Deus ſibi & pro ſe viuit, ibi non eſt ampliùs creatura: ſed ita eſt in Deo exinanita, vt non deſideret nec poſsit deſiderare loqui, aut intelligere quidquam ad ſupremam pertinens contemplationem. Dum enim aliquid expetit, non eſt eſſentialiter perdita, aut ſaltem non attingit omnino ſuam ſupereſſentiam, vbi non eſt virtus niſi exemplariter, non eſt amor niſi eſſentialiter, non eſt eſſentia niſi ſupereſſentialiter, ſine diſtinctione & differentia perceptibili.

XXXVI. Cum Dei ſpiritus ſit ipſamet puritas, quies & lumen, requirit etiam in anima puritatem, pacem, attentionem & quietem.

XXXVII. Numquàm deprehendetur vndénam veniant maximæ attractiones, & fortes internæ occupationes, à natura, an à gratia : quàm per quietem perfectam, & ſubtilem inquietudinem.

XXXVIII. Ipſemet Deus, vt ita loquar, noſtras debet operari actiones, magis quàm noſipſi, viuidum vtique in omni loco ipſius tantùmmodo inſtrumentum.

XXXIX Perfecti nihil in ſe debent admittere, quod non ſit voluntariæ actionis, & ab effectu motúque libero, niſi tempore manifeſtarum, & fortium Dei attractionum.

XL.

XL. Qui penitùs in amore Dei demersi sunt, parui pendere debent cogitationes quæ eos leuiter & sanctè mouent, sed suum iter prosequi debent, per simplicem suam, vnicam & amorosam in Deum actionem, vltra tempus, æternitatem, & seipsos.

XLI. Animæ contemplatiuæ, & in amore consummatæ maxima debetur reuerentia; nihil enim impurum habet, & est viuens in Deo de Deo ipso, splendens supra mille soles, sponsa est filij, patris filia, spiritus eius, & amor eius sunt in Spiritu Sancto: illam videndo, videtur Deus in corpore spiritui perfectè subiecto; ita vt non possit oculus eius visu & admiratione satiari.

XLII. Sunt animæ quarum via multùm difficilis est & occulta, magna sunt earum exercitia, in figuris & imaginibus exercitata, cum mentis alienationibus, visionibus & reuelationibus; ista sunt valdè dubia & periculosa, propter magnam eorum cum natura rapaci congeneitatem.

XLIII. Non est necesse nec etiam vtile, doctum esse mysticum, in pura theoriæ doctrina, quæ explicat mirabiles Dei effectus in anima, in vnoquoque eleuationis gradu, multò meliùs est puram eius habere exercitationem & experientiam; nam theoria quasi foris videtur, & sentitur: sed altissima praxis omnia ad vnum colligit, suo simplicissimo amoroso fluxu, qui in summè vnica simplicitate externum omne destruit in suprema spiritus vnitate.

XLIV. Perfecta vita priùs est actiua quàm contemplatiua, & deindè contemplatiua & actiua.

XLV. Pretiosum munus vitæ contemplatiuæ, illorum est dumtaxat qui subiipsis viles sunt, quique iugiter & strenuè exercitationibus amoris gratiam excolunt.

De Sapientia Diuina.

I. SApientia in seipsa, mare est absque fundo & ripa, quæ in sua simplicitate omnia vnicè & multifariè intuetur: quis dabit ei terminos & limites?

II. Sa

II. Sapientia noſtra non eſt ſicut antiquorum philoſophorum ſapientia, ſed diuina; non ei vacamus vt ſcientiæ ſpeculatiuæ ſtudio, ſed arctiſſimâ animarum noſtrarum vnione, & cordium noſtrorum cum Deo: à quo excellenter, & abundanter amorem & ſapientiam, quaſi vnum accipimus. Eius ope, cum prudentia quæ ea digna eſt, vbique operamur, omniáque noſtra opera diuinitùs temperamus, nec vmquam ab ea, ſicut nec à Deo, vel minimâ extrouerſione diſcedimus. Talis eſt in nobis iugis effectus ſanctiſſimi ſpiritus, qui per amorem ſuum ineffabilem, omne quod reperit imperfectum abſumit.

III. Sapientia non eſt coacta in ſuis exercitationibus, nec affectata, ſed ſemper grauis & ſeria: ipſa eſt quæ nouit ſubtiliores naturæ effuſiones, & diſcernit inter diuerſos ipſius & gratiæ motus, omnibus ſine ſui damno prudenter obſequitur.

IV. Sapientia diuina ſtultorum eſt flagellum.

V. Qui ſe ad formam ſcholarum dumtaxat exercent, vix vmquã manifeſtationes, blanditias, & delitias vitæ actiuæ proficiẽtis accipiunt, quibus fruuntur ſimplices & idiotæ: quia cum iſti non ratiocinentur, aptiores ſunt ad recipiendos in ſeipſis diuinos motus: Alij vero è contra ſemper ratiocinantur & diſputant, illícque ſemper hærebunt. Quod ſi Sanctorum Doctorum mihi obiiciatur præcellentia, dico illos ſtuduiſſe vt doctos, ſed ſanctè. Ideò plus eis Deus infudit doctrinæ, quàm acquiſierunt: ſtudebant Deo, & in Deo, & per tempus notabile ſimplici diuinarum rerum contemplationi vt ſancti vacabant, & in ſimplicitate funditùs perdita, & vt rerum omnium ignari, vt faciliorem ad Deum haberent acceſſum.

VI. Guſtatur ſapientia in verbis & in operibus ſapientis, quia cum ſit plenè dominus paſſionum ſuarum, affectuum, & motuum, apparet in omnibus ſuis effectibus tanquam aqua placidiſſima & quietiſſima, in qua manifeſtè videtur lucere ſapientia.

VII. Sapientium eſt proprium multa facere, pauca loqui.

VIII. Sapientia in bono fundo fluxa & effuſa, ſapientiam ſubiecti recipientis acuit: & nihil iucundiùs quam iſte diues, luminoſus, & delicioſus fundi ad fundum, æqualis ad æqualem, & eminentiæ ad eminentiam concurſus.

IX. Antequam diuina ſapientia recipiatur, prius timor, ſenſus & ratio ſuperanda ſunt.

X. Melior ſapientiæ gradus & excellentior, vt ita loquar, eſt rerum experientia; ſpeciatim in ſcientia ſpirituum.

XI. Non modica eſt ſapientum ſcientia, ſcire omnia referre ad Deum, eáque in profunda iudiciorum eius ſtatera ponderare, iuxta ſapientis dictum. *Pondus & ſtatera iudicia domini ſunt, & opera eius omnes lapides ſaeculi.*

XII. Spirituales nullum proferre debent verbum, nec alicuius momenti veritatem, quam non ſciant & credant viâ ſpiritus ponderandam.

XIII. Intelligentia veritatum myſticarum adeò abſtruſa eſt, & occulta hominibus puræ naturæ, quantumcumque literatis, vt nihil in ea vmquam concepturi ſint, quia ſcientia ſanctorum eſt, quæ non ſe prodit niſi amoroſis ſuis ſubiectis.

XIV. Vnaquæque res ſapit id quod eſt, homines ſapientes ſapiunt diuinam ſapientiam, & caro aliud nihil ſapit præter carnem.

XV. Hæc audiet & leget animalis homo, & numquam comprehendet, ſed ſtultitiam arbitrabitur; quia cum myſtici ſcrutentur omnia etiam profunda Dei, homines animales è contra, tantò plus ab hac intelligentia remouentur, quantò in carne & ſanguine, vita eorum beſtialiter effuſa eſt.

XVI. Etſi ſcientia myſtica diſponat hominem vt ſpiritualis efficiatur, nemo tamen purè diſcens, aut ex eo quod didicerit ſpiritus effectus eſt, & vmquam efficietur.

XVII. Etſi ſubtilis humana eloquentia, ſuauis appareat, non expertis vias ſpiritus; qui tamen ſapientiâ tantillum imbuti ſunt, quantùm differat à vera ſapientia ſtatim aduertunt.

XVIII. Vbi multa eſt ſcientia ſpeculatiuè comparata, miraculum eſt ſi prædominetur ſapientia diuina; nihilominus cum ſapientia & ſcientia ex æquo procedunt, res eſt miranda.

XIX. Proprius ſapientiæ effectus non tam eſt perſuadere, & conuincere, quàm cor mouere & accendere, itaque ancillatur ei ſcientia dumtaxat, & non eſt neceſſaria.

XX. Magnifaciendi ſunt in Religione viri docti, qui efficiuntur myſtici, ſed tanquam phœnix rari ſunt.

XXI.

XXI. Vbi deest prudentia, virtus vera nulla est.

XXII. Prudentia vno comprehensionis actu, agit in præteritum, præsens, & futurum.

XXIII. Sapiens qui ad hyperbolem & exaggerationes soluitur, seipsum trahit, multúmque infirmum in spiritu, & absque sui attentione comprobat.

XXIV. Egressiones sapientium, qui plus aguntur quàm agunt, ordinatissimæ sunt, in numero, pondere, & mensura; & externum, mors illis crudelissima est.

XXV. Multùm interest plus facere quàm cognoscere, licet absque cognitione fieri nihil possit; sed qui se totum Deo funditùs prædandum tradiderit, non carebit sufficienti cognitione ex parte illius, imò nec radiantibus luminosi & delitiosi eius amoris contactibus, quibus mysticam sapientiam diuinitus infusam, exundantibus fluctibus accipiet.

XXVI. Sancta est, & præcellens ignorantia, quæ subiectum suum simplex, sibíque ignotum facit, ad discretionem non necessariam motuum suorum; quia ipsius occupatio actualis in Deo est, & non finit eum super hoc, multò minus super aliud quodque vllatenus reflectere.

XXVII. Aliud omnino est sanctum esse in vero sanctitatis fundo, quàm agere vbique sancte, nec esse in seipso sanctum.

XXVIII. Prudentiam illorum qui in oculis suis sapientes sunt semper comitatur concitatio, aut ratio concitata; sed prudentia simplicium diuinam semper prodit sapientiam, & est luminosa, simplex, & immunis ab omni rationis commotione.

XXIX. Tantùm distant à reflectione verè simplices, quantùm si numquam in carne vixissent: semper vlteriùs se extendunt tanquam faces in vita sua præfulgentes.

XXX. Sapientia est intellectualis æternarum rerum cognitio, quæ potiùs contemplatio, quàm speculatio vocari debet: vndè dixit Psalmista in persona simplicium, eò quod illiteratus esset, accessurum se ad scrutationem omnium potentium Dei operum: quæ sunt opera eius infinitæ bonitatis, sapientiæ, & potentiæ.

XXXI. Scientia, naturæ cognitionem parit; & sapientia,

Dei, eiúſque bonitatis in nobis ſcientiam infundit; illa vult cognoſcere, quod non aſſequitur niſi cum labore & ſudore, hæc idipſum vult ignorare, abundans tamen notitiâ rerum omnium. Demùm hi in Deo immerſi viuunt, iſti circa orbem vniuerſum aſſiduè detinentur, & in cœlorum inſpectione, vbi nidum videntur fixiſſe.

XXXII. Ratio illuminata in ſapientia, eſt alta eleuatio, & ſimpliciſſima ſpiritus conſtitutio in ſplendoribus æternis, vndè proſpicit eminenter & ſimpliciter acutiſſimâ oculorum mentis acie, & ſimplici aſpectu, omne quod ipſi inferius eſt, & quod ad propriam eius viam, conſtitutionémque ſpectat.

XXXIII. Homo non eſt verè homo, niſi dono ſupernaturalis ſapientiæ reformatus, túncque omnium puræ naturæ hominum verè ſuperior eſt, & omnibus diuini ſpiritus dotibus, in ſuis viribus exornatur.

XXXIV. Diſcretio eſt effectus præuiſionis illuſtratæ rationis, quæ ſimplici & penetrante intuitu, omnes actionis circunſtantias attendit. Hæc virtus non addiſcitur, nec ab extrinſeco prouenit, ſed ab interiori dumtaxat, eſtque iugis effectus gradus poſſeſſi luminis.

XXXV. Dies noſtri nunc mali ſunt, & abſque ſimplicitate, carnalíque prudentia, & politica hodie homines aluntur; verba, & affectus ſpiritus, ſunt ipſis flagellum, ita vt ſumma prudentia & attentio neceſſaria ſit ad agendum cum illis.

XXXVI. Excellens & diuina ſapientia ſubiectum ſuum facit ſimplex, vniforme, ſpirituale, & totaliter introuerſum, ſimul tamen multùm & affluenter in ſpiritu, & lumine, ſupra omnes ſenſibiles ſpecies, dilatatum.

XXXVII. Sapientia diuina mouet & attrahit fortiter corda humilium & docilium ſibi funditùs ſubditorum, eáque implet ſenſuum ſapidorum abundantiâ.

XXXVIII. Qui ſuaſione exteriori dumtaxat fertur in bonum, abſque forti & efficaci ſapientia diuina, facilè à ſuo deſiderio diuertitur; quia nudam Dei preſentiam & actionem in intimo cordis, & virium ſuarum ſuſtinere non poteſt.

XXXIX. Maior hominum pars ex opinione viuit &, ſecundum

dum quod sensu & imaginatione afficitur, dumtaxat iudicat. Ille verò est sapiens qui de rebus iudicat secundum quod in veritate sunt.

XL. Omnis hominum labor in hac vita, omnis scientia, & omne lumen, ad hoc vnum tendunt, vt possint falsum à purè, vero: sed subtiliter apparens à veraciter vero discernere.

XLI. Veri & solidi diuinæ sapientiæ effectus sunt, intelligere, penetrare, & supergredi omnia creata, vtique seipsum.

XLII. Sapientia diuina simplex est, suasionem habens viuidam, suauem, efficacẽ, afficientem cor sapidè, compendiosam, simplicem, vnicam, colligentem omnes cordis in vnitate sua vires.

XLIII. Non appropinquant nisi distantiâ infinitâ tempestates, serenissimo verè sapientis animæ cœlo: licèt enim aliquando maximè nuda sit & derelicta, foris tamen sunt, & fremunt tempestates.

XLIV. Spiritus diuinæ sapientiæ implet suauiter, dominatur fortiter, acriter accedit, & excellenter illuminat, eos qui se eius directioni subiiciunt.

XLV. Sapientia nil coactum, nil affectatum habet, sed semper, & vbique seria est; si quandò festiuum profert sermonem, ad laxandos tantisper animos, conuenientissimè facit, comiter & pro breui tempore.

XLVI. Obiectum diuinæ sapientiæ est Deus infinitus in seipso, qui eam abundanter infundit iis omnibus, qui illam in amoris, & humilitatis profunditate reuerentur.

XLVII. Eloquens & diserta industria humana, sensum pretergredi nequit, & continuò in seipsa mollescit, subiectum suum funditus euacuat, faciens illud effluere, tanquam vas millefore, ita vt homo, & omnis eius eloquentia ad nihil redigantur, & se inuicem annihilent. Sed

XLVIII. Non sic de mystico fluxu, qui est diuinarum emanationum effectus, & prælibatic beatitudinis æternæ, quibus creatura omnia penetrat, omnia permeat, omnium obliuiscitur, in fruitione quam habet Dei.

XLIX. Quod me attinet existimo huiusmodi conciones, compositas sermonibus adeò vanis, effusis, exquisitis, intextis genealogiis, vanis fabulis, & descriptionibus operum naturæ,

nullatenus esse verbum Dei, sed hominum dumtaxat, affectatum; & auro adulterato subtiliter deauratum; huiusmodi concionatores corrumpunt christianos, pascentes eos vento, & vanitate, & hi, & isti cor Deo vacuum habent. Magistri sunt qui pascunt ventum, vento subtiliore, & venenoso: auertentes sensim simplices à fide & deuotione sua, & præbentes illis pro pomis folia, pro pane lapides, & pro alimento terram insipidam, venenato melle illitam. Venatores sunt honoris, & vanæ gloriæ, titillatus, & applausus, & hæc sub speciosissimis causis & prætextibus.

L. Qui profundè, simpliciter, & vnicè in Deum sunt demersi, non se iudicant infallibiles in sua mente, lumine, & affectu, ita vt omne quod ex eis procedit sit veritas infallibilis, quia possunt eos latere circunstantiæ subtilissimæ; quo fit, vt in iudicando, & determinando de rebus alicuius momenti, tardiores sint & cunctabundi.

LI. Vera prudentia & charitas nescit quid sit zelare indiscretè pro bono communi, in damnum & ruinam particularis.

LII. Perbellè omnino, qui dixit, discretionem diuinam, omnium nostrarum actionum, & agendi rationum esse motricem, & informantem animam. Sed adeò rara est, vt qui illâ præditi sunt phœnices in terra vocari possint, quorum sub regimine, quò inferiores meliores sunt, & sanctiores, eò & feliciores: sed difficillimum est, eos qui de communi tantùm sunt, semper cum illis viuere contentos.

LIII. Cum purè in nobismetipsis sumus, doctrina spiritualis non multùm extenditur, nec magnum habet effectum, sed cum in Deo sumus, illic quoque doctrina nostra est, quæ semper mirabiliter suum producit effectum, intus & foris, sed magis specialiter intus, vt nos rapiat, comburat, & liquefaciat diuini amoris igne.

LIV. Verè sapientes lenti & tardi sunt in consiliis suis, timidi in suis propositis, ordine, prudentiâ, & consilio affluentes, in omnibus ad quæ procedunt; & in præmaturis vbi præpoperè egerunt, optimè norunt desistere in gloriam Dei, non adhærentes honori suo; aliundè scientes quantùm magis intersit humiliter cedere, quàm disrumpere; hi sunt qui Sapientis vtique dictum

dictum experiuntur, esse mortalium timidas cogitationes, & incertas prouidentias nostras.

L V Sapiens ponderare & tantiducere debet vnamquamque rem, quanti est meriti: nam si deesse sapientiæ humanæ, etiam in minoribus eius effectis, sit non esse hominem, quid esse debet Religioso culpâ suâ deesse sapientiæ diuinæ? Qui igitur diuinam reuerentur sapientiam, paruum nihil arbitrantur, cui non prouideant, aut præsens remedium adhibeant.

L V I. Proprium est spiritus luminosi secundum diuinam sapientiam nosce spiritus per intuitum, & penetrationem illorum, secundum simplicem & viuidam actiuitatem oculi sui simplicis Qui igitur primo aspectu, per modum dicendi, non penetrat occurrentia spiritus subiecta, nec simplex est quantùm ad hoc, nec spiritus.

L V I I. Licèt docti aliquas habeant spiritus scintillas, in materiis spiritualibus, hoc tamen non prouenit ex fundo simplicis & eminentis sapientiæ, quæ à formis & speciebus quasi à morte abhorret.

L V I I I. Anima sancta in abundantia sapientiæ, amat res omnes, secundum gradum bonitatis & sanctitatis quem habent, & nõ secundum apparentiam, & ille iustè & sanctè viuit, qui rerum vt in se sunt, verus & integer æstimator est.

L I X. Admixtio etiam modicæ scientiæ, æternùm impediet profundam, puram, simplicémque diuinam sapientiam.

L X. Purè morales abalienantur à simplici diuinæ sapientiæ fluxu, quia non resident in suo interiori per simplicitatem, perditionem, & omnimodam suiipsorum mortem

L X I. Docti discursibus suis plenam Dei cognitionem attingere nequeunt, vndè fides ignorantiæ illorum terminus est, non verò curiositatis. In subiectis æternis temporales sunt, quia non possunt se, nec tempus actiuæ suæ industriæ conatu supergredi. Hoc vtique simplici, & sapidæ debetur sapientiæ, quæ per operationes suas alumnos suos, ad æternitatem prouehit; vbi eorum & cognitio & fides æterna est, & vbi eorum fides penè idem ac amor eorum est.

L X I I. In scientia mystica exercitatio theoriam præcedit, à contrario artium & scientiarum naturalium.

LXIII. Diuina ſapientia abundanter infuſa, eſt omnis cognitio, & omnis amor.

De Abſtractione.

I. OMnes deiectiones noſtræ ex eo procedunt, quod abſtractionem perfectam altè, eſſentialiter, & in vno ſuo centro non exercemus. Et cum hoc in nobis deprehendimus, multùm aduertere debemus, quidnam illud eſt quod nos intus impedit.

II. Non oportet cor ſuum aptare omnibus quæ dicuntur, vt eis reſpondeamus, aut conſentiamus; ſed multa per abſtractionem ſunt remittenda, quaſi non audirentur.

III. Optimè dixit Sapiens, doctiſſimum eſſe eum, & pretioſiſſimi animi, qui verba ſua nouit moderari; Et re ipſâ oportet omnes noſtras actiones in trutina diſcretionis, & ſapientiæ diuinæ examinare, noſque abſtrahere ab omnibus actionibus & ſermonibus vanis, inſanis, facetis, inconſideratis, leuibus, diſſolutis, & falſò liberis: hæc videntes tanquam non videntes, & tanquam ad nos nullatenus pertinentia.

IV. Pauciſſimi ſunt debitè, & vt par eſt, abſtracti ab eo omni quod non eſt verè purum, & mundum, & qui non ſæpè commiſceant ſpirituali profanum.

V. Vix reperitur qui abſtractionem debitè exerceat, propter licitum, & prudentiam.

VI. Quicumque non eſt veraciter abſtractus, in omnimoda abnegatione ſuiipſius, nullatenus eſt capax veritatum & luminum ſpiritus.

VII. Veri ſimplices viuunt in abſtractione rerum omnium, tam intus quàm foris: ita capaces ſunt pleniſſimum de diuerſis inſtinctibus, motibus, & affectibus, ferre iudicium.

VIII. Qui non eſt abſtractus à viſibili & ſenſibili, manebit ſemper ſibiipſi alligatus, nec vmquam potietur verà libertate cordis, & ſpiritus; quia frequentes creaturarum inordinationes ſe conſiliis eius, aut potius Dei in ipſo, inceſſante opponent.

IX.

IX. Qui in nullo implicat ſe foris, niſi prudenter, & in iis quæ ad ipſum ex officio ſpęctant, hic perfectus eſt. Huiuſmodi homines in collegiis rari ſunt, multum audire & parum loqui gloriantur. Sibiipſis vacare in profunda attentione & abſtractione exterioris, à quo ſenſus eorum tantùm mouetur.

X. Quando cœlum & terra ſoluerentur vt ita dicam, bonus Religioſus ſemper quod debet & poteſt operatur: æqualiter ſuum proſequens tramitem, nec reſpiciens nec reflectens foris, quid fiat, aut quid non fiat.

XI. Plurima ſunt abſtractionum genera, quidam abſtracti ſunt in natura, & in vi beſtialis ſuæ imaginationis, morales abſtracti ſunt in apice rationis: verè ſpirituales ſunt ſupernaturaliter in altiori ſede ſpiritus, denique alij adhuc magis nudè & ſimpliciter, cum ſint omnino eſſentiales.

De Simplicitate.

I. Simplicitas eſt mors totius appetitus naturalis in ſe reflexi tam ſecundùm ſenſum, quàm ſecundùm rationem: quò fit vt verus ſimplex res aſpiciat non ſecundum ſpeciem, ſed ſecundum quod in veritate exiſtunt, qua ratione ſine vllo artificio & affectatione eſt, vt omnia credat, ſuſtineat, & perferat, quia in Deo funditus immerſus eſt.

II. Simplicitas eſt inclinatio amoroſa in anima ſublimiter in Deum eleuata, quæ eam in fundum ſuum efficaciter trahit, & illic reducit omnes eius vires in vnitate ſpiritus, vt inibi viuat, abſtracta, perdita, & liquefacta, nudè & eſſentialiter, ſimplici & moriente vigore, ſine appetitu ſenſibili ratiocinandi, & reflectendi ad quemcumque ordinem aut inordinationem: ita vt ſit ſemper in ſimplici æternitate Dei perdita, ſi talis eſt qualem ſuppono.

III. Tres ſunt conſtitutiones aut ſtatus ſimplicitatis, 1. Eſt, eſſe mortuum præ iugi ſui in Deum fluxu, per actionem & eleuationem Deiipſius in eius vires. 2. Eſt, nolle reflectere ſuper obiecta ſimpliciora, animo illic datâ operâ rationandi, niſi ex officio nos contingat, 3. qui ſpiritu omnino reſpondet, non

ſolùm

ſolùm facit hoc, quod ſupra, ſed etiam ſubiectum ſuum habet mortuum ſupra omnem apprehenſionem, & cogitationem, ſtabile & firmum ad omnia perferendum, altiſſimo, & fortiſsimo modo, numquam inde pro re quacumque exiens.

IV. 1. Status ſimplicitatis diuinæ, eſt illud omne quod actionem purè ſpectat. 2. eſt actionis ſimul & ſufferentiæ. 3. eſt pura & mortalis ſuſtinentia ſecundum magis intimam & vitalem radicem, fundúmque animæ, quæ moritur & expirat in doloribus atrociſſimis & indicibilibus, nec inde exire cupiens, ſecundum purum ſui cordis fundum.

V. Qui in communi couerſatione ſeipſos nihiliſaciunt, ſuſtinentes cum in ſuo fundo & honore perſtringuntur, ſine oppoſitione, & cum lætitia, reflectentes in Deum, & non in ſeipſos, verè ſimplices ſunt, & ſuiipſorum inimici.

VI. In hoc differt luminoſa natura à ſimplicitate vera, quod ſola natura benè attemperata & diſpoſita ſemper operabitur, & ſine difficultate; ſed eius poteſtas & voluntas ſemper deficient in paſſione & ſufferentia, ſpecialiter ſi pungatur animal ad viuum in ſuo fundo, quod non faciet vera ſimplicitas.

VII. Diuina ſimplicitas oculum mêntis & intelligentiæ ita iugiter apertum habet, vt eius ſubiectum numquam niſi in luminoſa & radioſa charitate prodeat, in bono ordine, prudentia, & diſcretione; omnes ædificans.

VIII. Proprium ſimplicitatis profundæ & vnicæ eſt ſubiectum ſuum verè & perfectè omnibus mortuum ſeruare, & impedire ne caſibus extraneis moueatur, qui illud non contingunt.

IX. Verè ſimplex numquam ridet, niſi cum grauitate & modeſtia, abſque præiudicio iugis ſuæ abſtractionis.

X. Impoſſibile eſt eos in quibus natura aliquatenùs reformata eſt, & tamen nimis actiui remanſerunt, poſſe vmquam perfectæ ſimplicitatis punctum attingere; quia ſemper foris circumcurſant, per imagines quæ nimis in eis viuunt: quod ſi aliquomodo à ſenſibus ſunt abſtracti, vis imaginationis eſt, quæ ſemper aliqua verſat interiùs, quorum ſpeciebus, vt mare fluctibus, furiosè agitantur.

XI. Simplicis eſt omnia proſpicere, anticipatione & penetratione

tione simplicis sui luminis; agens vbique cum sancta & diuina libertate, cum præuisione illuminatæ rationis. Numquam iocatur sub prætextu recreationis honestæ, sed semper æqualiter grauis & verax est, numquam se peritum in vlla materia probat (exceptis paucis circunstantiis) sed de eo quod scit, etiam per scientiam acquisitam, loquitur simpliciter, luminosè & essentialiter, in totali abstractione omnis scientiæ more simplicium & profundorum mysticorum, & hæc exercitatio, maximi est illis momenti.

XII. Verus simplex omnia credit simpliciter, vnitatem suam numquam excedens, nisi ratio illuminata illum aliter doceat.

XIII. Natura veram simplicitatem aliquando ementitur, verum est enim naturalem amorem in se tantummodo reflexum, omnia simulare, & quamcumque vult formam induere; sed non potest quod non vult, scilicet sibiipsi, priuatisque rationibus suis nuntium remittere, maximè si in suo fundo, & honore perstringatur, non sustinebit, aut certè ad modicum tempus.

XIV. Indicia hominis non simplicis, sunt aliquem ementiri in gestu, arguere in actionibus purè naturalibus, & quæ aliquatenùs ad honorem spectant, vt ipsius malè prolata verba resumere, ridere, & iocari passim in omnibus, putà si quis aliquid ignoranter, & bona fide protulerit; alterius impotentiam ludere & irridere, & hæc omnia consultò, potest enim risus, & alia inordinatio contra voluntatem erumpere, sed posteà sufficit ab astantibus veniam postulare, & in hoc casu martyrij aliqua species est.

XV. Simplex consummatus numquàm procedit contra verum ordinem rationis profundè illuminatæ, nam simplicitas vera sustinere tantisper non potest quod ipsi contrarium est, vt sunt tenebræ, & falsum lumen.

XVI. Simplicitatem quæ naturalis dumtaxat est, sæpè comitatur animi abiectio, pudor & pertinacia.

XVII. Nihil vmquam simplicibus accidit quod eos terreat, quia in lumine superiores sunt omnibus: & ab æqualibus tantùm agnoscuntur.

XVIII. Vniuscuiusque mortes, iuxta gradum suum, sunt character, & probatio simplicitatis eius.

XIX. Simplicitas amoris sensibilis prodit ad necessitatem, vt se effundat in creaturas; & qui illam habent vt flumina videntur exundantia amore, simplici doctrina, & luminibus suauitatis & deliciarum ineffabilium. Sed simplicitas amoris puræ caritatis, numquam seipsâ effunditur, moriens, & expirans semper, in vnitate sui obiecti.

XX. Spiritus simplex monachalis & claustralis, hodie totus in politicum versus est; & proh dolor: primarius noster finis & præcipuè mouens est politia, quæ nos rapit & secum inuoluit.

XXI. Politici sunt omnino ficti, habent mille diuerticula, & obliquitates, vt suum finem consequantur; toti sunt in honoribus, & vrbanitate verborum: Magnatum beneuolentiam ambiunt, & priuatas rationes suas semper aliorum commodis anteponunt.

XXII. Simplicitas lumem est in anima à Deo infusum, quod paulatim crescens simplicem illam facit, à quo inescata, respuit libenter omnes voluptates, & sensus bestiales, qui in comparatione huius sapidi luminis, aliud nil sunt quàm error & mendacium.

XXIII. Impossibile est animam non fieri simplicem per frequentes Dei attactus, si fidelis est.

XXIV. Simplicitas ab extrouersione, imaginibus, figuris, & omnium sensuum recreatione tanquam à morte abhorret. Quod si anima sancta interdum nonullam sanctam acceptat recreationem, hoc facit ad extra tantùm & inuita, quia omne gaudium eius intra est: vbi rex ipsius est, cùm quo quietem suam, & voluptatem omnem accipit.

XXV. Astutia, duplicitas, simulatio, artificium, spiritus politiæ, & humanorum respectuum, infernus sunt animarum simplicium.

XXVI. Animæ simplices in statu paupertatis, & priuationis donorum Dei sensibilium, apud se statuunt potiùs perire in suis pœnalibus mortibus, quàm pati simplex suum desiderium, & fruitiuum appetitum, extra Deum effluere, vt reflectat in se, & sensu

ſenſuum leuamen emendicet.

XXVII. Simplicitas actiua per quam verè ſimplices fiunt, in ſua delectabili ſuauitate aliud nhil eſt quàm introitus ad perfectam ſimplicitatem, quæ non poſſidetur perfectè, niſi in ſtatu nudo, & paſſiuo, veræ mortis, & ſubſtractionis diuinarum influentiarum.

XXVIII. Omnes conatus ſimplicium animarum, in eo adunantur, quod decreuerunt mori magis mille mortibus, quàm fauere partibus ſenſuum ſuorum, nec per ſe, nec per quamlibet creaturam.

XXIX. Ille nondum ſimplex eſt, qui per actionem, adhuc diuiſionem & multiplicitatem ex ſpecierum attractione patitur.

De vera filiorum Dei libertate.

I. HOmines profundè ſpirituales faciunt & dicunt quod volunt, & quomodo volunt, in ſuo amore, lumine, ſtatu valde Deiformi, & eminentia ſpiritus Dei, in quo reſident ſupereminenter, & ſunt ſummè liberi in operationibus ſuis, non curantes niſi rationabiliter hominum iudicia, quia nec hominibus, nec ſibiipſis ſed Deo, & in Deo viuunt.

II. Vbi eſt eminenter Dei ſpiritus, ibi eſt bona & ſumma libertas.

III. Vera libertas eſt qualitas ſummè ſpiritualis, quæ creſcit ad menſuram excellentis charitatis, per quam plenè poſſidetur Deus, in plena ſatietate, & deſiderij repletione.

IV. Vera libertas eſt theſaurus filiorum Dei, quæ, quò profundiùs ſe in Deo immergunt, fit magis diuina, quia coactionem pati non poteſt nequidem à carne, etſi in ea habitet.

V. Libertas cum qua paſſi ſunt Martyres, in hoc elucet, quod eorum amor omnibus tormentis fortior fuit

VI. Spiritus vera libertas aliud nihil eſt quàm diſcreta, & extenſa ad omne quod fieri & dici poteſt egreſſio, ſine quæſitione, & iſtud in [illegible] ſimpliciſſima, & præ-

3 ſen

ſentiſſima illuminatæ rationis, quæ ſimplici intuitu anteoccupat omne quod licitum & debitum eſt, in actiuis ſuis egreſſibus.

VII. Quicumque adhuc aliquomodo egredi timet, aut non operatur cum ſancta libertate in egreſſionibus ſuis, hoc ipſo eſt adhuc plus minus-ve imperfectus, & naturæ ſuæ adhærens: nam non eſſe omnino liberum, cum oportet eſſe, multùm eſt à ſeipſo detineri, & ſibi viuere.

VIII. Quò quis eſt perfectior, eò plura facere & loqui, ipſi licitum eſt: ſed numquam agendum, nec loquendum eſt, niſi cum expedit.

IX. Si perfecti ab aliquo ſibi cauere debent, maximè ab inordinata libertate, quia, præterquam quod illam Dæmones ipſammet reputant ſuperbiam, ſeipſos in propriis ſuis egreſſibus excedere poſſent.

X. Bona eſt dumtaxat ſancta libertas in conuerſatione, inter verè ſpirituales, qui de nullo ſcandalizantur, & omnia in bonum interpretantur.

XI. Quicumque vult agere in ſancta libertate, debet eſſe ſemper ſuiipſius ſuperior & dominus, alioquî breui concitatus & cœcus fiet.

XII. Libertas ſpiritus & ſenſus valdè ſimiles ſunt, ſed in hoc differunt quod hæc totum hominem per impotentes animi motus foris effundit, & omnem eius fundum videntibus eum profert: ſed ſancta libertas fit in pace & tranquillitate totius fundi, per omnimodam in Deum eleuationem. Vndè qui eam poſsident, ad actus ſuos comiter & vrbanè procedunt, ita vt nemo poſsit nec debeat ab illis moueri.

XIII. Diuina libertas fructus eſt eorum qui viuentes moriuntur, quæ eos extendit ſupra omnem comprehenſionem, in amplitudine Dei ipſius, quo ſummè perfruuntur, quantùm fieri poteſt in hoc mortali corpore.

XIV. Libertas diuina ſubiectum ſuum ſemper æqualiter, altè profundè, & immobiliter eleuatum, Deóque coniunctum habet, in altiſsima illius ſimilitudine, moriens inceſſanter omni creato, & hac ratione viuens pacifice & tranquille, vtique eleuatum ſupra creaturarum ordinem & inordinationem. Sed hæc

hæc non conſummatis hominibus totaliter ignota ſunt.

X V. Summè liberi, extrema cum iuſtis mediis ſapientiâ ſuâ & diſcretione conciliant.

X V I. Bona & diſcreta auſteritas adeò neceſſaria eſt ſummè liberis, vt abſque illa non ſit niſi dimidius amor, & hæc eſt multorum annorum experientia.

X V I I. In Deo eſt ſumma hominis libertas, quod maximam habet gradationem ante conſummàtionem ſuam ; ſed quando totus homo conſummatus eſt in ſtatu paſsiuo & fruitiuo, tunc ipſius libertas diuinà quodammodo eſt, & ſimilis beatorum libertati.

X V I I I. Vſus liberi arbitrij in hominibus poſt Adæ peccatum, dimidia tantùm eſt libertas ad bonum, licet integra ad malum.

X I X. Nihil ad cognoſcendum difficiliùs verâ perfectorum humilitate, quia vera libertas nihil illius in eorum actibus prodit, tranſgrediens omnem priuatum affectum & commodum, omnem timorem, & omnem humanum reſpectum, vt vnam Dei gloriam intendat.

X X. Aliud eſt libertas cordis & ſpiritus in Deo, & pro Deo, & aliud libertas eiuſdem ſpiritus ad fluendum ſpiritum & vitam exteriùs: Iſta eſt pro poſsidente eam in ipſomet Deo: hæc extra illum prodit intentione & oculo ſimplici, in ſimplicisſimo Dei ipſius intuitu.

X X I. Libertas egreſſa charitatis ſtudioſiſsima eſt, neminem offendit, ſed è contrario omnes ædificat, alioqui numquam egrederetur, ſed libertas carnis, corruptionis & pecati, omnia deſtruit, & ſubuertit.

X X I I. Timor in vere ſapientibus inordinatio maxima eſt, quia creaturarum damnum & incommodum nimis metuentes, ſibimetipſis magnum afferunt detrimentum, omittentes ſæpe quod poſſent aggredi bonum, (ſi ſatis fortes & perditi eſſent ad euolandum in Deum, ſupra omnem reſpectum & conſiderationem humanam :) & præ nimia prudentia in carnis prudentiam degenerantes.

X X I I I. Non eſt vera libertas ſupra libertatem verè filiorum Dei, qui ſub eius legibus ſanctè viuunt, & feliciores ſunt omnibus

nibus hominibus, etiam in ſuis aduerſitatibus; quia in illis ſunt immobiles.

De ſtudio ſcientiarum.

I. MIſera eſt maior pars hominum huius temporis, qui ad hoc tantùm ſtudent, vt inſatiabilem naturæ curioſitatem expleant; quæ illos quaſi lento conſumit igne, in ſua beſtiali ſciendi auiditate, qua ratione eximia mundi pulchritudo, quæ eorum vtilitati multùm prodeſſe debebat, mortale illis venenum eſt, quia non ſtudent vt vitam æternam conſequantur.

II. Studium quod non ordinatur ad ſolam Dei gloriam, breue eſt ad inferos iter; non præciſè propter ſtudium, ſed propter ſuperbiæ quem parit flatum. Idcircò ſapiens ſollicitat homines ad citò operandum omne quod poterunt bonum vt æternitatem promereantur; quia non eſt ars nec ſcientia in inferno, quæ ipſis ad hoc prodeſſe poſſit.

III. Satis mirari non poſſum quoſdam ſacerdotes tam regulares quàm ſeculares, qui ſibi ſtudium omne licitum putant quantumcumque leue, & profanum; dicentes debere ſe omnia videre & ſcire, vt ſecularium difficultates ſuper horum malitia aut rectitudine diſſoluant. Iſte ſenſus valdè rudis eſt & inconditus, & pura naturæ quæſitio, quæ ſpiritualem olfactum corruptiori exponit cœlo, quod poſſit dici; Deiicere eſt ſtatum ſuum in corruptione, & non vt par eſt, ſupra angelos extollere.

IV. Vitium eſt ſatis commune ſubtilioris ingenij hominum, & ſtatus inſignioris, vt magis cognoſcere cupiant quàm facere: & illorum intellectus adeò cognitionis eſt auidus, vt non niſi cum ingenti ſtudio eloquentia, & labore ſatisfieri illis poſsit. Hoc prouenit ex eo quod ſeipſos dumtaxat pro fine habent, & priuatum commodum, voluptatémque pro obiecto. O millies deploranda corruptio & cœcitas humanæ miſeriæ in vniuerſali inordinationis huius effectu, quò fit, vt huiuſmodi homines ſcientiâ ſanctorum vacui, quæ eſt ſapientia diuinitus infuſa, aliò

aliò non confugiant quàm ad aquas putridas & corruptas, vt inexplebilem suam sciendi sitim extinguant; vndè veri sapientiæ diuinæ alumni difficilem aut nullum ad eos habent accessum, nisi sint bonæ indolis, & omnino alij à vulgo.

V. Non malè loqueretur, qui diceret scientiam maioris partis hominum esse scientiam peccati; non quod seipsâ mala sit, cùm sit studio legitimo comparata, sed quia tertia pars hominum in ea quiescit, & non in Deo suo finali obiecto.

VI. Inter cognoscere & operari maxima est differentia, homines propriæ excellentiæ & proprij amoris ad primum sunt valdè ardentes, & ad alterum valdè remissi. Sed verè iusti & sancti cognoscere nolunt, nisi vt ament.

VII. Difficillimum est eos qui manifestè proficiunt, aut qui adhuc in spiritualibus initiantur, posse scientias acquirere, & in illis exerceri, absque magno sapientiæ diuinæ dispendio.

VIII. Qui in spiritu Dei studere volunt, huic principio firmiter adhærere debent, scilicet suiipsorum possessionem, & frequentem, omnimodam, simplicémque cum Deo vnionem, Religionis beatum esse finem; & in hoc vtique desiderio scientias naturales debere comparari.

IX. Non est necesse per studium, præsentiam Dei sensu percipere, & nullam in eo delectationem habere: sed sufficit non esse totaliter effusum in ea voluptate quæ ex illo oritur, séque gerere vt solent ingenui & spirituales homines in cibo & potu, vbi delectationem quidem habent, sed in ea non quiescunt, & istud purè propter necessitatem operantur.

X. Etsi anima sentiat se valde distractam & multiplicatam extraneis occupationibus, vi tamen & ardore sui desiderij distinguere non debet, inter contemplationem & opus externum, quando istud est præcepti aut necessitatis.

XI. Qui vult sanctam studiis operam dare, numquam debet in vllo in casu, appetitus sui & propensionis in Deum sensum amittere; non quod semper oporteat hoc sensu affici, sed identidem hanc attentionem ad Deum reuocare; & non ex omni appetitu, affectúque naturali in studiis effundi.

XII. Natura post peccatum non quærit aliò suam beatitudi-

nem quàm in ſeipſa, ſemper rediens, quomodo poteſt ad ſeipſam, vtique omni ſui intellectus acie applicando ſe naturalibus ſcientiis.

De Morte naturali, & quomodo ſe in morbo gerere oporteat.

I. QVicumque ad dandam Deo vitam ſuam, mortis expectat articulum, valde timendum eſt, ne Deus repudiet oblationem eius, quia purum non eſt illius motiuum.

II. Optima Philoſophia, bene viuere ad bene moriendum.

III. Bonis tantùm in articulo mortis dicendum eſt vt ſe comittant diuinæ iuſtitiæ, alij enim nullomodo capaces ſunt.

IV. Docti magis ſenſati & minus ſuperbi morientes agnoſcunt ſtudia ſua nihil ſibi contuliſſe, quo ſufficienter contra Dæmones præualeant; illic eos ſcientia deſerit, illicque eam abiicere debent, vt corda ſua cum ſimplicibus ſermonibus Directoris concilient.

V. Bona ſimplicitas, & pro bona vita, & pro felici morte multùm eſt vtilis.

VI. Anima verè amoroſa omni momento moritur, ex eo quod huic triſti vitæ non moritur, quæ in tantùm ei moleſta eſt, vt eam triſtitia obrueret, ſine Dei præſidio, in quo omnes huius vitæ varietates ad eam excolendam dumtaxat ordinantur.

VII. Martyrium amoris non habet dolorem nec tormentum amarius, vitâ præſente, & abſentiâ dilecti: nam anima Dei pulchritudine quem à longe proſpicit, abrepta, ſtudio eum plene & aperte videndi moritur, & conſequenter è viuis excedendi, ſed hoc ab iis qui Deum non guſtauerunt, ignoratur.

VIII. Quamuis verus amator, verè humilis, merito Dei iuſtitiam metuat, tamen pro nullo tempore mutatur, nam talis eſt illi mortis articulus, qualis vita confidentior & ſecurior, cuius oppoſitum maximam arguit infidelitatem. Heu! nunquid non ſatis miſere vita noſtra in ignotis innumeris quæſitionibus

tran

tranſigitur, vt nos ſcienter & manifeſtè in nouiſſimo vitæ halitu quæramus, defectu amoroſæ & confidentis fidei, & fidelitatis in Deum, reflectentes ſuper nos, ſicut homines de vulgo, abiicere eſt hoc amorem Dei, ſe protegendi gratiâ clypeo propriæ ſuæ iuſtitiæ, & credere Dei iuſtitiam ſe repreſſurum in hoc diffidentiæ puncto, ſuper præteritis ſuis infidelitatibus. Quod ad me attinet difficillimum mihi eſt concipere, nec auſim ſoluere, vtrũ huiuſmodi homines in aliquo charitatis gradu poſt hæc permaneant.

IX. Poſtulanda eſt ante mortem venia, quàm humillimè fieri poteſt; ſed ſimpliciter ſine exaggeratione, aut vlla ſuiipſius exquiſitione.

X. Qui verè humilis eſt, multùm ſibi cauebit ab exhortatione aut admonitione cuiuſquam in extremo vitæ ſpiritu: nec vllus facere id debet, quicumque ille ſit, ſi non eſt ſanctus in miraculis, niſi fortè in particulari, erga aliquem ſpecialis confidentiæ.

XI. Etſi literatorum viæ, rectæ rationi conformes ſint, modus tamen illorum Deum concipiendi, ferè non eſt aliud quàm animalis ſenſus, qui eos obnubilat tanquam paries denſus Deum inter & illos oppoſitus. Quare cum in extremis ſunt, vix ſcitur quid illis dicere oporteat, ne offendantur in viis ſuis, quas dimittere non auderent, ne perirent; itaque capacitati illorum quoad melius fieri poterit, ſeruiendum eſt,

XII. Si Religioſus in clauſtro purgatorium ſuum ex amore ſuſtinet, ad quid metuenda poſt mortem longior in purgatorio detentio? & ſi amans Dei eſt, cur non ●us iuſtitiam in ſeipſa, ſicut & miſericordiam in caſu quocumque exaltabit.

XIII. In morbis & grauioribus doloribus, poſſunt leues & humiles coram Deo emitti gemitus; quis enim potentis Dei manus ſuper ſe pondus ſuſtineat ſine genitu, imò etiam ſine clamore valido, ſi dolor eſt vehemens & acutus.

XIV. Sanctæ diuini amoris ſponſæ, erant ſæpiſſimè ne eis vita protrahatur, ex appetitu infinito & famelico ipſum poſſidendi propter ipſius delectationem, non propter infinitam & delectabilem ſuiipſorum ſatietatem.

XV. Sepulchra regum ad prædicandam Magnatibus mortis

m 2. ne

necessitatem & illius horrorem auferendum, posita sunt.

XVI. Ad benè moriendum dumtaxat in Religionem venimus.

XVII. Deo & ipsius amori in momento mortis diffidere, est illi maximam quæ excogitari possit iniuriam inferre, attentâ eius infinitâ misericordiâ.

XVIII. Maior pars ægrotantium plurimùm decipitur, dum sub prætextu suarum infirmitatum, credunt Dei esse voluntatem, vt naturæ, & suis sensibus totaliter indulgeant.

XIX. Lætitia ægrotantium debet esse in intimis spiritus eorum, vbi Deus residet solus; & vbi debent esse sua in impotentia summè hilares & contenti.

XX. Tres sunt modi se recreandi ægrotantibus, iuxta tres vias spiritus, scilicet actiua & spiritualis, proficiens, & perfecta, primi se recreant in suis desolationibus secundùm naturam, per finem supernaturalem, qui Deus est: Alij se recreant in suis desolationibus supernaturaliter, quantùm ad materiam suarum recreationum in Deo ipso. Et perfecti se recreant supernaturaliter, modo incomparabili, etiam in natura quantùm ad subiectum; quod in hoc ipso quod existunt quales sunt, fit & efficitur supernaturale.

XXI. Quando volumus recreare nos in nostris morbis, abstrahere debemus à malis & afflictionibus, & adhærere memoriâ & voluntate simpliciter simplici obiecto nostro, vt de eo tantùm, & in eo solò delectemur.

XXII. Grauissimi morbi satis ex se loquuntur, quare parcendum est multiplici consolationi, vtique tædium parienti.

XXIII. Cum sint homines tàm humilis naturæ, non possunt aliò ægrotantes intendere, quàm doloribus suis, eorúmque liberationem somno aut aliâ quauis ratione meditari; & qui secùs afficeretur, contrariúmque haberet appetitum, in his ægritudinum extremis, valdè admirandus esset, tanquam plenus, possessus, & penitus à spiritu Dei actus.

XXIV. Si personæ simplices & deuotæ in seculo ita se diuinæ voluntati in suis afflictionibus subiiciunt, vt illas suorum languorum non tædeat, quid de nobis esse debet, qui ad statum omnino alium euecti sumus? nunquid non debemus in malis nostris

noſtris amare & reſpirare Deum amorosè, per humiles gemitus, & interna ſuſpiria, non vt ab eis liberemur, ſed vt Deum in omni patientia & humilitate ſuſtineamus.

XXV. Quid aliud agimus cum ſani viuimus, quàm rubiginem & ſordes contrahere, ſicut inutile ferrum.

XXVI. Quod non poteſt æger actuali & vigorosâ cum Deo conuerſatione, hoc eius dolor pro eo præſtat, ſi intus hilariter patitur, non ſecundum ſenſum, ſed ſecundum puriſſimum ſpiritum, & rationabilem voluntatem.

XXVII. Miſeriæ quibus nos mancipauit peccatum, vſura ſunt voluptatis in eo hauſtæ quam ſoluimus; ſed miſeriarum miſeria eſt, hanc ignorare veritatem, & in tantis miſeriis ſe miſerum non putare.

XXVIII. Caſtigatio & paternus amor, idem eſt apud Deum.

XXIX. Homines miſeriarum ſumus in terra, non vt inibi iaceamus, & permaneamus miſeri; ſed vt nos ipſos erigamus, virtute heroicâ & diuinâ, etiam in ipſis grauioribus afflictionibus, & doloribus, in Deum, quem in intimis noſtriipſorum gerimus.

XXX. Miſeriæ corporis nobis donantur ad ſanandas animæ miſerias; ſicut & animæ miſeriæ, ad ſanandum nos in totali noſtro.

XXXI. Vellem equidem de alio numquam philoſophari, quàm de miſeriis humanis, nam hoc ſecretis mirabilibus omnino refetrum eſt.

XXXII. Exerceri à Deo morbis & afflictionibus, citra comparationem præſtat omnibus exercitationibus à nobis ſuſceptis ad expianda peccata, propter imperium Dei in creaturam abſolutum, & creaturæ nihilum, & eius indignitatem, & ipſius peccata. Itaque morbus continet eminenter pro quibuſuis omnia exercitationum genera.

XXXIII. In tribulationibus quantò plus, tantò meliùs: hoc enim modo manet homo perditus & immerſus in Deum, in ampliori latitudine, longitudine, altitudine, & profunditate, & eſt ante illum ſplendens & radians velut ſol coruſcans inter minores ſoles, id eſt inter homines minoris perfectionis.

XXXIV. Inueniuntur & ſemper inuenientur Religioſi, quiſque ſuo in tempore, qui alijs ſpecimem & exemplar patientiæ & amoris erunt, in tribulationibus, anguſtiis & morbis, tam in ſpiritu quàm in corpore ; inter quos ſunt etiam aliqui toto vitæ tempore in hac laborioſa & pœnali exercitatione, quod in veritate adeò excellens & locuples eſt, vt æſtimari ſufficienter non poſſit.

XXXV. Perfectiſſimi Religioſi, ſunt quaſi tribulationum & ſufferentiarum famelici & ſitibundi.

XXXVI. Deus omnia proſpicit; præcellentes homines horum vident aliquid: ſed reuera omnia tribulatio probat, vbicumque ſit.

XXXVII. Magnarum animarum eſt, quæ retro ſunt obliuiſci, & ad ea quæ priora ſunt, extendere ſeipſas. Quod ſi quæratur quænam ſint illa priora, Credendum eſt non tantùm eſſe gloriam quam ex Dei miſericordia ſperamus: ſed etiam Saluatorem noſtrum patientem, crucifixum & morientem; viuidámque & iugem ipſius, ac diuinæ, humanæque eius vitæ in totalitate noſtri ipſorum, imaginem.

XXXVIII. Non oportet ægrotantem in fide, tentatum contra Dæmones luctari, rationes inueſtigando muniendi ſe gratiâ, & quo erit eruditior, eò & humilior, confidentiórque in hoc caſu eſſe debt.

XXXIX. Oportet vt in morte ab omnibus ſuis fratribus, & à quolibet ſe in Deum moueri patiatur, conſolationémque eorum libens accipiat. Quòd ſi moleſti forent, ad Superiorem recurrat.

XL. Pati non debet ſe ab infirmitate deiici, & obrui more vulgarium hominum, qui non magis quàm beſtiæ in ſuis doloribus de Deo accneduntur.

XLI. Corde ſimplex omnino eſſe debet, & ab omni appetitus naturalis proprietate exutus, ſubmittens ſe ſimpliciter Dei & Superiorum ſuorum, aut ab illis commiſſorum regimini, hâc enim viâ ſecurus ibit ad Deum ; ita vt Dæmones non poſſint præualere contra eum.

XLII. Tempus mortis tempus eſt omnimodæ ſuiipſius abnegationis: & tunc ſi vmquam metuendæ pluſquam infernus pro

propriæ exquisitiones, & omne velle, nolléque reiiciendum.

XLIII. In morte non aliter resistendum est cuilibet tentationi quàm illius contemptu, ac fide, spe, & charitate; verùm fide per seipsam, nullos circa mysteria eliciendo actus, sed Deo nudè & simpliciter adhærendo.

XLIV. Anchora morientis tentati debet esse fides, confidentia in Deo, spes, & suiipsius diffidentia.

XLV. Nullatenus secum nec cum Dæmone loqui debet; sed cum Deo tantùm, exponendo ei præsens suum discrimen, necessitatémque.

XLVI. Si aliud non potest quàm sustinere & pati, sciat, præliari contra seipsum & Dæmones, aliud non agendo, quàm Deum simpliciter & fixè intuendo, gemendo leuiter, eúmque purâ & affectuosâ resignatione sustinendo, istud esse optimum quod præstare possit tam viuens quàm moriens.

XLVII. Caueat sibi à curiosis repræsentationibus, & sublimibus obiectis, iucundæque delectationis, quæ Dæmon aut natura ipsi in hoc momento poterunt suscitare; sciátque Dei lumen simplex esse & diffusum, animam in se colligens, absque naturæ conatu, absque labore, absque industria, & speculatione, quæ semper timeri debet plus esse à natura quàm à gratia.

XLVIII. Cùm liber erit, agat cum Deo colloquiis affectuosis, cùm verò erit in profundis angustiis & desolationibus internis; vtatur clypeo impenetrabili fidei, spei & charitatis.

XLIX. Minus habeat timoris de iustitia Dei, quàm confidentiæ in bonitate illius, misericordia enim Dei videtur esse in illo, & de illo, iustitia autem in nobis & de peccatis nostris. Præterea

L. Multò maior est consolatio & lætitia, resignare se iustitiæ Dei, quàm misericordiæ eius se dedere: hæc enim videtur esse in homine reflexo, & adhærente suo priuato bono, estque hic vulgarium Christianorum vsus: in hoc tristi discrimine misericordiæ Dei se committere. At resignatio diuinæ iustitiæ videtur nihil habere ex homine: sed esse omnino Dei in homine, qui non reflectit aliò, quàm super magnitudine & infinita gloria Dei, vt ei quocumque tandem pretio satisfaciat.

LI.

L I. In momento mortis ſola opera ſiue bona ſiue mala præſidium erunt contra Dæmones. Quod ſi ſanctiores in illa hora tremunt, videntes & iudicantes ſe maximos eſſe peccatores: quid debet eſſe de nobis qui nonniſi putredo & corruptio ſumus?

L II. Sunt aliqui qui de morte cogitare, nimiam eſſe ſui deiectionem arbitrantur: ſed non eſt ita, poteſt enim hæc cogitatio optimè conuenire & conciliari cum altioribus vitæ ſpiritualis exercitationibus: cui enim amariſſima eſt huius mundi vita, eidem mors eſt optatitiſſima, & vtique in hac circunſtantia dulciſſima. Illud apprimè nouerat ſingularis Dei amicus, qui tãto cum ardore poſtulabat corporis ſui diſſolutionem, vt eſſet, & regnaret cum Ieſu-Chriſto.

L III. Qui Deum amant, mortem non reformidant, nec dolores, ſicut ij qui eum non amant. Quod cum ita ſit, boni tamen non certò ſciunt ſe Deo eſſe acceptos, imò etiam fieri poſſet, vt quo plus Deum diligerent, eò minus in ſeipſis ſecuri eſſent, quia verus & humilis amor præſumptionem à ſuo ſubiecto debet expellere, & quia norunt Dei & hominum iudicia omnino eſſe diuerſa. Adde quod eorum metus non tam eſt ſuper ſe reflexus, quàm ſuper Deum, cui timent pro viribus, & debito non ſatisfeciſſe.

L IV. Veri Dei ſerui optimè norunt, iudicaturum Deum hominum iuſtitias omnino aliter & magis rigidè quàm putant, ſed hoc ipſum apud illos paruipenditur, præ deſiderio & appetitu quem habent Dei, & ſatisfactionis ipſius: nam beneplacito eius in æuum ſunt reſignati, exerceat ſi velit ſuam in eis iuſtitiam.

L V. Mors propter iudicia Dei dumtaxat horribilis eſt.

De Senectute.

I. NOn nos ſenectus ſanctificat, ſed noſtrum eſt ſenectutem ſanctificare per veram fidelitatem noſtram.

II. Non efficit ſenectus, vt perfecti cum hominibus deductionem

ctionem temporis quæritent; non conuersantur nisi ex necessitate, & pro breuissimo quo possunt tempore, credentes suum esse tacere, magis quàm loqui, omnésque se sapientiores arbitrantes.

III. Perfecti qui senuerunt in exercitationibus virtutum, perferunt quidem in suis corporibus senectutis incommoda, sed his eorum animæ nullatenus aggrauantur, è contra subtiliores sunt, in operibus suis, in conceptibus, in prudentia, certiores in suo sensu, fortiores & constantiores in sufferentia & in morte. Et eorum maturitas, grauitas, & compositio illis semper & vbique dignissima est, comitem habens suauem in conuersatione lætitiam, etsi aliundè valdè solitarij essent, & ab hominum conuictu remoti.

IV. Si senectus inuenit aliquem imperfectum, numquam alter erit, & qui in viis suis semper adolescit, tempore senectutis ipsam adolescentiam non euacuabit; id est inordinationes & imperfectiones naturæ. Vndè & senectus ipsi iam ex hæc vita infernus erit.

V. Vera senectus in hominibus non est aliud quàm sapiens & canus intellectus.

VI. Si senectus non est oneri suo subiecto, vix & aliis erit.

VII. Ante senectutem moribus & sapientiâ senescendum est, quia senectus annorum numero dumtaxat computata, vt plurimum stulta est, & misera.

Regulæ Conuersationis.

I. POssunt aliquando tractari materiæ simplices, sublimes, & abstractæ, sed hoc breuiter ne tædium pariant non intelligentibus; & vt plurimum, dè rebus bonis, quæ omnibus placere possunt dumtaxat agendum est.

II. Oportet in verbis esse maximè simplicem, & non nisi absque magna necessitate vti æquiuocis, & bene illud in Deum tanquam in eius voluntatem seriò ordinandum est; alioqui non est adeò spiritualis qui non fiat duplex & politicus.

III. In conuersatione agendo de rebus diuinis non sunt com-

municandi exceſſus (qui vt plurimum ſecreta ſunt ſpiritus maioris momenti) iis qui ſecundum puram naturam viuunt, ſiue doctis ſiue indoctis; ad extrema enim ſemper prorumpunt, nec vmquam in vero medio quieſcunt, ſiue in ſe, ſiue in aliis, quod ſpiritualibus maximè noceret.

IV. Cum aliquis mouebitur ad prodendum ſuis inæqualibus ſpiritus exceſſum, ſciat eſſe exquiſitionem ſui.

V. Perfectorum eſt dumtaxat, omnes induere formas in bonum & vtilitatem proximi, demptâ infantium puerilitate, & tamen iuſtum ſeruare medium ſimplicis & moderatæ grauitatis, confidendo in Deo, qui illis erit propitius in iis agendi rationibus, ad quas ex proximi charitate feruntur.

VI. Ex quo videtur quiſpiam alium ſimulare, iuſta habetur ratio iudicandi illum non eſſe perfectum & ſimplicem beneuolum, & ſpiritualem.

VII. Quando conuenit aliquem ſalutare, protinus, cum modeſtia, & rationabili metu excedendi in hac actione, ſalutandus eſt: vitando exceſſum geſtuum, blanditiarum, verborum, & applauſuum, qui parere poſſent propriam exquiſitionem, & ſenſibilem intus & foris affectum.

VIII. In grauioribus anguſtiis oſtendenda eſt facies ſerena, hilaris & tranquilla, quæ nos triſtitiæ & afflictionis incapaces fratribus noſtris poſſit probare.

IX. Si contingat nos coram fratribus ex infirmitate in culpam incidere, nullatenus turbari debemus: ſed culpam agnoſcere cum ſerenitate vultus & animi æqualitate. Quòd ſi videris quemquam ex infirmitate cecidiſſe, habe vultum hilarem ad illum, & amicitiæ ſigna quæcumque poteris (& ſi repugnet natura) illi oſtende.

X. Si de culpis tuis admonearis, non te excuſes: ſed eſto lætus & hilaris, nihil dicendo propter exquiſitiones; ſubſterne tuum fratri tuo iudicium: & hoc accipe tanquam ab amico tuæ perfectionis ſtudioſiſſimo.

XI. Quando vehementer commotus es ſuper aliorum defectus, non adeas tunc Superiorem: ſed expecta donec paſſionis ardor deferbuerit, & tunc clarè perſpicies, quomodo ſe res habuit.

XII.

XII. In iis quæ innocenter & ſimpliciter egiſti, ſi Superior aſtruat culpam, cum humilitate credendus eſt.

XIII. Numquam procedendum eſt ad opus vllum, ſine cogitatione & certa ſcientia illuminatæ rationis, vt diſcernatur an tale opus ædificaturum ſit proximum. Et ad certò ſciendum num in proceſſu noſtro fuerit culpa, ad aliquem eiuſdem nobiſcum viæ referendum eſt.

XIV. Cum aliquid egeris quod per diutinum tempus, rationabilem tibi ſenſum commouerit, finitâ actione non ſtatim cum alio loquaris, donec remiſſo calore qui ſenſum excitauerat, ſimplex & ſupereſſentiale tuum lumen recuperaueris.

XV. Religioſi cum ſecularibus multùm ſimpliciter debent conuerſari, tempore deſtinato, & quaſi feſtinatè, ſine aſtutia, fuco, & diſſimulatione. Si dicteriis aut cauillationibus perſtringantur, heroicâ patientiâ ſuſtinere debent, abſque doloris ſenſu: ſi laudantur, huiuſmodi laudibus ineſcari non debent, propter quæſitiones quæ inde ſequuntur, vt ſe excuſare, iuſtificare, vilipendere, & ſub ſpecioſo prætextu atque apparentia. Si ſeculares in verbis effrenati ſunt, caueat Religioſus huiuſmodi licentiæ, riſu ſuo tacitè ſuffragari, & ſtatim eos relinquat. Si ad expiſcandum nos, de aliis religioſis ordinibus loquantur, vituperantes eos, noſtrúmque commendantes: his omnibus nullatenus mouebitur Religioſus, ſed manebit ſibiipſi ſemper æqualis & immotus, vt Deum in vnitate ſui ſpiritus poſſideat.

XVI. Si quis ſcurram & ludionem agit, numquam ei corridendum eſt, ne riſu noſtro firmetur eius ſcurrilitas, diſpendio, honoris Dei, & exempli proximo debiti. Quod ſi quis nos ſingularitatis ſuper hoc, imprudentiæ, & inurbanitatis arguat, non debemus hoc laqueo irretiri, ſufficit prodire cum illis ad aliquos ludos & moderatas actiones, & hoc dumtaxat exterius, ſempérque reuerenter: hoc illos ſibiipſis reſtituet, nobiſque pacem conciliabit Quod ſi è contra cum illis omnino effundimur, contemnent nos, & poſteà condemnabunt, etſi non ob aliud quàm vt licentiam ſuam excuſatam habeant.

XVII. Vt hominum ingenia, indoléſque diuerſa ſunt, ſic

cum illis diſſimiliter eſt agendum, obſeruando eorum geſtus, motus & actus, multámque illis loquendi faciendo copiam, vt tractemus cum illis iuxta hæc omnia: quod ſi adeo diſſimulati ſunt, vt deprehendi non poſſint, grauiter cum illis & ſeriò ſemper agendum erit: quod de extraneis non de domeſticis intelligendum eſt.

XVIII. Si quis nos in conuerſatione, ex indignatione, aut alia ratione pungat, oportet vt graues, modeſti, læti, & ſine doloris ſenſu ſimus interiùs, nec malum nec bonum dicendo, nec ridendo ſuper hoc. Sic alij ad ſeipſos reuocabuntur.

XIX. Quando quoad melius potuimus, egimus ante viros graues, ſi actionem noſtram defectus alicuius arguunt, quacumque tandem ratione, dimittenda eſt res pro vt eſt, non aliter ſe explicando, aut interpretando (niſi ægrè ferrent) alioquin eos pro ignaris & indiſcretis haberenus.

XX. Superbia eſt aliorum ſermones, & propoſitiones anteoccupare, maximè verò numquam fieri debet ſuper ſermonibus maiorum, & ſe digniorum.

XXI. Non eſt in conuerſatione de rebus inſcienter loquendum, hoc repugnat rationi, & vrbanitati, non eſt etiam per ſententias & ænigmata loquendum, ſed clarè & luminosè, conformiter ad vniuſcuiuſque captum, ſi fieri poteſt ſaluâ ſemper diſcretione bonâ.

XXII. Ridendo proximo vera dicere, ſubtilitas eſt naturæ vt celet paſſionem, & occultet venenum, quod ſæpiſſimè peccatum eſt etiam mortale. Etſi igitur aliquando non ſit illicitum, de aliorum factis moderate loqui: tamen ſatiùs eſt ſpirituali, ab hoc laqueo diſtantiâ infinitâ eſſe ſemotum, quàm aſſueſcere huic praxi, & ſeipſum excæcare; vtique ſemper eſſe ſuiipſius ſuperiorem & magiſtrum.

XXIII. Quidam Religioſi qui ſimplicitatem præ ſe ferunt, reuerâ ſunt tantùm purè politici, quod manifeſtè cernitur cum de eorum honore agitur, vbi deberent, ſe peiori quæ poſſet contingere, ex eiuſmodi caſibus, conditioni exponere; nam optimè norunt tales ictus declinare, & ſuper humeros ſimplicium excutere, qui hoc & vident & vtique bene ſentiunt, cum duriſſimum ſit crucem perferre à qua ſe alius iniuſtè liberauit.

XXIV.

XXIX. Indignatio eſt effectus vitæ malæ mortificatæ, & ſccultarum proprietatum omnino plenæ; taliſque eſt illius ubtilitas, vt vix ſpiritualis inueniatur (quantumuis mortuus eſſe poſſit) qui ab ea penitus immunis ſit.

XXV. Spirituales malè mortificati in ſuis ſermonibus propriâ complacentiâ referti ſunt. Contra vero verè ſpirituales loquuntur ſuo tempore & loco, timidè, protinùs, cum certo pudore, ſine auiditate & quæſitione. De aliis loquitur ſapiens cum dicit, cor fatui non poſſe ſapientiam retinere, quia vas omnino confractum eſt.

XXVI. Non eſt prodeundum inter doctos, ad manifeſtationem veritatum ſpiritualium, niſi rarò; eſt enim hoc, ſe exponere illorum contradictioni, & onus ſuſcipere illos rationibus conuincendi, quod eſt artem eorum exacuere, & naturalem procedendi modum, ſéque ipſum deſtruere.

XXVII. Effectus eſt diuinæ prudentiæ, homines metuere in viis ſuis.

XXVIII. Oportet mortuum Deo viuentem, cauerę ſibi ab omnibus & de omnibus, pauciſſimis dumtaxat confidens ſibi ſimilibus: ſed quia neſcitur quibus, nemini fidendum eſt; Dico etiam ſecundum omnem bonæ libertatis extenſionem, qualis eſt amici ad amicum.

XXIX. Stupenda res eſt, videre verum ſpiritualem, non poſſe ſuſtinere quod non eſt benè conçeptum ſecundum lumen & veritatem ſpiritus; eò quod non dimittit res ſecundum quod ſunt in ſe ipſis, nec attendit ſibi, vt in obiectis ſenſibilibus non effundatur.

XXX. Numquam alterius libertati obex ponenda eſt, maximè quando cum prudentia educitur, ſed fieri debet libera vnicuique ſe exprimendi copia.

XXXI. Tametſi rectæ ſocietatis leges non permittant in conuerſatione pro diutino tempore non loqui, tamen ſpirituales non debent hodie huic regulæ mancipari quia non poſſunt tam modicè loqui quin reperiant laqueos vndequáque in ſuam ruinam diſpoſitos, à quibus per excuſationes expedire ſe tentantes, magis ac magis in illis inuoluuntur. Mortuus qui hoc facit, eſt omnino neſcius, ſine lumine & experientia, in tenebroſa ſua ſimplicitate.

XXXII. Verè illuminati nullatenus consuetudinem & vsum, etiam suorum similium, extra tempus ad hoc præfixum expetunt.

XXXIII. Quantò minus perfectus viator supermundaniter cum hominibus negotiari cogitur, tantò magis & melius in Deum immergitur.

XXXIV. Habet hanc vim in homines consuetudo familiaris eorum, vt sapientiam immutet, & à iusta sua intentione remittat.

XXXV. Adeò seueri & rigidi esse deberemus in hominum consortio, qui penitus foris effusi sunt, vt omni humanitate exuti videremur.

XXXVI. Ne loquaris vmquam in conuersatione de bono & meliori esse corporis, nec de re vlla vmquam conqueraris.

XXXVII. Qui sunt naturæ mollioris & magis allicientis, debent esse aliis grauiores & modestiores, ne à quoquam inescentur, & in aliorum inordinationibus prolabantur.

XXXVIII. In conuersatione ne vmquam singulariter loquaris de vita spiritus, æqualibus tuis aut inferioribus, quasi ad ostendendum te aliis doctiorem.

XXXIX. Delectare æqualiter in omnium vsu, minus tamen si fieri potest, cum iis qui te à Deo auertunt, immorare.

XL, Summam modestiam, exteriùs seruare debemus, & compositionem corporis nostri maximè ordinatam, nec non & sensuum ipsius, animæque & omnium eius virium, vt prælucentes quasi luminosæ faces in medio corporis lucidi accensæ, aliis & nobis præfulgeamus; omnésque ædificemus, ad altissimam Dei laudem & gloriam, & sine affectione, propriáque exquisitione videamur, tanquam verè diuini homines, magis quàm terrestres & corporei.

XLI. Ita nos debemus in conuersatione foris componere, vt indè recollectio nostra, & stabilitas interna animaduerti possit.

XLII. Nec bonum nec malum quisquam de se habet dicere, nisi sit agnitæ sanctitatis consummatæ, quia bonum dicere est laudare se manifestè: dicere malum est alios præoccupare ne ipsi dicant, & nos pudore suffundant.

XLIII.

XLIII. Verè ſpirituales ſerpentis prudentiam debent habere inſeparabilem comitem ſimplicitatis ſuæ columbinæ; vt Deo inhærentes, prudenter & ſimpliciter conuerſentur.

XLIV. Perfecti non poſſunt nec debent aliter ſe recreare quàm proponendo ſibi obiecta lætitiæ mirabilia Dei, amoris eius, & myſteriorum fidei noſtræ opera.

XLV. Si noſtra conuerſatio in cœlo eſt, & in Deo, quid nobis cum creaturis terræ mortalibus? ſi modò cum Ieſu Chriſto ſurreximus de morte ad vitam.

XLVI. Quando ſpiritus æquales ſunt, illuminant ſe mutuò in conuerſatione, & æqualis ad æqualem conceptus, non dicuntur egreſsio, ſed manifeſtatio luminis & veritatis, quæ afficit recipientem viuidâ impreſsione penetrante, lætâ, ſapidâ, & deliciosâ.

XLVII. De perfectè ſpiritualibus loquitur Spiritus Sanctus cum ait, Dicite iuſto quoniam omne quod operatur, omne quod loquitur, omne quod cogitat conſultò, bene omnia facit quia Deus in iis omnibus ſummè glorificatur; ideò fructum adinuentionum ſuarum comedet.

De Sacerdotum dignitate.

I. SÆpe qui diuinorum theſaurorum pro ſe & pro aliis diſpenſationem habent, omnibus aliis pauperiores, indigentioréſque ſunt. Et hi vtique æternùm futuri ſunt iuſta Angelorum ſanctorum, & Dæmonum fabula & ludibrium.

II. Deſolatione repleta eſt terra, eò quod ſacerdotes vitâ diuinâ & ſupermundanâ non viuunt, vt deberent, & Dei verè incurioſi ſunt; homines illos vt ſanctos & vt diuos habent, ſed in benè multis eorum plurimùm falluntur, quia Deo & eius gratiâ vacui ſunt, cumque ſint aliorum medici, in ſeipſis languoribus ſpiritualibus abundant.

III. Conditio Sacerdotum etiam Religioſorum eſt ſublimis & abiecta, pauper & diues, ſancta & corrupta, luminoſa & tenebroſa; non quod tales in ſe defectus habeat, ſed propter abuſus ad quos contrahitur.

IV.

IV Sacerdotes non tantùm paſcere debent populum doctrina & verbo Dei: ſed etiam ædificare exemplo bonorum operum, ſiquidem dictum eſt, non in ſolo pane viuere hominem.

V. Quid prodeſt ſacerdotibus ſic eminere ſupra populum, ſi illorum vita huic ſtatus ſublimitati non reſpondet? Et quomodo populus illis honorem habebit, ſi profanos videat, vanos, curioſos, leues, & paſſionibus ſcaturientes, & malo ſuo exemplo omnes in vita & conuerſatione offendentes.

VI Quando ſacerdotes populo peiores ſunt, proculdubio deſperata ſunt omnia; quandoquidem non ſupereſt, qui iuſtæ Dei iræ fulmina contineat, quibuſnam enim iuſtitiæ diuinæ ſe opponere conuenit quàm ſacerdotibus?

VII. Omnis qui ad ſacerdotij dignitatem eſt euectus, hæc duo præſtare debet, ſcilicet illuminare, & accendere: quod ſi quis multiplici doctrinâ non eſt inſtructus ad illuminandum, probitas eius vitæ, modeſtia, grauitas atque integritas morum in ſocietate pro vtroque ſupplebit. Sæpè enim viuidum & profundum incendium effectus eſt ardentis & luminoſæ ſapientiæ, quæ illuminat ſimul & incendit omnes qui illa afficiuntur.

VIII. Sacerdotes tanquam Deo dupliciter dicati, debent ducere vitam omnino Angelicam, & valdè Deiformem.

IX. O Sacerdotes agnoſcite cum ſuauitate ſenſus, dignitatem veſtram, & admiramini iugiter, tanquam ſupercœleſtem & diuinam. Nolite ei contradicere moribus & vita, ſed hoc facite vt conſuetudine veſtra Angelica, populus ad ſequendum vos, & ſalutem ſuam efficaciter operandam, excitetur. Quia ſcire debet, vtique ſapida experientiâ, quantùm dulcis eſt & ſuauis Deus guſtantibus eum: niſi vos, qui oculis eſtis & doctores populorum, paniſque cœleſtis diſpenſatores, cuius amor eos magis ac magis famelicos reddit? Qualis infamia ſi panis iſte minoris eſt virtutis, in vobis, quàm in inferioribus veſtris? Certè obſtupeſco ſuper hoc, & in admirationem rapior, ſuper infinita inquam Dei liberalitate, & hominum ingratitudine, qui cum ſint ei tot theſaurorum debitores, & neſciunt, & nequidem cogitant, & nullomodo curant.

Regula

Regulæ & documenta pro Superioribus.

I. QVi ad Superioris dignitatem eue˜cti ſunt, debent ſollicitè ſe in ſuo nihilo immergere, arbitrantes, & ſentientes ſe peioris conditionis ante Deum, inferiorum ſuorum minimo; quandoquidem homini fragili, longè tutiùs eſt,& præſtantiùs obedire, quàm imperare.

II. Conueniret Superioribus eſſe Angelos humanatos, vt ſe iugiter poſſiderent firmiter, & totaliter: maximè in reprehenſionibus & correctionibus ſuorum inferiorum.

III. Superiores diligenter & ſedulò obſeruare ſe debent in congreſſu & colloquio,ne quid ex illis prodeat,quod hominem redoleat,infirmitate aut præcipitatione,inordinato affectu,leuis animi motu,aut falsâ libertate.

IV. Deploranda magis quàm cogitari poteſt Superiorum conditio,cùm ſuo muneri, totis viribus, omni ſtudio, & ſollicitudine, non incumbunt.

V. Superiores eruditione, & cœleſti doctrinâ pleni eſſe debent, ſapientiâ, fortitudine, conſilio, prudentiâ, ſuauitate, manſuetudine,lumine, intelligentiâ, commiſeratione,charitate humilitate,& affabilitate, non debent eſſe timidi & puſillanimes, vt ſuſtineant aut corrigant malum tempore & loco,cum ampliori caritate quàm iuſtitia: famam ſuam paruipendentes, & Dei beneplacitum iugiter aſpicientes: qui eos non ſuper Angelos, ſed ſuper homines, ſuperiores conſtituit.

VI. Superiores ſunt ſal, lumen, ſpeculum, fortitudo, ſapientia, charitas, humilitas,ſimplicitas,rectitudo, ſtatera,pondus, puritas, ſanctitas, diligentia, patientia, benignitas,commiſeratio, iuſtum medium, veritas ſtabilis & firma, diſcretio, cautio, remedium, exemplum bonum, perfectio, & ſanctitas inferiorum ſuorum in hac vita.

VII. Melancholici, moroſi, frigidiores, tardiores & grauiores,ad regimen non ſunt idonei, ſed ingenuæ & bonæ indolis, maturi, ſapientes, diſcreti, fortes, generoſi, audaces ad aggrediendum, & efficaces ad exequendum, magis ſancti & per-

fecti, si fieri potest, quàm docti.

VIII. Omnis probatus superior has debet habere conditiones & dotes. 1. Debet esse summè luminosus & spiritualis, subtilémque spirituum omnium, tam pro se quàm pro aliis habere discretionem, ita vt ab exterioribus vniuscuiusque animum, facilè exploret.

2. Debet esse studiosus & sollicitus idoneos ad spiritum & perfectionem perducere.

3. Debet esse dulcis & mansuetus; sine indignatione & passione indiscreta, confidens inferioribus suis, facilémque illis dans accessum & libertatem aperiendi animum suum, vsque ad secretiores motus, sine diffidentia & exasperatione.

4. Curare debet vt regulæ & statuta obseruentur cum suaui rigore, docilibus facilem se præbens, & discolis post longam patientiam mediocriter rigidum.

5. Adimplere debet hoc apostoli effatum, vos qui spirituales estis, instruite vobis commissos in spiritu lenitatis, considerantes proprias infirmitates vestras, ne & vos tentemini illusionibus, superbiâ, falso zelo, & aliis naturæ exquisitionibus, quæ aliorum infirmitatibus compati non vult.

6. Non debet esse frigidus in consolandis ægrotis & afflictis, nec eis necessitates & postulata negare; deficiens his charitatis muneribus, quæ possent illi inferiorum animos conciliare in gloriam Dei, prælaturâ indignus est.

7. Gerere se debet instar veri patris, non magistri & domini, authoritatem cum paterno amore in filios (vt par est) commiscens; si quidem in Religione captiuus nemo est, nec seruus, nisi Dei infiniti.

8. Inire consilium, imò & saniori etiam nouissimorum libenter vti debet, nec sustinere se ab adulatoribus & assentatoribus, leuiùs credendo in seruitutem redigi.

9. Omnibus omnia fieri debet sine cuiusquam acceptione: admonendo vnumquemque cum charitate, priuatim & publicè, nec ferendo minores à maioribus per calumniam aut nimium rigorem obrui.

10. Speciem pro veritate accipere non debet, nec sub aliquo prætextu secularibus à Religiosis plus nimio tribui.

11.

11. Inferiorum suorum operâ non debet vti imperando, sed rogando dumtaxat, in eorum se statu constituens, tàm in agendo quàm in patiendo.

12. Neminem debet premere, nec cuiusquam vires siue intus, siue foris excedere, sub quacumque specie.

13. Regimen illius plus quàm par est politicum esse non debet, sed ordinationi diuinæ voluntatis consonum, quæ vtique est, vt sicut sanctus esse debet Superior, ita suorum inferiorum sanctitatem in omnibus illorum actionibus debet promouere.

14. Ex his esse non debet qui ad consolandum & sanandum inquietos aliud præter crucem remedium non habent, quod est defectus non leuis, siquidem non est istud sanare sed augere malum, nec subleuare aut euertere cruces, sed nouas fabricare.

IX. Superiores magis timere debent, tenaciores esse quàm faciliores ad concedendum suis inferioribus quæ postulant ab eis; cum nihil sit quod tam vergat in Religionis ruinam, quàm ipsis iustas necessitates negare: & licet inferior se manifestè in sua petitione quærat, nihilominus debet dissimulare Superior, seruans tamen in iis quæ supra, luminosæ leges prudentiæ.

X. Superiores multùm solliciti esse debent, ne sui inferiores vllam in spiritu & corpore necessitatem patiantur, vt possint Dei præsentiam cum quiete & cordis stabilitate colere: statim-atque enim ac Religiosus quidpiam notabiliter siue in spiritu siue in corpore patitur: debet præsumi illic ex necessitate esse penitùs immersum, sine pace & quiete, consequentèrque introuersionis in seipsum, & conuersionis omnimodæ ad Deum incapacem.

XI. Quod si Superior aliquid inferiori negandum putat, consultum erit rationem ipsi indicare, vt indè in Superiore non deesse charitatem agnoscat.

XII. Qui vitam spiritus penitùs nesciunt, Superioris onus recusare debent, quandoquidem plus illis damno quàm vtilitati; & ruinæ quàm saluti verteretur.

XIII. Res est valdè deploranda in Religione, quod tradantur filii eius & teneri alumni nutricibus mammas non habentibus,

O 2 id est

id est defectuosis Superioribus, cœcitas est, ignorantia, & crudelitas, sic liberos in cunis suffocare.

XIV. Necesse est Superiorem omnem, esse non solum mortificatum in vita sua & exemplarem, sed etiam prolixum in oratione, recollectum & solitarium: nihilque ei in suis inferioribus adeò placere debet, quàm vita verè interna & solitaria: relinquendo spirituales & solitarios in suaipsorum quiete absque impedimento, siquidem huiusmodi sunt qui regulam nostram in suo splendore primarióque & supremo seruant spiritu, in quo Superior charitatem & veram sanctitatem manifestè notam faciet.

XV. Quandoquidem Religio & Superiores ex superfluis aliquos pauperes ad ianuam sustentant: In nomine Domini, saltem eâ ratione nutriant humiles Religiosos, & pauperes Dei seruos, in pace & quiete spiritus, qui desiderant ei toto corde seruire, sub auspiciis & præsidio suorum Superiorum: sperantes à Deo illorum precibus benedictionum eius abundantiam.

XVI. Probati Superioris lætitia est, scire suos inferiores in pace interna viuere.

XVII. Superiores certò credere debent, Religiosos verè spirituales firmius esse Religionis propugnaculum, & tanquam canales per quos Deus fauores suos, & benedictiones in reliquum corpus effundit.

XVIII. Superiores suis in exhortationibus frequenter exponere debent, in quo consistit nostræ professionis spiritus: scilicet non in externo fulgore multáque specie, sed in interna cum Deo occupatione: non in externa mortificatione ad conuenientiam, splendorem & externam domus politiam (quod diuturnum non foret) sed in profunda annihilatione antè Deum.

XIX. Superiores numquam committere debent iuniores Religiosos regimini Directorum viarum Dei penitus insciorum, & sapido eius spiritu omnino vacuorum; numquam enim aliâ vitâ, alióque quàm suo spiritu huiusmodi iuuenes imbuent.

XX. Valdè deploranda res, Superiores adeò charitate & commiseratione deficere: vt nolint sentire in suis inferioribus quod ipsi non sentiunt, nisi actu sicut & illi realiter infirmentur.

XXI.

XXI. Superiores magnam habere debent commiserationem lapsuum suorum inferiorum, distinguendo inter malitiam & infirmitatem; nec vmquam corripientes feruente animi motu, in seipsis siue in eo qui corripitur, alioquin seipsos excœcarent & plus læderetur, quàm humiliaretur, mutaretúrque delinquens. è contra

XXII. Nullus est tam ferocis & indomitæ naturæ, qui paternâ sui Superioris charitate non emolliatur.

XXIII. Superiores qui in suis correctionibus velut tonitrua fremunt & debachantur, in omnibus indifferenter casibus, aptiores sunt ad hebetandum, & omnia destruendum, quàm ad Religionem promonendam.

XXIV. Superior qui Religiosum, in suis reprehensionibus excessit, veniam ab eo petere debet, etiam publicè, si culpa fuit publica. Hoc duriora ei consiliabit corda, & humilis, charitatis studiosi, atque iusti, nomen acquiret.

XXV. Prudentia Superiorum summã habere debet rationem timiditatis paruulorum, qui ad eos accedere non audent, propter suam tenuitatem, & modicam in honorificis & præcellentibus Religionis muniis, seruiendi aptitudinem; & minus attendere ad eos qui multa faciunt, quàm ad illos quorum virtus quidem ad pauca, voluntas autem, vtique infinita, ad omnia extenditur.

XXVI. Quando Superiores, inferiores suos contristare metuentes, non promouent Religionis bonum, nec disciplinæ regularis feruorem fouent, sciant certò non esse Dei, sed carnis hanc prudentiam.

XXVII.. Superiores moueri non debent, cum vident delinquentes suos Religiosos, modò ad se redeant cum emendationis proposito: maximè verò Nouitiorum meliorem frugem magna cum patientia debent præstolari, si modò dissimulati, mendaces, & malitiosi non sint, his enim in casibus, nisi Deus eos miraculo mutaret, dignè in Religione perseuerare non poterunt.

XXVIII Ne libertas Spiritus, & Superiorum facillitas erga suos inferiores, vertatur in sensualitatem, debent esse rigidi, graues, & serij, acriter eos, & industriè mortificantes.

XXIX. Superiores sub mortificationis obtentu non debent exigere à suis inferioribus impossibilia, aut tam ardua, vt eos vexent, & animi quietem auferant.

XXX. Nihil debet iniungere generaliter Superior, sub prætextu zeli & magnæ perfectionis, quod animos nimis premat & suâ libertate spoliet.

XXXI. Probatus Superior Religiosos suos semper lætos & alacres seruare debet, cùm sit lætitia, signum Deo placentis animæ.

XXXII. Non debet tantam habere rationem eorum quæ operantur, quàm animi quo operantur.

XXXIII. Cum ei aliorum culpæ deferuntur, non debet dare signa lætitiæ, nec applausus, ne exinde exaggerationis ansa arripiatur.

XXXIV. Si perfectio Religionis expetitur, oportet omnes Superiores in gloriam Dei & commune bonum priuatarum rationum studiis nuntium remittere.

XXXV. Nimia authoritas in Superiore amorem minuit; minor verò contemptum parit, itaque seruandum est illi iustum medium.

XXXVI. Superiores qui per ascensum & authoritatem magis vt magistri & supremi domini, quàm in spiritu lenitatis & charitatis vt patres imperant, non imitantur excellentius Dei erga homines regimen, quos vt amantissimos filios per amorosam prouidentiam gubernat.

XXXVII. Numquam excedere debet Superior, nec in facilitate, nec in rigore; quod si quando excedit, in facilitate potiùs quàm in rigore sit excessus.

XXXIII. Summum ius suum, à nullo vmquam exigere debet, siquidem si crudelitas non est, saltem indiscretio magna & imprudentia.

XXXIX. Arbitrari non debet se plus luminis & intelligentiæ quàm omnes suos simul inferiores habere, nec eapropter bonos eorum sensus & consilia respuere, alioquin ad regimen ineptus est.

XL. Ita vniuersalis & omnibus communis esse debet, vt possit videri absque singulari cuiuscumque consuetudine.

XLI.

XLI. Si tantæ quæ requiritur in Superiore dulcedini non adiungatur discreta seueritas, mollities est, & ignauia, potiùs quàm vera dulcedo & virtus.

XLII. Oportet corripientem & mortificantem summâ vti discretione, prudentiâ, & prouidentiâ rationis illuminatæ, vt tempore, & loco conuenienti hoc munus exequatur.

XLIII. Corrigendo peccatorem oportet quodammodo peccati obliuisci, & ad animæ huius excellentiam dumtaxat aspicere, quanti constiterit Domino nostro.

XLIV. Superiores non debent mortificare perfectos Religiosos nisi priuatim; quia cum sint veluti faces in aliorum directionem positi; destruere esset, magis quàm ædificare.

XLV. Superior numquam imperare debet cum dubio & ambiguitate.

XLVI. Superiores debent attendere vt ab inferioribus suis semper dignè occupati videantur, non in sollicitudine negotiorum, & cum secularibus: sed intra, in exercitiis vitæ regularis.

XLVII. Probati Superiores durioribus operibus primi manum admouent, & optarent, si possent, soli omne sustinere pondus, vt sui inferiores pace fruerentur, ad maiorem eorum perfectionem.

XLVIII. In capitulis & deliberationibus oportet quemque inferiorem posse Superioris opinioni aduersari: vt veritas melius elucescat.

XLIX. Magna miseria videre homines, quibus commissa est pro se, & pro aliis diuinorum thesaurroum dispensatio, aliis omnibus pauperiores & indigentiores.

L. Religiosi qui semper studere debent paupertati religiosæ, nihil vmquam expetere, nec postulare debent à suis Superioribus, nisi purè necessaria.

LI. Exponere rationabiliter damna & grauamina quæ sustinenda sunt, si non habeantur commodè necessaria ad implenda obedientiarum suarum munia, tempore & loco, non est iniustum, sed rationi valdè consonum.

LII. Inferiores qui fratrum suorum culpas Superioribus deferunt, hoc cum humilitate & charitate, non iudicando, nec ponderando, & exaggerando, præstare debent; alioquin in suo

ſuo inferioris ſtatu, Superioris iura & authoritatem vſurparent, cuius eſt iuſtitiæ ſtateram moderari, & trutinare delatum.

LIII. Zelus & correctio ſiccarij ſunt perfectionis ſpiritus in inferioribus.

LIV. Inferiores continere poſſunt aliorum inordinationes, in ſilentio non approbationis, ſed horroris.

LV. Nihil eſt quod inferioris nonnihil religioſam adeò pungat conſcientiam, quàm cum ſenſit ſe Superioris non implere volunsatem: ſed qui omnino nequam eſt, illico hos ſtimulos multiplici obtentu & ſpecioſis rationibus extinguit.

LVI. Sciant inferiores aliud non eſſe medium Deo placendi, quàm placendo ſuis Superioribus.

LVII. Inferiores numquam debent arbitrari ſe à ſuis Superioribus offenſos, niſi in quantùm ipſorum perfectioni manifeſtè nocebunt, & hoc in veritate conſcientiæ iudicabunt.

LVIII. Superior qui ſub obtentu ſuæ poteſtatis vult in omni materia, putà melancholià, aliíſve imperfectionibus inferiores ſuos iocari, & vellicare, eſt ſemper in ſtatu peccati mortali valde proximo.

LIX. Caue ne in rebus minoris momenti ſis nimis iuſtus & ſapiens, inueſtigans plus æquo in te vel in alio culpæ & accuſationis materiam, vbi non eſt: hoc enim faciens nimium multiplicareris, & actiua ſpiritus tui intentio impediretur.

LX. Superiores dignioribus dumtaxat ſuorum inferiorum, rationem ſuarum propoſitionum debent reddere, alioqui nemini ſe fidere demonſtrarent.

LXI. Non debent Superiores in ſuis ſermonibus contradici, ſed licitum eſt dumtaxat, eis obiicere, & reſpondere cum prudentia & dexteritate.

LXII. Numquam eſt rogandus Superior de eo quod eſt ipſius iuris & poteſtatis, ſub obtentu honoris ei deferendi.

LIII. Superioribus tantùm exaggerare licet, quod nec etiam illis ſemper eſt faciendum.

LIV. In alterius regimine, facilè ad extrema prorumpitur.

LV. Superiores nihil ex ſuo munere ad ſuam perfectionem accipiunt imò, in maximo ſunt periculo maioris imperfectionis; quod ſi authoritatem ſibi in inferiores arrogant, aliter quàm in profun

profunda humilitate & charitate, deſperati ſunt, & ſeipſos ſemper magis ac magis excœcabunt.
LXVI. Maximè patientes eſſe debent Superiores in diſſimulandis motibus, paſſionibus, & eruptionibus naturæ concitatæ ſuorum inferiorum, quod ſi tentationes forent contra ipſos, ſumma cum familiaritate & ſuauitate agere debent cum illis, exponendo ea hæc nihil eſſe; non tamen priuatim in camera niſi prudenter eos admittendo.
LXVII. Superior non debet alumnis ſuis ſpiritum timoris & rigoris inſpirare, ſed puræ & ſimplicis libertatis.
LXVIII. Superiores in mortificationum exercitationibus, numquam excedere debent æquam & veram inferiorum ſuorum rationem: quia in hoc ſimplices fieri nullomodo poſſunt.
LXIX. Non eſt committenda iuniorum directio nouiter reuerſis à ſtudiis, qui ſpiritum ſimplicitatis, ſapientiæ, & ſimplicis luminoſæque directionis amiſerunt; quia cum toti ſint in ſeipſis: ſuffocant in alumnis ſuis ſimplicem & verum Dei ſpiritum; volentes eos regere iuxta ſum ſpiritum, qui non niſi in paſſione, violentia & inordinationibus effunditur.
LXX. Si quando Superior neceſſitate cogitur, propter quoſdam ſenſuales, cautos, & purè naturales, aut omnino corruptos, politiam regimini ſuo admiſcere, oportet huiuſmodi medium fieri diuinum, in ordine & voluntate Dei ipſius; rarò adhiberi, & non niſi cum horrore talis proceſſus.
LXXI. Qui ſunt dulciores & ad actionem tardiores, non ſunt ad regimen idonei, niſi poſt longam experientiam: permittunt enim ſuo omnia fluxu effluere, monitiones inordinationum contemnunt, humiléſque & exiguos obrui patiuntur abſque vlla protectione.
LXXII. Superior etſi iunior ſuſtinere non debet ſe à quoquam quantumuis ſene & ſenſato publicè argui ſub ſpecie defectuum qui domi accidunt: ſed ex tempore huiuſmodi ſuperbis debet oſtendere, ſe eos videre, abſque vllo tamen animi motu, & ſemper in bono ordine.
LXXIII. Quotidie experientiâ diſcimus optimum eſſe, abſtinere ab opera eorum qui per præſumptionem & arrogantiam ſe omnino neceſſarios arbitrantur.

LXXIV. Superiores debent esse docti, luminosi, charitate & virtute ex omni parte præditi; nec refert eos esse aliquantulum infirmos, vt in seipsis aliorum necessitates experiantur.

LXXV. Benigni esse debent, tractabiles, & facilis accessus in particulari, alioqui timorem sibi, non amorem conciliarent, sed in publico authoritatem suam cum mediocri grauitate ostendere debent.

LXXVI. Sanitas Religiosi argento omni & diuitiis anteponenda est: Deus enim est qui tribuit argentum ad subueniendum necessitatibus omnium.

LXXVII. Sapientes & discreti Superiores diligenter inuigilant suorum inferiorum sanitati & dispositioni, tam corporis quàm animi, nihil non impendentes in eorum sustentationem secundum æquum medium, quotidie ægrotos visitantes, & non permittentes citò reduci conualescentes ad communem viuendi rationem, vt natura firmiùs reparetur.

LXXVIII. Sæpè vituperandum est vitium, non nominando personam, vt non vulneretur, sed sanetur.

LXXIX. Superiores qui non possunt opinione suâ alteri cedere, in rebus magni momenti, Religionem destruunt præsumptione & temeritate suâ.

LXXX. Superiores qui nolunt vmquam contradici vllis horum aut illorum rationibus, non agunt vt homines, sed vt animantia; & hoc non est procedere diuinè, & in simplicitate spiritus, qui numquam est sine humili lumine, humili prudentia, & humili suiipsius abnegatione.

LXXXI. Superiores non debent frequenter introducere seculares ad communes actus Religionis sub obtentu deuotionis, hoc enim nimiùm redolet ostentationem, & secretam mendicitatem. Quod si Religiosi simpliciter agerent, & non vt politici hominibus seruientes: procul dubio ab omnibus colerentur.

LXXXII. Superiores numquam debent quemquam alligare aut obligare muneribus quæ vires eius manifestè excedant, & tunc inferior obedire non tenetur, in rebus quæ ad conscientiam suam spectant; cùm sit exponere se manifestè pluribus peccatorum periculis. Demum non propter illud Superiores

periores nobis præficiuntur, ſed vt nos ad perfectionem promoueant.
LXXXIII. Non oportet Superiores adeò eſſe audaces & præſumptuoſos, vt Religioſos ſuos exponant etiam minori periculo & diſcrimini, exempli gratiâ laboribus, qui non niſi operoſis hominibus conueniunt; hoc enim eſſet contra charitatem: nec propter hoc illis à Deo dónati ſunt.
LXXXIV. Quando detrahitur alicui Religioſo notabile quid virium ſuarum, acceſſione & incremento laboris, natura cogitur poſteà per diutinum temporis ſpatium vires ſuas duplo recuperare.

Lumina & veritates circa vexationes & illuſiones Dæmonum.

I. ALiquando Dæmon vt animas decipiat, lumen illis adeò ſuaue & cum tantis deliciis infundit, vt diuinum eſſe videatur: ſed ſenſuum ſuperficiem dumtaxat attingit, & per illud numquam anima totaliter à ſenſibus abſtrahitur, & ſupra ſeipſam eleuatur.
II. Effectus noſtrorum luminum ordinariè digni videntur ſpiritu à quo effuſa ſunt; Et ſi à Dæmone procedunt, aliud nihil ſunt, quàm ſuperbia, alterius contemptus, & alia peccata.
III. Quos videt Dæmon ſuis ſuppoſititiis delectari luminibus, eos magis ac magis omnibus illuſionum generibus decipere delectatur.
IV. Solus Deus illabi poteſt intimo ſpirituiè contra Dæmon viribus ſenſitiuis ſe furtiuè inſerit, & vltra progredi non poteſt, illícque ſpiritum Dei ementitur; & mille molitur inordinationes.
V. Dæmones explorati & retecti recedunt, nec ampliùs eodem tentationis genere laceſſunt; quare multùm intereſt eorum qui tentantur & illuduntur, citiùs & fideliter ſe magiſtris ſpiritualibus aperire.

VI. Numquam vtitur Deus Dæmonum operâ, vt nobis reuelet quæ ſcire nos conuenit: habet enim Majeſtas ſua ſanctos omnes Angelos maximè attentos omnibus quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem noſtram.

VII. Omnis motus turbulentus, aut inquietus à natura eſt, aut à Dæmone.

VIII. Naturæ inſtinctus inſtabiles ſunt & inconſtantes, Dæmonum verò ſuperbi & inſtabiles, ſi eis obſiſtatur; & Dei valdè ſtabiles, permanentes, pacifici, & animam veritatis ſuæ certiorem facientes.

IX. Dæmones tentatores & illuſores meliùs contemptu, quàm omni aliâ ratione ſuperantur.

X. Suppoſititia lumina procedunt ſemper ex delectatione, & inordinato donorum Dei amore.

XI. Sicut inſignes bellatores non illicò ſua omnia ſecreta, niſi in magna neceſſitate produnt: ſic Dæmones callidiores ſuas artes & verſutias non ſtatim iis quos aggrediuntur aperiunt, ſed paulatim pro fortitudine & reſiſtentiâ, quibus oponuntur.

XII. Quâ ratione vnuſquiſque in virtutibus radicatus eſt, & ad reſiſtendum Dæmonum congreſſibus robuſtus: eâdem à fortioribus, eminentioribus, & ſublimioribus in natura Dæmonibus impugnatur. Et quot habet homo paſsiones, & inclinationes diuerſas, tot & habet Dæmones ad exacuendum eos, iuxta proprium cuiuſque munus.

XIII. Quicumque ſe in exercitationibus ſuis ſiue corporeis ſiue ſpiritualibus manifeſtè remittit, hoc ipſo in ſe Dæmones admittit, & eorum partibus fauet; ſicut è contra bonos Angelos ſummâ afficit triſtitiâ.

XIV. Nihil aliud poſſunt Dæmones quàm circuire à longè eos qui actionem & paſſionem in Deum tranſgreſſi ſunt, ſperántque tantùm in vltimo vitæ diſcrimine de omnibus naturæ ſuæ viribus cum eis decernere. Sed imperfectos inſtigant vt malè de illis iudicent, & ſine cauſa ex ipſorum actionibus offendantur, nec vllum gyrandi & verſandi finem faciunt: donec cœlum & terram aduerſus eos concitârint, vt videant num huiuſmodi perfecti aliquâ inæqualitate & animi impotentiâ ad quidpiam inordinatum moueantur.

XV.

XV. Quando Dæmon aliquis strenuâ fidelis animæ resistentiâ superatur, non hoc defert suis consortibus, nam non tantùm irrideretur, sed etiam acriter ab omnibus flagellaretur.

XVI. Raiò eadem ratione iterum decipitur Dæmon, propter suam superbiam quâ, vt fertur, citiùs in rabiem ageretur, quàm secundò vti arte quæ ei male successit.

XVII. Dæmones qui forti & heroïcâ perfectorum virtute funditùs sunt prostrati, non audentes ad inferos se recipere, propter irrisiones & ictus quos illic, sustinerent, & ne cogantur suam fateri imbecillitatem, simúlque captiui vt pusillanimes detineantur, malunt subiacere tanquam mancipia eorum imperio, à quibus sunt superati; qui iam in illos ita dominantur, vt possint illis quodcumque volunt bonum præcipere, etiam aduersus alios Dæmones, vt in quibusdam antiquis anachoretis apparuit.

XVIII. Si visitationes quas recipit anima, ex Deo sunt: statim initio timore corripitur, & in medio & fine sapientiâ perfunditur, cum fame & appetitu virtutum. E contra quando sunt ex Dæmone statim initio, hilarescit anima: & demum in fine confunditur, tenebrísque inuoluitur. In his & in illis abiicere se oportet, & profundè humiliare, nam Deus libenter adit humiles, quia sibi in eis maximè complacet; Dæmon autem eos sustinere non potest; ideò statim euanescit.

XIX. Qui ardentiùs exercitationi amoris incumbunt; hoc ipso contra se Dæmones lacessunt.

XX. Proprium est Dæmonum tormenta sua dissimulare vsque ad extremum.

De Possessionibus Diabolicis.

I. INfamia non est possideri aut agitari à Dæmonibus, hoc enim in æterna Dei præscientia ad maiorem eius gloriam, & creaturarum suarum bonum mirabiliter ordinatum est. Obstupescit mundus ad hæc spectacula, sed nos quibus explorata sunt aliquo modo Dei consilia, non possumus quin infinitè ei benedicamus, videntes creaturam fortiorem ad perferendum,

& ardentiorem ad expetendum tormenta Dæmonum, quàm ipsi Dæmones, ad ea inferendum.

II. Deus diabolicas possessiones permittit, & etiam sensibilem suum concursum à possessis substrahit, vt eos magis expurget, & vsque ad purum colat, sitque cor eorum ita mundum & ab omni priuato amore liberum, vt illud possit tanquam suum possidere paradisum.

III. Deus nihil vtilium & necessariorum obliuiscitur, vt creaturarum suarum corda, quæ sunt vasa sacra & pretiosa perfectè emundet. O qualis electio, & ad quanta præordinatio, sic inter mille secerni, ad perferendum alacriter & amorosè adeò durum sed dulce exercitium, & præ se ferre veram Iesu Christi in suis tormentis angustiis & doloribus, effigiem!

Vide regulam 79. mystici armarij: insignis doctrina de differentia possessorum & obsessorum.

IV. Deus differt sæpè Ecclesiæ suæ concedere ex Dæmonibus victoriam, vt vnumquemque filiorum eius in humilitate custodiat, nec glorientur in ipsius diuina præsentia.

V. Non est ex ore possessorum fidei nostræ quærenda confirmatio.

Regula pro Exorcista.

I. EXorcista quàm poterit arctissimè secundum spiritum viuere debet, arcta enim via, sanctorum via est, quare.

1. Mortificationi studeat animosè, spiritus quidem in omnibus, corporis verò cum discretione, tam enim per veram sanctitatem, & puritatem corporis & spiritus, quàm per Ecclesiæ virtutem, & authoritatem, Dæmones cruciantur.

2. Non sibi displiceat, nec afficiatur tædio in labore huius muneris; optimum enim illi est, pro animarum salute pati, in exercitio in quo parum priuati amoris inuenitur.

3. Curet personam possessam mortificationis studium amplecti: hoc enim ei imprimis est necessarium; nec tam ad corporis quàm spiritus mortificationem attendat.

4. Inuigilet animæ & corpori possessi, obseruans omnes eius motus

motus,& ſæpè eum breuiter exhortans ad amorem Dei,ad conuerſandum cum eo affectuoſis colloquiis, & colendam ſanctam eius præſentiam, ad ſanctos inuocandum, amplectendam pœnitentiam, paſſionúmque ſuarum mortificationem, & reſignandum ſe amorosè ad patiendum. Demum exponens illi poſſeſsionem nullatenus animæ erga Deum amorem minuere, è contra magis augere.

5. Grauis ſit & ſerius in exorciſmo; alioqui Dæmonem in arce ſua confirmaret,vnde ipſe Exorciſtas variis aſtutiis & ſtrategematibus diuertere conatur. Hic enim ſuperbiæ ſpiritus tardiùs quàm poteſt rabiem ſuam infernalem oſtendit.

6. Deuitet omnem curioſitatem, & cum Dæmonibus familiaritatem, præcipiens cum imperio, & nullo modo complacens eis, niſi velit operam ludere.

7. Non ſuſtineat ſe laudari, nec applauſum & adulationem per callidam & ſubtilem Dæmonum malitiam,prorſus patiatur.

8. Non permittat Dæmoni ludere & cauillari, nec etiam loqui niſi ad ſubiectum de quo agitur.

9. Exagitet eum ſemper, nec vllam ei condonet nequitiam, nec vllam à fortiori blaſphemiam,de qua publicam non exigat ſatisfactionem.

10. Præter vocales & publicas preces, ſæpè debet Dæmonem mente & ſpiritu inſectari;omnia maledicta in eum cõiiciendo, & ad Deum pariter ſpiritu magis quàm voce ſe conuertendo.

11. Non ſinat ſe à Dæmone percuti, nec in ſua fama lædi,quod ſi eum inuadit,debet illum proſternere, & pedem non premendo nec lædendo poſſeſſum ad fauces apponere, pronunciando hæc verba Super aſpidem & baſiliſc. amb. &c.

12. Ad exagitandum ac magis humiliandum Dæmonem, diſciplinis benedictis, aut flagello canum ad hoc benedicto, verberet eum, vel etiam fuſte percutiat leuiter ſuper veſtimentis poſſeſſorũ. 13 Deferat ſemper ſecum veram crucẽ,& alias reliquias veras,vt Dæmonem à ſenſuũ ſuorũ inuaſione prohibeat.

Præliandum eſt aduerſus Dæmones iugi vitæ mortificatione, ſic impugnantur,ſine conſilio,aliter enim eos aggredi periculoſum eſt,pauciſque conuenit, vtique habentibus in Deum fortitudinem & fiduciam.

FINIS.

VENERABILIS FRATRIS

IOANNIS A S. SAMSONE,

LAICI CARMELITÆ

OPVSCVLA.

CONFITEOR TIBI PATER, Domine Cœli & Terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Matth. 25.





PRÆFATIO.



GAVDET Apoſtolus, & ſingulari ducit beneficio, quòd primitias Spiritus acceperit: ſuóſque chariſſimos hortatur Theſſalonicæ filios, ad rependendas Deo grates, quod eos elegerit *primitias in ſalutem in ſanctificatione Spiritus.* Scilicet adeo pretioſum eſt hoc diuinæ pietatis munus, quod D. Ambroſius prima & potiora Spiritus ſancti dona; & D. Chryſoſtomus primos fructus, & pinguedinem Spiritus appellat: vt meritò gaudere, & ſibi iure gratulari poſſint, qui illud ex ſpeciali ipſius munificentia & liberalitate ſunt conſecuti. Enimuerò moris eſt apud Deum, cuius ordinatiſſima ſunt opera omnia, vberiorem hanc gratiam Religioſorum cœtuum Inſtitutoribus, nec non & reparatoribus etiam aliquando cum affluentia diuinæ conſolationis elargiri: vt & ipſi illam in filios ſuos, & hæredes, veluti fontes in riuulos effundant. Et qui illorum veſtigia ſequentur, huiuſmodi chariſmatum ſuauitate illecti, firmiùs ipſis adhærentes: ab eorum quoque virtutibus, & inſtituti ratione non deſciſcant. Talis fuit profuſa planè cæleſtis numinis erga V. Fr. Ioãnem à S. Samſone prouidentia; qui etſi laïcus dumtaxat

& cæcus: primarium tamen reformationis noſtræ fundamentum, & ſtrictoris obſeruantiæ, Turonenſis Prouinciæ princeps columna fuit.

Subiectâ igitur vitæ & virtutum eius tabellâ, adiectiſque ſpiritualibus theorematibus, paſſim ex eius operibus excerptis: prodimus etiam nonnulla eius opuſcula, dum ſe nobis plura in lucem edendi, dabit occaſio; vt opera illa (quæ verè opera lucis ſunt, & non tenebrarum) ex ſilentio & ſolitudine in qua concepta ſunt, educta: tandem aliquando palàm fiant; & omnibus myſtis, iugíque cum Deo negotiationi vacantibus, maximè Carmelitis (quorum pars eſt optima) tanquam faces, & allectamenta æternùm præferantur; quibus & ſuauiter alliciantur, & acriter accendantur, ad æmulandum pretioſa huiuſmodi nunquam non æmulanda ſpiritualis vitæ chariſmata.

Primum Opuſculum eſt ſpiritualis inſtitutio, quam ſcripſit de mandato, & ad poſtulationem D. Antonij DE REVOL tunc Epiſcopi, & Comitis Dolenſis in Britannia Minori; Illuſtriſſimi reapſe, & digniſſimi, cùm pietate, tum eruditione, Eccleſiæ Præſulis: qui exploratâ ſingulari gratiâ, & mirabili cæleſtium donorum exuberantiâ, quibus ditauerat Deus humilem hunc Religioſum: (cum eſſet Eccleſiæ Dei, & Pater, & Princeps) ſpirituali eius directioni ſubdere ſe non dubitauit.

Secundum continet theoriam & praxim affectuoſæ aſpirationis, humani cordis in Deum.

Tertium eſt quaſi epitome & compendium ſtatus, eminentioris contemplationis, & perfectioris magíſque conſummati amoris, ad quem in hac vita datur aſpirare. Hic tractatus abundat exceſſibus, & extaticis eruptionibus ſpiritus

ritus amore saucij, & diuinis perfusi luminibus, in quo actus à Deo hic homo planè diuinus, statum suum, & quæ Deum inter,& se expertus est,exprimit ingenuè; quantùm hæc adeo sublimia,atque ineffabilia, humanis sermonibus, enuntiari queunt arcana mysteria.

At ignari viarum & operationũ Spiritus sancti in lectissimis suis sponsis sanctioribus animabus;inquirent fortassè quî fieri potuit, vt Religiosus adeo humilis, & appetens nesciri ab hominibus, qualem suprà adumbrauimus, de seipso, viísque suis: tam eminenter scripserit; institutiónésque & documenta Superioribus suis, tam intra quam extra ordinem, tradere præsumpserit? Ad hæc breuiter respondeo, hæc eum motu diuini Spiritus, Superiorum suorum præcepto,sinceræ charitatis studio,erga eos,qui id ab eo potiùs extorquebant, quàm expostulabant, & ob suam propriam necessitatem, dumtaxat præstitisse. Quod aliquibus inter alios plures, ex eius scriptis eductis, euidentibus locis, ad eximendum penitus hunc scrupulum ex animis in ista curiosiùs inquirentium, operæpretium est comprobare. Sic igitur ille in contemplatione 29. eandem sibi, imò & fortiorem opponens obiectionem.

Sed (amor meus & vita mea) ad quid egredi, & deductionem aggredi, cum nihil concipiamus tanquam possidentes omnia in plena fruitiõne nostra? cur prodimus ad manifestationes simplicissimæ, & infinitæ tuæ Maiestatis, quæ nos iugiter rapit actu suo, & aspectu, in imum eius ipsius; cum sit ineffabilis nostra fruitio in simplicissima perceptione; eo modo quo me aliàs & concipere voluisti, & scribere?

*Egredimur (*inquit*) ô care mi amor, & credimus egredi, sed immanentes, & id quidem non in alium finem, quàm vt aliquando statum nostrum & constitutionem nobismet ipsis exhibeamus,*

vt de ea loqui possimus inter consimiles, & fœcundè fluere ad simplices tui, tuorúmque effectuum manifestationes, inter eos qui sunt inferioris gradus & viæ. Eo quod nobis videtur quod omnia de te ignoramus, nescimúsque quid verè possumus, vt amorem nostrum fœcundè & diuinè aliis effundamus. Adde quod sat sæpe de rebus omnibus (vt ita dicam) deductiones & expressiones postulantur à nobis.

Idem repetit in alia contemplatione. *Quandoquidem (ô amor meus) nos ab omnibus omnino fecisti liberos, sumúsque funditus perditi in totali tua superessentia, præ amabilibus nostris immersionibus: æquum est nos in ea remanere intentos te videndo & contemplando semper æqualiter, in omni plenitudine fruitionis obiectiuæ, quantùm, & quo possumus in hac vita modo. Etsi autem sublimes profundæque speculationes multò sint his inferiores: non est tamen abs re, & ratione eas videre, & tempore conuenienti scriptis digestas consignare. Non vt videamus, aut sentiamus, aut inquiramus: sed vt nos videamus, & amplius cognoscamus, & nosmetipsos non ignoremus. Quia enim non sentimus quæ tibi debemus, eo quod non videmus, nec sentimus, nisi tantùm simpliciter: possemus nobis in latitudine, & libertate sensus plus æquo permittere; nisi ad hæc & similia, magis intimis amoris tui effectibus consona, identidem conuerteremur.*

Quod scripsi magis perditum supra alios Mystas (ait in suo manuali) *scripsi duntaxat ob meam propriam necessitatem, & aliquem fortè, quem eiusdem continget esse viæ.*

Accepto à Religione mandato (ait in proœmio suorum commentariorum ad nostram regulam) *scribendi quod iudicarem conueniens in bonum Obseruantiæ regimen: arbitratus sum nihil me posse aggredi vtiliùs: quàm si Regulæ nostræ spiritum aperirem, & palam facerem.*

Et in præfatione libri quem de suo regimine conscripsit,

pſit, hæc dicit ad propoſiti ſui difficultatem. *Attamen nullo modo mihi ipſi innitens, nec in me ipſo confidens, in eo quod poſſum, quod nihil eſt: meipſum quoad hoc, ſicut & alia omnia, bonitati, & voluntati Dei committam; qui cum hoc determinatè voluerit, ſtatueritque me huiuſmodi implere mandatuum, & hoc in gloriam ſuam: propterea ſanctiſſimam ſuam voluntatem in me perficiet.*

Conſtat igitur præcellentem hunc virum ſcripſiſſe dumtaxat, cùm ad obediendum Deo, & Superioribus ſuis: tum in ſuum, fratrúmque ſuorum vſum, & neceſſitatem. Vnde contra ſtudium viuendi vitam ignotam nullatenus offendit; neque enim in Sanctis ſtudium eſſe debet vllum, Dei voluntati, conſiliíſque oppoſitum. Hæc autem erant ſuper hunc oculatum cæcum Dei conſilia vti eius operâ ad reformandum Carmelitarum Ordinem; primùm in Obſeruantia Rhedonenſi, deinde in omni prouincia Turonenſi, exinde in tota Gallia, denique forſitan in toto Ordine, vt ex eius bonitate & miſericordia ſperare eſt. Certum eſt enim, & experientiâ conſtat, cæcum hunc verè videntem, à Deo fuiſſe electum, nobíſque ab eo datum, vt eſſet vitæ ſpiritualis quaſi Archimagiſter, & reſtitutor in operoſa ſuborientis noſtræ reformationis efformatione: hoc autem in negotio mirum quantùm diuina prouidentia ſapienter eſt operata; vt enim tanti viri virtutes, & feruentes amoris æſtus, ipſi medullas animæ clanculum depaſcentes, non omnino nobis exciderent, dictantem illum ſua ſcripta, ſæpiſſimè Spiritus ſanctus tam potenter agebat; vt à ſeipſo prorſus abductus, ex incredibili amoris, luminíſque quâ exundabat, abundantia; mira tunc de ſe & ſtupenda proderet, quæ ad ſe reuerſus libentiſſimè ſuppreſſiſſet; niſi Deus eum prohibuiſſet. Sacramentum eſt hoc, & inſigne ſapientis prouidentiæ Dei portentum, quod D. Paulus, D. Augu-

ſtinus

ſtinus, S. Brigitta, S. Thereſia, multique alij ſic palam faciant, quæ intus apud ſe ſupra morem diuina patiuntur, illibatâ manente altiſſimâ eorum humilitate. Sacramẽtum, inquam, quod ei vni conuenit, qui matrem ſeruauit virginem; eámque humilem hanc ſuæ dignitatis gloriam foris enuntiantem: & alia multa in myſteriis noſtræ ſalutis, (cum ea, quam ſanctiores animæ quotidie ſapiunt, ſuauitate & dulcedine) coadunat, & coniungit extrema.

Et verò quale damnum pateremur, quóve dolore æternùm premeremur, ſi diuinis huiuſmodi luminibus, pretioſíſque gaſis & opibus deſtitueremur. Siquidem præter inſtitutionem eorum qui ad veram ſpiritus vitam, (vtique Carmelitici inſtituti partem optimam) aſpirant: non eſt quiſquam lumine cæleſti vtcumque perfuſus, & gratiæ vias expertus; qui non ex iis omnibus anſam arripiat, altiſſimam demirandi animæ huius in Deum immerſionem, qui eam quò volebat, agebat anagogicè, abundantis ſui Spiritus impetu, non tantùm abſque reuiſu, ſed etiam reflectione. Quod meo quidem iudicio efficax eſt, nec vltima, licet vltimò attexta obiectæ difficultatis ſolutio. Adeo enim erat ſimplex, & ſibi ipſi mortuus, adeo immerſus & abſorptus in Deum, ſuper omnia eius dona, emanationes, & lumina, perfectus hic Religioſus: vt hæc omnia eodem planè puncto refluerent, & refunderẽtur in Deum, quo recipiebantur ab hac puriſſima anima. Sícque ſolâ ipſi remanente nudâ & ſimplici ſuâ contemplatione: poterat interdum his egere luminibus, & diuinis affectibus, ad propriam ſuam directionem. Vnde & Deus propter quem ſe ſpiritualibus his diuitiis exuebat, eum identidem impellebat, ad dictanda huiuſmodi lumina: ne ſtudio & ſollicitudine illa conſeruandi, & in neceſſitate ad memoriam reuocandi, intus

imprimere

imprimeretur, atque impediretur. Quam vnam ob caussam fere omnes scripsêre Mystæ.

Gratias igitur immortales diuinæ Majestati, primísque nostris Superioribus, quòd mouerunt, & impulerunt humilem hunc laïcum fratrem, ad scribendos sensus suos & affectus, vtique nobis & posteritati commendandos. Lectissimũ est istud regalis munificentiæ Numinis æterni munus, quòd mysticas diuinæ scientiæ, & sapientiæ aquas, propriis ex fontibus haurire possimus; Quod igne quem Spiritus sanctus in nobis accendit, calefieri & collustrari possimus; Quòd puriores, affulgentis nobis luminis, radij, teneriorésque spirituales deliciæ, ex diuinis cæci huius tenebris & obscuritate prodierint. Quod quidem munus, vt est arctissimum omnibus eius institutum, viuendíque rationem profitentibus vinculum, efficáxque ad gradiendum per eius semitas incitamentum: ita maximum est spei singularis argumentum, his auspiciis directam à Deo reformationem nostram & ipsius præsidio atque munimine fore conseruandam. Si quidem ipsi pro suâ bonitate, lumen contulit & spiritum, in subsidium, & ornamentum. Et verò non latuit cæcum nostrum hoc Dei consilium; quod ex eius commentariis in Regulam nostram in promptu videre est; vnde & huius ergò hoc vnum dumtaxat hîc afferam locum. Die quadam cum scriberet in illum finem, & accuratiùs se ad multa diffunderet, quæ non poterant non esse ei grauissima, & à Mysta tam eminentis viæ, qualis erat, maxime aliena: admonitus ab aliquo Superiore, qui tum secretarium agebat, quòd ad minutiora & viliora descenderet, liberiùs respondit, in iis, quæ ad regimen spectant, omnino nihil esse omittendum; iísque quantumcúmque infimis, prouinciam aliquando opus

B habituram,

habiturã, quod prferebat ita firmo animo, vt de consilio Dei ipsi planè & certò constare videretur. Sed eius humilitas, multa huiusmodi Spiritus S. charismatum nos celauit adiuncta; vt & alia infinita maximè miranda, que secretò operatus est in huius sui famuli, sanctissima anima.

Quantùm ad eius stylum, scribendíque rationem, nemo nõn videt, Primò hominem cæcum ab incunabulis, fratrem laïcum, nulli alteri quàm Iesu-Christi scientiæ addictum: non adhibuisse omnem in scribendo accurationem, & verborum proprietatem, quam aliqui desiderare poterunt, quanquam is est spiritus S. loquendi modus, qui omnem humanæ eloquentiæ artem pro more respuit. Secundò hanc loquendi formam, quæ huic homini Dei omnino singularis est, euidenter probare scientiam eius mysticam, & eminentem contemplationem, ex libris & scholis hominum non esse depromptas; sed è cœlo manasse, & à Deo verè infusas. Tertiò denique lectorem monitum velim, ne hyperbolem arbitretur, aut amplificationem multiplices terminos, quibus noster hic perspicax cœcus, cum aliis pluribus mystis vtitur; quales sunt hi: [Amor consummatus, transfusio in Deum vsque ad vltimum identitatis punctum;] addit vt plurimum, possibile creaturæ, & semper ita intelligit; aliique multi similes, quibus inexplicabiles, & ineffabiles suas experientias conatur exprimere. Eruditi enim quique nullâ mentis emotæ anteoccupati affectione easdem inuenient in D. Paulo, Dyonisio, & aliis Ecclesiæ Patribus loquendi formulas, vt mihi esset probare facillimum, si tricis studendum esset, & non ædificationi animarum. Adde quod, omnibus notum est, quamlibet scientiam & disciplinam suos habere singulares terminos, & proprias locutiones. Qui Logicam ad Rhetoricæ numeros

numeros, & eloquentiæ lepores vellet adigere; præberet ſe deridendum. Mathematica, Medicina, Architectonice, Philoſophia, & Theologia Scholaſtica, ab iis dumtaxat intelliguntur: qui eas profitentur, quod à fortiori de Myſtica, quæ omnium ſecretiſſima eſt, & maximè arcana, veriſſimum comprobatur.

Porrò ſæpiſſimè dixit author noſter (præterquam quod ſua omnia ſcripta Eccleſiæ iudicio & cenſuræ humillimè ſubiiciebat) ſingulariter ſe exoptare: ea in manus eruditorum, pietatem colentium, potiùs incidere, quàm illiteratorum, & eruditione carentium; qui ſibi fortè in animum inducerent huiuſmodi inuſitatas locutiones (quæ ſunt vt plurimùm impetus & exceſſus Spiritus) doctrinæ communi & orthodoxæ eſſe contrarias; aut certè aliter quàm oporteat, eas intelligerent. Vt occurramus huic incommodo, operæpretium eſt eum inducere ſemetipſum ſuper hoc pleniùs aperientem, ſimul & omnem ſcrupuloſiùs hic hærentium difficultatem, radicitus euellentem. *Nonnulla* (inquit) *verba vſurpaui conuenientia ad eminentiam huius ſermonis, qui vtique eſt animarum, quæ præ iugi ſuo in Deum fluxu æternæ factæ ſunt; qualia ſunt (gloria conſummata, plena beatorum felicitas, &c.) Quæ numquam intendi ad hoc ſubiectum abſolutè profari, ſed iis vſus ſum, vt ſimilitudinibus idoneis ad manifeſtandum incredibiles, ignis omnia in creatura conſumentis, effectus; cum admirandis manifeſtationibus, & notionibus, quarum dulcedo atque ſuauitas, omni hoc tempore, completus eſt huiuſmodi animabus, paradiſus. Dicendum eſt, & intelligendum guſtus conſummatus, & conſummatio animæ in omnibus myſticis ſtatibus, qui præcedunt quietem, ſicut quies præcedit gloriam quam expectamus in Fide, Spe, & Charitate. Idipſum eſt intelligendum his terminis, [fuſus, transfuſus, & omnino perditus acti-*

bus suis in omni Deitate.] *Ita sentitur, ita percipitur, ita gustatur. Sic sumantur, sic capiantur (hîc & vbicumque quid simile reperietur) verba mea, non prout sonant, sed secundum me, & sensum meum; Et ita caueatur ab offensione in superbiam, & cæcitatem, in quas profectò impingeret qui spiritus excessus, & altissimas eius notiones, mensura rerum naturalium & communium coæquare, & admetiri vellet.*

Pôssem & hîc quartam adiungere admonitionem, circa digressiones, & artificialis methodi defectum, qui in huius contemplatiui operibus obseruabitur: sed nulli non est peruium, vtcumque versato in studiis sacrarum Literarum, & mystarum scriptis: stylum hunc esse, & lóquendi modum, huiusmodi Sanctorum scientiæ.

Quod autem versionem nostram attinet, ingratum fortè videbitur cuipiam, & insulsum, res adeo abstrusas, & ex seipsis intellectu difficiles, aliquando etiam vix intelligibiles: tum ob suprà memoratum methodices defectum, frequentissimásque digressiones: tum ob inexplicitum nec plerúmque dilucidum illarum conceptum, tum denique propter ipsammet sæpe barbaram, nec sibi cohærentem vernaculam locutionem: ingratum inquam, & insulsum, res huiusmodi Latinitate donare; quod non potest non esse summè lubricum; aut certè arduum; & obscurum, spissiori caligine inuoluere. Verum respondeo primò non esse ita abstrusa, & intellectu difficilia Cæci nostri opera, vt à pluribus non capiantur, si non omnia, & ex omni parte, saltem benè multa; vt efficacissimè probat quæ in dies augescit apud pios omnes, & eruditos, eorum fama & opinio; proindéque in vsum aliquem & commodum nationum exterarum Latinè potuisse conuerti. Secundò esse quidem dificillima, & verè, iis qui nihil eorum penitus experti

perti ſunt imperuia : ſed non iis qui vel modicùm internæ recollectioni per diem vacantes, aliquam habent cum Deo conſuetudinem. Vndè & infero hanc noſtram verſionem, iis dumtaxat intellectu fore difficilem, quibus eſt & ipſa natiua Authoris lingua, non vtique propter obſcuritatem rei, ſed inhabilitatem ſubiecti ; & à quibus intelligitur ipſius idioma vernaculum : ab iis etiam omnibus (vtique Latinam linguam ſcientibus) hanc noſtram traductionem fore intelligendam. Tertiò denique ſi ſeruitum eſt Eccleſiæ ædificationi, & alendæ multorum pietati, cum vulgata ſunt huiuſmodi opuſcula; vt beneuola eorum ſuſceptio, & ſumma quæ de illis habetur, atteſtatur opinio: An non amplius ſeruitum eſt, cum tantum bonum naturâ ſuâ diffuſiuum, hactenus intra ſepta regni concluſum, ad alia tranſmiſſum eſt? & in omnes exteras nationes huius operâ verſionis effuſum? Certè debuimus hoc incredibili feruori, & ardenti noſtræ reformationis ſtudio tot prouinciarum Ordinis noſtri; quæ, vt illam in dies ex animo complectuntur & alumnos noſtræ Prouinciæ, qui eis opem ferant, vndique ſupplices expoſtulant : ita & hæc opuſcula, quæ ſunt veluti fontes, aut quaſi cunabula totius ſpiritualis, noſtræ ſtrictioris Obſeruantiæ, perfectionis, ſollicitiùs amplexabuntur, & pro tenerioribus habebunt deliciis, vti iampridem nobis ſignificarunt, & frequentiſſimè conteſtantur.

Porrò de noſtra in huiuſmodi traductione ſcribendi forma non eſt hîc repetendum quod ſuprà diximus in calce primæ præfationis, Nos ſcilicet non exquiſiuiſſe flores eloquentiæ, & Latinè dicendi apices; ſed in aliquibus ipſam etiam ſuſtinuiſſe barbariem, vt ſcilicet ex verbo ad verbum, & ex conceptu ad conceptum authori noſtro religio-

 certè

ſiùs inhærentes, mentem eius perfectiùs aſſequeremur, aut certè liberam vnicuique, prout veriorem, ſinceriorémque iudicauerit, relinqueremus.

Supereſt igitur vt huic præfationi finem imponamus quaſi coronidem: catalogum, ceu ſeriem librorum, & tractatuum, quos hic noſter acutus & perſpicax Cæcus nobis reliquit. Ex quorum ingenti numero, prudens Lector attendet, quantis, doctus hic illiteratus diuinæ Sapientiæ & intelligentiæ donis abundauit. Eos omnes ad tres claſſes ſummatim reduco. Prima tradet in genere vitæ communis inſtitutiones; etſi Myſta noſter multa ſemper in illis interſeuerit ſublimia, & ad altioris viæ gradus pertinentia. Secunda continebit ea, quæ ſpecialiter ſpectant ad noſtræ reformationis regimen, genuinúmque religionis Carmelitanæ Spiritum. Tertia denique priuatas ſupereminentis viæ diuini huius hominis complectetur exercitationes.

CATALOGVS MYSTICORVM OPERVM, ET Tractatuum V. Fratris Ioannis à S. Samſone.

PRIMA CLASSIS.

1. *Speculum & flamma diuini amoris, ad poſtulationem Illuſtriſſimi D. Antonij* DE REVOL *Epiſcopi & Comitis Dolenſis conſcriptum.*
2. *Diurna exercitatio pro V. Sacerdote ſeculari, Rectore paræſia de Roz, in Diæceſi Dolenſi.*
3. *Tractatus myſticus de alta Sacerdotum dignitate.*
4. *Tractatus de Mundo, & ipſius moribus, pluribus Sanctorum Patrum ſententiis in modum paraphraſis illuſtratus.*
5. *De infinita Dei excellentia, & quanti eam homines facere debent.*
6 *Tractatus de tribulatione, cuius pars ſecunda variis Patrum ſententijs illuſtratur.*
7. *Tractatus de infinito tribulationis bono, ſcriptus ex occaſione poſſeſſionum diabolicarum, cum inſigni epiſtola de re eadem ad S. Vrſulæ Moniales Iuliodunenſes miſſa.*
8. *De Senectute, eiúſque variis in hominibus effectibus, & quantùm eam*

eam formidare debent.

9. *De spirituali fortitudine, cuius secunda pars multis S. Patrum sententiis exornatur.*

10. *Causæ, spiritualis hominum ruinæ. Et quomodo dignoscere quis potest suum ad perfectionem profectum.*

11. *Singularis admonitio ad cognoscendos diuersos amores, & discernendum à naturali diuinum.*

12. *Triginta meditationes pro decem dierum exercitationibus.*

13 *Multæ litteræ, & spirituales Epistolæ.*

14. *Remedia scrupulorum.*

15. *Directoria eorum qui ægrotantibus assistunt.*

16. *Duo exercitia præparationis ad mortem.*

SECVNDA CLASSIS.

17. *Quid sit Religio, & quid sit esse Religiosum.*

18. *Compendiosa directio deducens ad Deum sapientem animam.*

19. *Spiritualis exercitatio, ostendens nostræ religionis spiritum, in gratiam filiorum Montis Carmeli.*

20. *Tractatus mysticus de vera humilitate in* 10. *articulos diuisus.*

21. *De excellentia Religiosæ paupertatis.*

22. *De Studiis scientiarum.*

23. *Directorium perfecti Confessarij.*

24. *Tractatus de frequenti Communione.*

25. *Commentaria in regulam Carmelitarum, variique alij tractatus ad Superiorum regimen pertinentes.*

26. *Directorium Superiorum Religiosorum.*

27. *Directio Spiritualis Nouitiorum & Professorum Carmelitarum Prouinciæ Turoniæ.*

28. *Regulæ conuersationis religiosæ.*

29. *Secretarium mysticum directorum magis perspicacium & oculatorũ.*

30. *Speculum Religiosarum conscientiarum.*

31. *Praxis spiritualis, dirigens animas vsque ad perfectam cum Deo vnionem.*

32. *Differentiæ viæ mysticæ, & communis.*

33. *Exercitium in vsum animarum nouiter transeuntium à vita actiua ad contemplatiuam.*

34. *Triginta nouem contemplationes super mysteriis fidei, & passione Domini nostri Iesu Christi.*

35. *Praxis essentialis amoris in seipso, cuius theoria diuina est.*

36. *Mystica*

36. *Mysticæ reflectiones ad varias Patrum sententias.*
37. *Speculum animæ ad viuendum cum Deo vnitam.*
38. *Exercitatio dirigens animam in Deum transfusam, vsque ad perfectam amoris consummationem.*
39. *Epitome statuum vitæ supereminentis.*

TERTIA CLASSIS.

40. *De rebus necessarijs ad vitam supereminentem attingendam.*
41. *De duro consummantis amoris patibulo.*
42. *Reuersio, & firma fruitio animæ in Deo.*
43. *De aspectu diuino.*
44. *De nequam otiosis, & de supereminenti quiete.*
45. *De vera libertate eorum qui sunt magis perditi in spiritu.*
46. *De quæstitionibus, & subtilioribus naturæ proprietatibus.*
47. *Eminentior diuinæ sapientiæ status.*
48. *De vera vita in vnitate, absque differentia.*
49. *Tractatus de consummatione subiecti in suo obiecto.*
50. *Supplementum eiusdem tractatus.*
51. *Regulæ exteriores, pro personis mysticis.*
52. *Primum Soliloquium continens exercitationem illuminantem & affectiuam animæ iam à Deo motæ, quæ aspirat ad perfectum & supremum amorem eius.*
53. *Secundum Soliloquium animæ quæ præ amore, amor effecta est, aspirantis amabiliter & vnicè ad Deum, in statu cruciatuum & agoniæ.*
54. *Tertium, Conuersatio familiaris sponsæ cum sponso suo carissimo Iesu Christo.*
55. *Præludium ad quartum Soliloquium, aut tractatus de amore puro & eius excellentia.*
56. *Quartum Soliloquium de anima saucia & languente amore, in amore ipso.*
57. *Quintum Soliloquium Epithalamium diuini & incarnati sponsi, & sponsæ, quæ effecta est diuina.*
58. *Duo volumina integra mysticæ poëseos.*

TRACTA



TRACTATVS I.

SPECVLVM ET FLAMMÆ DIVINI AMORIS:

Quibus diſponitur anima ad Deum in ſeipſo amandum:

A VENERABILI FRATRE

IOANNE A S. SAMSONE,


Religioſo Carmelita, Prouinciæ Turoniæ, digeſta;

Ad poſtulationem Illuſtriſſimi Domini

ANTONII DE REVOL,

OLIM EPISCOPI ET COMITIS DOLENSIS in Britannia Minori.

Proœmium Auctoris.



VANDOQVIDEM tempus eſt videri, & tempus non videri; prodo meipſum, & manifeſto talem, qualis ego ſum, & quàm ſimpliciſſimè fieri poteſt in hac exercitatione; quam vt opinor, inſcriptionis ſuæ nominibus verè dignam iudicabis. Quòd ſi rudis eſt, & impolita, crediderim te rationem huius imperitiæ non habi-

turum ; cùm is qui ad verborum dumtaxat ornatum attendit, quàm longiſſimè diſtet à diſpoſitionibus requiſitis ad introitum in Spiritum Dei ; adhærens enim folio, quod operit fructum viſui pulcherrimum, & guſtui ſuauiſſimum, vacuus remanebit, aliquid ſe habere putans ; cum non excellentem rerum in ſeipſis ſubſtantiam, ſed tegentem eas corticem, pretio ducat. Hunc igitur deuitans errorem, expendes ſi placet, ſpiritum, ſubſtantiam, flammas, & doctrinam, quæ ſub verbis meis abſcondita ſunt ; credéſque vt enixè te obſecro, hæc omnia me quàm ſimpliciſſimè potui deduxiſſe & digeſſiſſe ; vt in eis vitam, & Spiritum amoris, in ipſo amore nanciſcereris ; & hac ratione his excitatus inflāmareris ; mediiſque amabilibus eiuſdemmet amoris fluxibus, in te poſt has omnes exercitationes abundè ſuccedentibus iugiter alereris. Tuum eſt autem apud te conſtituere affectuoſo huic operi animosè inſtare, quatenus ſemper in meliùs contendens, ſecundum Dei in ſeipſo dignitatem, & huius exercitij conſilium, præſtante Deo (cuius honor & gloria infinitè magis ſemper agitur, quàm tua priuata vtilitas) plenum & integrum ſuum ſortiatur effectum.

Videor mihi in hac inſtitutione ſufficienter explanaſſe, tuas omnes maioris momenti exercitationes, vt benè Deum inter, & te, tam intus, quàm foris opereris, & conuerſeris. Quòd enim ad ſingulares euentus attinet, de iis conſtitui certò nihil poteſt ; ſufficit, tibi communes exhibuiſſe cautiones, vt proficias in omnibus caſibus, nihilque tui amittas. Quod ſi quando nimium exteriora te attraxiſſe perſenſeris, poteris recurrere ad huius lectionem exercitij, vt has importunas ſpecies abigas, córque tuuum & ſpiritum in pace & libertate apud te recipias ; ſicque de nouo ad opus redeas. Arbitror equidem futurum tibi optimum, & tutiſſimum ducem : ſi modò te in Deum, vti par eſt, perdideris, planè viuus moriens, téque ſemper abnegans, & Deo in omnibus tam paruis, quàm magnis, iuxta hæc documenta committens. Quòd ſi tuum excedit præſentem ſtatum, ideo feci, vt te ſummi tui boni feruenti & ſtrenuæ proſecutioni, iugiter intentum efficerem. Licèt verum ſit ſatis eſſe in hac via, eum qui celeriter currere non poteſt, conduplicare paſſum. Demum inſpectis omnibus, & attentè conſideratis nihil tibi in omni genere hac in exercitatione defuturum puto ; nec aliter de ea ſentio, quàm cum mihi pro ea locutus

locutus es. Enimuero per te fas erit mihi, talem tibi qualis est libenter offerre, iuxta ea quæ illam dictando & vidi, & sensi, conformiter ad notitiam & ordinem effectuum, quos potest producere, fideliter obseruata; adeóque si illâ vtaris, breuî te mutatum, & ex bono statu in alterum millies, vt ita dicam, absque tamen exaggeratione, meliorem restitutum senties. Ad hoc igitur vt rite & conuenienter procedas, oportet te ardenter appetere, esse verè spiritualem, & verè amoris amantem; Siquidem infelix ille proculdubio est, qui cum possit eum totis viribus, & perfectiuo amore diligere, diligit tantùm amore omnibus Christianis communi; de quibus dici potest, non amare eum secundùm omnem mandatorum eius latitudinem, sed valdè à longè, vtique contentis illum dumtaxat in aliquibus casibus sustinere & pati. Sed credo te non esse super hoc commonendum, cum sit idipsum quod infinitè luges, secundùm omnem extensionem, & argumenta ipsiusmet amoris. Multò aptiùs profero tibi hoc sancti Bernardi effatum, in ipsiusmet terminis ne malè traducam. [Non est vestrum circa communia languere præcepta, neque solùm attendere quid præcipiat Deus; sed quid velit. Aliorum est enim Deo seruire, vestrum adhærere: aliorum est Deum credere, scire, amare, reuereri: vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui.] Et istud eiusdem sancti, quod adhuc conuenientiùs nostrum probat intentum: [Magna res est amor, si ad suum recurrat principium, si suæ origini redditur, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat, vnde iugiter fluat.] Prouocauit me Sancti huius Patris solertia, in aperienda nobis & exprimenda vitæ suæ vita, ad te hîc eâ stimulandum; vt hoc duplici punctus aculeo, ad indefessam cursus tui contentionem, vsque dum apprehenderis brauium, acriter excitareris. O quantùm lætaberis aliquando, amorem ipsum ardenter amâsse, & hâc nunc horâ, tanti nobis omnibus momenti, pari actiuitate, & ardore amare. Viuas ergo ex amore, & in amore.

CAPVT PRIMVM.

De Cognitione ſuiipſius, & Dei, déque amore eius.

SECTIO PRIMA.

Quæ ſunt principia & effectus veræ cognitionis ſuiipſius.

CORdati homines, miſeros nos eſſe à peccato primùm commiſſo ſat perſpicuè intelligunt, ſed qui verè ſapientes ſunt in ordine ſapientiæ & ſcientiæ diuinæ, ipſis abundanter & ſenſibiliter infuſæ in abundantia, & impetu fluxus eius ſimplicis,ab amore & voluntate Dei, mediâ ipſorum amabili diligentiâ; hi, inquam, aliter omnino norunt, ſcilicet per ſapidam experientiam, hominem per peccatum ipſammet miſeriam eſſe factum. Vnde cœleſti hac & ſapidâ, diuini amoris colluſtrati ſcientiâ, obſtupeſcunt attoniti, & in ſeipſis confuſi, videntes ſe, & ſentientes iam eductos, & aliquo modo ex ſtatu corruptionis in ſtatum Spiritus mutatos, qui eos acceptâ liberalitate, & miſericordiâ Dei mediâ, facit idoneos, ad ſeipſos cognoſcendum, & per hoc ſe ad eius agnitionem amorémque erigendum. Ex hoc ſtupore & admiratione mouentur,& excitantur,ad ſe millies effundendum coram Deo, in totalitate vitæ ſuæ (vidẽtes ſcilicet, & ſentientes ſe tam ſuauiter ab eius bonitate & miſericordia præoccupatos) nec non & æternùm deinceps vſurpandum in ardore ámabilis ſui appetitus hoc Pſalmiſtæ conſilium, Guſtate & videte quantùm ſuauis eſt Dominus. Hi ſunt qui apertos habentes oculos, & cor luminoſo ſimplicíque amore ſaucium, guſtant, & experiuntur ſimpliciſſimam eius, & ſummè delectabilem dulcedinem; in quam intractis, collectiſque corde & viribus ſenſitiuis,inde miſerum rerum omnium creatarum nihilum conſpiciunt. Amiſſúmque tempus omne vitæ ſuæ tam miſerè & infeliciter in ſtatu corruptionis tranſactæ, prout maior minórve fuit in ea plurimùm deteſtantur.

Hi igitur quid cogitare, quídve facere debeant, in ſui deſiderij ardore neſciunt, vt Deo ſatisfaciant, qui dignatur eos tam amabiliter præuenire, vt deſtruat & annihilet in illis primam eorum carnalem

carnalem & animalem vitam. Quod vtique præſtat cum ſedulo, & ardenti ſuo amore: tum amoroſâ eorum diligentiâ ipſi reſpondente in totalitate ipſorum; vt hoc aſſequantur, die ac nocte incumbunt amoris exercitationi pro ordine & amore quem exoptat Deus, & inſtanter ab eorum fidelitate expoſtulat.

Vt autem contra ſeipſos recto ordine procedant, felicémque exitum ſortiantur, ſecundùm æternum Dei ſuper ipſos propoſitum; ſtatuunt apud ſe inordinatos omnes abnegare appetitus, paſſiones, motus, & propenſiones tam intus quàm foris: nihil vmquam ſibi condonando, videntes, ſentientes, & experientiâ tenentes, quanti ſit momēti hanc exercere iugiter abnegationem, adeò neceſſariam ſibi, & omni homini cupienti vnire, & coniungere ſe arctè Deo, quantùm poſſibile eſt vili & infirmæ naturæ: vt propter hoc inimicos ſuos, quos dixi appetitus & concupiſcentias naturæ corruptæ, omnibus conatibus acriter inſectentur.

Quòd ſi quando contingat eos in conflictu deficere, quòd non poteſt non euenire ſæpiſſimè, propter infinitas ex eorum parte rationes, extempore reſurgunt, & ad pugnam redeunt fortiùs & vehementiùs, quàm vnquam, ſatis ſcientes quanta ſit fortitudo malitiáque ſuorum hoſtium, & quid contra ipſos poſſit; cui, ſi ſoli permitterentur, actum de illis foret. Sed habentes Deum, eiúſque auxilium adeò ſecundum, & in ſeipſis actiuum (licet ſæpè non aduertant, niſi ſpeciali quam habent fide in infinita eius bonitate, quæ eis in neceſſitate deeſſe non poteſt) hoc ipſum eos roborat, & figit, vt magis ac magis confidant diuinæ ſuæ Maieſtati, ſibiipſis pariter diffidendo, pro ſua veri nihili ſui experientiâ.



Sic planè confidentes in Deo, & diffidentes in ſeipſis omnibus in euentibus, quæſitionem ſuiipſorum & ſatisfactionem execrantur vt mortem. Quapropter vt nunquam otientur in hac ſancta amoris exercitatione profundæ cordis humilitatis, manſuetudinis, & omnium aliarum virtutum actibus, iugiter occupantur; manentes ſemper quieti, quantùm in ipſis eſt, in amabili & vnica cordis ſui & Spiritus recollectione, cuius in ſilentio, vult Deus ſolus ſecretò loqui, & humiliter reuerentérque auſcultari.

Vt igitur nil faciendum omittunt ac perferendum, in omnibus quas ſuſtinent naturæ contradictionibus, fortes efficiuntur & animoſi aduerſus ſeipſos, vt ſe ſuperent & tranſgrediantur, in ardenti

Dei amore, in ipſomet Deo, à quo præoccupati ſunt. Itaque præcipuum eorum negotium, & aſſidua cura, eſt amabilis oratio, cum exercitatione ſemper æqualiter auida virtutum omnium, non obſtantibus omnibus impedimentis & perturbationibus, eos ab hac auertere conantibus, quæ vtique vnicum eſt amabilis eorum vitæ medium, in bonum & gloriam Dei in ipſis, infinitúmque & chariſſimum ipſorum amorem.

In vehementioribus, quas Spiritus Dei operatur inundationibus, & attractionibus Spiritûs eorum ad ſe, liberè coguntur, & amorosè ſic eum ex intimis ſuis, dulciter & amabiliter affari. Ha! chare mi amor quàm bonum eſt amare te! quàm bonum eſt nudè, & ſimpliciter extra ſe, & omne creatum adhærere tibi. Ha! chara mea vita, quàm verum eſt, ſed veriſſimum meliora eſſe vino vbera tua! vinum intelligo deliciarum omnium etiam honeſtarum, nec prohibitarum, quas creaturæ extra te, & ſine te hauriunt. Nouerim me, chare mi amor, & nouerim te: hæc ſunt amabilia verba & his ſimilia, quæ mirabilis ipſorum amor eis in abundanti illorum ebrietate ſuggerit.

Verum eſt hunc tam excedentem exceſſum, tam intenſum, tam extenſum, tam luminoſum, tam ſimplicem, & copioſum amorem, non eſſe vnius diei opus, ſed ſupponere fruitionem ipſiuſmet boni, plurimorum annorum laboribus pleniſſimè comparati; nihilominus adeò bonus eſt ipſe amor, vt non poſſit deſerere creaturam, quam ipſemet fecit ſollicitam, languidam, & iugi ſtudio ſuam præſentiam appetentem. Non poteſt non blandiri ſenſibiliter & fruitiuè nouæ ſuæ ſponſæ, tempore neceſſitatis eius, infirmitatis & inopiæ; agglutinans eam mammis ſuis delectabilibus, in effectu & impetu amoris ſui, magis amorosè quàm ſe geſſerit vnquam mollior & tenerior nutrix erga ſuum alumnum.

SECTIO SECVNDA.

Neceſſitas vitæ purgatiuæ, ad cognoſcendum Deum, & ſeipſum; & differentia filiorum Dei, & mercenariorum.

OMnis hæc præcedens deductio tot in ſe complectitur veritates reductas, & deducenda media, quæ exercitatio iſta quaſi iam transgreſſa ſupponit, vt mirabile ſit atque ſtupendum. Non enim

enim hîc loquimur de vitiis, & peccatis, de passionibus, & inordinatis affectibus, quos circumcidere necesse est, de vanis & superfluis cogitationibus, & speciebus cuiuscumque creaturæ, de curiositate tam intellectus quàm voluntatis, nec de naturalibus erga se, aliásque creaturas studiis. Nec etiam loquimur de venialium peccatorum horrore, quæ diligentissimè vitanda sunt; quorum aliqua perpetrantur ex affectu, & numquam condonantur manente huiusmodi affectu, etsi centies in die pœnitentiæ sacramento subiicerentur; alia puræ infirmitatis sunt, quorum facillima est venia, annihilante ea, tanquam paleolas in ardentem fornacem iniectas, amorosâ animæ exercitatione. Quâ de re obiter dicam, peccatum mortale Deum in anima occidere, vt ita loquar: veniale verò eum lædere; primum est euidens, si benè concipiatur: alterum verò dimittendum est meo sensui, qui vtique excessus est, & in excessu rationi valdè congruo.

Nec etiam hîc loquimur de necessitate diuinæ fortitudinis, quæ requiritur tanquam armatura bellica, ad subeundum onus omnis generis tribulationum, & si opus sit æternùm perferendum, absque vllo Dei, naturæ, aut cuiuscumque creaturæ sensibili solatio, fauente naturæ, & contrario amori diuino; quem animæ de quibus hîc agitur, valdè instanter, ardenter, indeficienter, siue intermissione & ad exanimationẽ vsque prosequuntur. Denique illud omne prætermittimus, quod impedire potest amantem animam, ne arctè se cum Deo vniat & coniungat, quem amat infinitè, tanquam summum suum bonum infinitè amandum; quia supponimus iam prætergressum ab anima fideli, quæ hanc sapidam, diuinámque Dei, & suiipsius attigit cognitionem, quod tamen non impedit quominus de iis aliquid passim in hac exercitatione dicamus, prout se dabit occasio, licet hîc propriè non nisi de amore agatur.

Ad exponendam autem differẽtiam, quæ intercedit verum inter & falsum amorem, dicemus verum amorem perfectum, & perficientem homines amabiles suos subditos & sponsas, quatuor aut quinque habere ætates, aut gradus. Primus est infantia totus lacteus. Secundus est subductio ab vberibus. Tertius est adolescentia Quartus maturitas. Vltimus virilitas perfecta, per quarum ætatum spatium, Dei amor ad suas sponsas, & sponsarum ad Deum, suum habet bonum suúmque malum; suum gaudium & tristitiam, suas

tenebras

tenebras & lumen, ſuas proſperitates & aduerſitates, ſuas paupertates & diuitias, ſuos languores, ſuas fruitiones; ſuas vniones, ſuas effuſiones; ſuam pacem, ſuum bellum; ſuum damnum, ſuum lucrum; ſuum totum, ſuum nihilum; ſuos amplexus & eorum ſubſtractionem, ſuam cognitionem & ignorantiam; ſuam vim & infirmitatem; ſuum ornatum, ſuam nuditatem; & omnia his ſimilia. Quibus in omnibus viciſſitudinibus, ſi Dei ſponſæ fideles illi ſunt, nullum patientur detrimentum, cum veris amantibus omnia cooperentur in bonum, iis inquam omnibus, qui (ſecundum Dei propoſitum) vocati ſunt ſancti.

Sed in iis maximè tam variis & plerumque funeſtis euentibus, verè agnoſcuntur fideles ſponſæ, & mercenariæ dumtaxat, quæ ſponſo pro donorum ratione ſeruiunt, hæ enim deficientibus donis, illico & amore erga ſponſum, & corde deficiunt, vndè apparet quòd illum non amabant in illo, & pro illo ipſo, ſed in ſe dumtaxat, & pro ſeipſis. Huiuſmodi animæ ſummoperè lugendæ ſunt, eo quòd deſiſtere nolunt ab adoratione priuatorum ſuorum idolorum, quæ ſunt excellentiſſima Dei dona in illis, quæ ad ſe traxêre, & in proprios vertêre guſtus; vt non ſit aliud omnis eorum affectus & ſenſus, quàm priuatus amor, ſenſualitas ſpiritus, & omnis alia huius generis miſeria: fideles è contra non ſeruiunt ei, nec diligunt eum ratione ſui vllius priuati commodi, ſed in omnibus ſupradictis viciſſitudinibus ſemper æquales in amoris eius exercitatione perſiſtunt; vt aliàs fuſiùs explicui.

Ex iis omnibus ſatis perſpicies quid poſſit diuinum lumen in anima potenter & abundanter infuſum, ad eius reformationem, ornatum, & perfectum complementum, quod eam magis ac magis vſque ad mortem fidelem efficit; cuius rationes aliæ non ſunt, quàm mutuus & reciprocus amãtis ad ſponſam, & ſponſæ ad amantem amor. Poſſet quidem ſponſa fieri infidelis ſi vellet, ſed hoc in caſu, creaturarum omnium ad amandum electarum, maximè ingratam & perfidam, Deo, Angelis & hominibus ſe probaret.

Quæ autem hîc requiritur fortitudo, pro ratione virium & debilitatis vniuſcuiúſque maior, aut minor eſſe debet: Sed in iis debet eſſe maxima, qui quocumque in ſtatu & euentu poſſibili ampliùs ſcire nolunt quid ſit ad ſeipſos, creaturáſque reflectere, & qui ſeipſos ſemper tranſcendentes fortiſſimè, conſtituunt ſe, & ſtabiliunt,

ſtabiliunt, non quoquomodo, in ſuo eſſentiali fundo, ſed in Deo ipſo, in quo ſe immergunt, & magis ac magis abſorbent, cui immobiliter affixi, idem cum eo, in ipſiuſmet totalitate efficiuntur. Hinc oritur omnis fulgor,& omne bonum, huiuſmodi ſponſarum, in earum cum hominibus conſuetudine, qui illas agnoſcere, & quales ſunt in ſua excellentia diſcernere poſſunt. Quòd ſi qui videntur in eis aliquando minimi defectus, hoc ipſum earum fundo contrarium eſt. Et hæ ipſæ infirmitates, ſubiecta ſunt doloris earum, renunciationis, & mortis, humiliantium ſe ex illis profundiùs quàm cogitari poſſit.

SECTIO TERTIA.

Quòd hæc humilitas, & ſuiipſius cognitio ſcientijs naturalibus non comparatur.

AD ſtatuendum diſcrimen, de quo hic agitur ſciendum eſt duas eſſe humilitatis ſpecies, aliam quæ præ vi luminis, & puræ rationis exurgit, vocatúrque clara humilitas; alteram quæ ex forti, & puro amore, aut etiam in amore nudo, & in ratione ſupra rationem prodit; iſta oritur & procedit ex magnis & validis quæ habentur humiliandi ſe argumentis; hæc nec argumenta nec rationes admittit, ſed eas omnes deſtruens, puri amoris argumento dumtaxat vtitur, qui in omni materia euentúque eam abiicit, vtique eleuando in Deum amabile ſuum & beatum obiectum: hæc doctrina magni momenti & ponderis eſt.

Omnis autem Scholarum ſcientia, nihil horum ſeipsâ cuiquam conferre poteſt, nihil enim aliud præſtat, niſi quod naturam ad ſpeculandum inſtituit, ordine & medio puræ doctrinæ, viuacitatis, & naturalium rationum plenæ, deducendo vi ſenſuum & naturali viâ, omne quod habet perſuadendum, quod ad aliud non eſt idoneum, quàm ad efficiendum hominem moralem, qui hoc vtique medio ad ſummum dumtaxat naturæ apicem euehi poteſt quo vitæ moralis altior gradus continetur; adeò vt ſola ſcientia, & naturalis vita, ne vnum quidem gradum ſpiritus conferre queant, imò ſpeculationes eius exercitationéſque, tantùm ſpiritui opponuntur, quantùm hauriuntur & comparantur ſtudio conatúque naturali, & doctrinâ cognitionéque pure rationali, fundatâ dum-

taxat in natura, quæ huiuſmodi induſtriis ſeipſam non poteſt vnquam ſupergredi,cum hi omnes diſcurſus ad nihil proſint,quam ad eam irretiendam, & ſeipsâ intra ſemetipſam inuoluendam.

Qui igitur ſic viuunt tantùm diſtant à Spiritu, & verâ ſimplicitate, quantùm naturalibus ratiocinationibus abundant, & intra naturæ limites dumtaxat arctantur, conſequentérque vacui ſunt ſapientiâ, & diuino lumine, quod fundit ſenſibilem amorem, eleuationem, & gaudium, in ſimpliciſſima animi recollectione; quibus diuinæ huius ſapientiæ alumni, in veritate & ſimplicitate fundi, Spiritus efficiuntur. Hoc te monitum volui, vt oſtenderem tibi pondus duplicis huius vitæ, & doctrinæ, licet quod hactenus in teipſo es expertus,ſufficienter tibi illud probauerit. Stupendum eſt autem adeò rudes inueniri homines, vt huiuſmodi veritates per totam ſuam vitam ignorent; cuius rei ratio eſt, quod illi, nemini vnquam præterquam ſibi ſeruire volunt, vtique in vana & ſenſuali ſatisfactione & delectatione priuati ſui amoris, eos excæcantis & decipientis.

CAPVT SECVNDVM.

De præſentia Dei.

SECTIO PRIMA.

Quomodo cum Deo conuerſandum eſt, & in eo ſolo quieſcendum.

DVo ſunt animæ neceſſaria, quæ ſe incunctanter ad Deum optat conuertere, primum eſt humillima, viliſſimáque ſui-ipſius opinio, alterum altiſſima, infinitáque de Deo exiſtimatio; per iſtam videt ſe anima, reputátque id quod eſt, ſcilicet ipſummet nihilum, & per hanc videt Deum eſſe infinitè in ſe, & propter ſe infinitum, atque mirabilem in omnibus creaturis ſuis, quæ totum hunc conſtituunt orbem, qui tamen reſpectu Dei, eſt velut nihilum, & non amplius; itaque animæ Deum concupiſcenti, viuendum eſt iugiter in hac pura & fideli exercitatione, non ſecus ac ſi præter Deum & ipſam, nihil in mundo foret.

Aſpectus

Aſpectus & actualis ſenſus diuinæ huius præſentiæ, debent eam tenere Deo ſemper, ex omni corde & ex omnibus viribus actu adhærentem, vt eum in perpetua & ſimplici cordis tranquillitate poſſideat, videátque & ſentiat ſemper intus in ſeipſa, vi & ardore famelici ſui appetitus; atque vt hoc ritè & conuenienter exerceatur, interiùs cum eo in ſpiritu, conuerſandum eſt affectuoſis & familiaribus colloquiis. Pone tibi ob oculos priuatam & familiarem duorum intimorum amicorum conſuetudinem, qui ſint eorum geſtus, actus, ſermones, viuendi ratio, & reciproci, mutuique cordis amantiſſimi affectus; & ſic intra te, cum diuina ſua Maieſtate age humiliter, ſuauiter, familiariter, & liberè, ſemper tamen cum magna reuerentia, ita vt perfectâ amborum vnione, ſucceſſu temporis & recti ordinis, efficiaris regnum, & omne gaudium ipſius, tuáque anima tanti regis ſponſa, vera ſit regina in perpetuum, & abſque fine.

Ad ſic autem cum Deo conuerſandum, poteris vti argumentis petitis ab eius magnitudine in ſe ipſa ſumpta, aut ab amore eius & bonitate infinita, per quam ad nos vtique tam viles & miſeros, in proprium noſtrum bonum mirabiliter exiuit, donans ſe nobis, nóſque ſibi aſſumens, denique iis omnibus, quæ eſt, & operatur in nobis. Quam amabilem conuerſationem, cum nos miſeri, & humiles ſucceſſu amoris, temporis & graduum, ſumus adepti: poſſumus dicere, nos in hoc, & ſecundum hoc ipſum, quieſcere in ſummo noſtro bono, centro noſtro, finalique obiecto, cuius aſpectus, ſcientia & ſenſus, tantam in nos æternùm vim habere debet, vt deinceps neſciamus in terra quid ſit aliò reflectere, ſiue ad creaturas, ſiue ad nos ipſos, ſed magis ac magis erigamus nos, ad conuerſandum humiliter, reuerenter, & amabiliter in præſentia Dei conſiderati cùm in ſe, tum propter ſe, & in iis quæ operatur in nobis, vtique ad hanc dumtaxat exercitationem, & eſſe, & vitam, & motum habentes.

Cæterùm non eſt perfectio noſtra in horum omnium ſcientia & ſpeculatione ſita, ſed in ſincera amoris praxi, & exercitatione virtutum, quæ in horas occurrunt, vt ardenti & indeficienti amore exerceantur. Suppoſitóque quòd habeatur omnis horum cognitio, veram & fidelem atteſtamur praxim, quæ non conſiſtit in actione naturæ delectabili, quòd vtique imperfectorum eſt, ſed

in paupertate, deſtitutione, morte, renunciatione perpetuâ, circa obiecta ſenſibilia, rationabilia, imò etiam & ſpiritus, qui in ſua ſimplici nuditate, Deum in ſeipſo, plus minúſve pro ſtatuum diuerſitate aſpicit & attingit.

In his derelictionum, renunciationúmque diſtinctionibus, comprehenduntur omnes ſpiritus paupertates, conſequentérque diuerſa internarum mortium exercitia, quas iugiter, animosè, conſtanter, & virili, generoſóque animo perpeti, & ſuſtinere debet anima, ſi vnquam introire vult arcanum puri & ſimplicis amoris Dei ſecretarium, quò cum peruenerit, hæc dulcia ab eo excipiet, & familiaria verba. Hactenus vocaui te ſeruum meum, ſed nunc, & in perpetuum dicam te intimum, & amicum meum, quia ſeruus neſcit quid tractet dominus eius in ſecreto cordis ſui; ſed amicus, qualis es, eríſque in poſterum, ſcit, & æternùm ſciet, quod decerno & conſtituo in intimis ſecreti mei, quod non fiet, nec poſſidebitur à te, nec in te, niſi in intimo meiipſius, ad noſtram mutuam intimámque voluptatem.

Tuum eſt igitur deliberare quid habeas eligere, facere & aggredi, & in quo delectare te, & quieſcere cupias. Quod ſi de Deo, & in Deo, ſiquidem infinitis proculdubio titulis iuribuſque teneris; vide vt accipias quæ tibi ab eo conſtituta ſunt ad hoc media, illiſque ſedulò animosè, & cum gaudio vtaris, vt ex neceſſitate conuenit, in omnibus difficultatibus teipſum ſuperans, in fide quam habes, animam tanti ſponſi, qualis tuus eſt, ſponſam, non debere ampliùs deſidere, & iacere in terra, & in ſenſibus, quandoquidem rex ipſius Dominus & ſponſus, totus diuinus, & totus ſpiritus, nequidem ei permittit in vllo donorum ſuorum, quantumcumque ſanctorum & præcellentium, ſed in ſe ſolo, & pro ſe ſolo dumtaxat, quieſcere.

SECTIO SECVNDA.

Quod excellentiſſimum ad hanc Dei præſentiam medium, eſt ire ad illum per ipſius Filium Ieſum Chriſtum.

CVm altior animæ perfectio ſit, omni virium ſuarum operâ iugiter in Deum aſſurgere, haud dubiè exercitationes eius, & internam conuerſationem, huic conuenientem eſſe, & conformem omnino, neceſſe eſt. Vt igitur, ſicut iam antea diximus, bonitas & amor

amor tantæ Maiestatis erga nos, incessanter exacuere nos debet, ne vmquam ampliùs in terra desideamus, oportet vt iuxta hanc practicam veritatem, nobis ordinatum, tritum, & ab omnibus stratum ducamus tramitem, qui fideliter confectus, nos ad terminum deducat, & ad securum portum sanctarum nostrarum intentionum appellere faciat.

Hic autem trames debet esse pro nobis & in nobis, altior effectus, amplior, & vniuersalior eiusdem amoris & bonitatis Dei, scilicet eius filius homo factus, in humanitate nostra manens Deus, & iugis eius in heroïcarum virtutum actibus ad mortem vsque perlata passio. Hæc tam vehementer nos excitare debent, tamque ardenter erga Iesum Christum amore succendere, vt in horum aspectu & sensu ampliùs nescire debeamus quid sit creaturis & nobis ipsis adhærere, exinde voluptatis quidpiam & gaudij percepturi; Ex quo Deus, homo factus est passibilis, & mortalis pro nobis, qui præ vi amoris sui, infinitè patitur, & demum moritur, expirâtque in arbore crucis pro nobis, vtique pro nostro exemplo & remedio; Quod spectaculum infinitè mirantur scientes & intuentes omnes Angeli, simplicitérque credere debes, quod si conditionis fuissent alterius & naturæ, vi doloris fuissent annihilati.

Tu autem ad quem negotium istud ex omni parte attinet, quid facies, quidve dices his omnibus, quæ numquam à desiderio tuo, cogitatu, & practico amore excidere debent? Ad quid ampliùs cor habebis, quàm ad ardenter amandum, oculos quàm ad largiter, & amarè flendum; reliquósque internos, & externos sensus, quàm ad illa omnia intrinsecus simplificandum, non in specie sed in veritate, quod fiet ope potentis & efficacis Dei gratiæ, quæ manat abundanter & fluit in te, conformiter ad capacitatem tuam, vt hic producat diuinum hunc effectum, per seipsam, sedulámque tuam industriam, & iugem strenuúmque amorem.

Enimuero hîc animaduertendum est, Deum, & fluentem in nobis eius gratiam, virtutem habere infinitè aliam in anima, quæ viuificum habet desiderium, & instanter in ea operans, ad efficiendam illam summè Dei amantem, quàm omnes naturæ conatus si modò tamen se in tranquillitate & patientia cordis ac spiritus velit possidere, in iugi exercitatione sua, sicut in abundantia & prosperitate: ita in penuria & ariditate.

SECTIO TERTIA.

Quod aliquando Deus ab anima ſecundum vires ſenſitiuas abſcedit, & quomodo hoc in ſtatu, Ieſum Chriſtum imitari oporteat.

PRoſperitatem dicimus influxus omnes, ſenſibilium dulcedinum Spiritus Dei, qui nouiter conuerſis, non ſecus ac amabilis nutrix alumno ſuo ſeruiens, defert eos ſuis delectabilibus & teneris, diuinarum conſolationum mammis affixos, cogítque in hac fruitione & experientia dicere; Infinitè meliora ſunt, ô ſponſe mi, vbera tua vino, & omnibus pretioſiſſimis vnguentis. E contrà appellamus aduerſitatem, cum videtur ſponſus velle animam ablactare, adeò vt conqueratur & gemat, velut infantulus, ſuſtinere non valens vim & violentiam harum quas patitur ſubſtractionem, non quidem omnium ſtatim initio, ſed paulatim aliquarum, & deindè omnino omnium.

Oportet autem vt anima conſtanter mori ſtatuat in huiuſmodi difficilium probationum tolerantia, ante oculos dilecti ſui, qui confortat eam, impedítque ne in deſperationem labatur, & animi impotentiam; credere enim certiſſimè debet, cum eò peruenit, numquam ſe melius, & in meliori ſtatu fuiſſe; & ſi res illi, non ſic ex aduerſo acciderent, ſtatum ſuum fore valdè ſuſpectum, ſed ſic ſe rebus ægrè in ea habentibus, per ablationem ſenſibilis concurſus Dei, non eſt quod timeat, cùm in ſecuritate ſit, adeò vt nec Dæmones, nec ipſemet infernus illi tunc nocere poſſint.

Vtinam animæ, quæ ſpiritualem profitentur vitam, hoc in ſuis deſtitutionibus, paupertatibus & deſertionibus crederent, non eum ſuperbè quærerent vti faciunt, volentes Deum cogere vt ſe illis prodat, accuſantes eum mille exprobrationibus, quas in medium adducunt, occaſionis quam Deo dedere, ſic cum ipſis rigorosè agendi. Eſtò verum foret, ad quid hominibus exponere, cùm agatur de ſoluenda ex tempore pœna, effectu iuſtitiæ Dei, qui non rarò cogitur ab anima ſe ſubducere in pœnam manifeſtarum eius, aut ſecretarum ſuperbiarum.

Cæterùm non eſt ſemper verum, præcedentem aliquam culpam diuinæ ſubſtractionis eſſe cauſam, ſed Dei moris eſt, primò paulatim

latim & postea vno impetu abscedere ab anima, quæ protestantur amare eum, vt illi ex vna parte infinitam suam exhibeat miseriam, & verum nihil, cui si dimitteretur, ne vnum quidem elicere actum, nec aliquid boni cogitare posset: & ex alia fidelitatem suam ad expetendam dilecti sui præsentiam, quam sibi videtur amisisse, aut ad manifestandam ei suam infidelitatem, quando stadium præliúmque in hoc discrimine deseruit, vt quæ eret seipsam, vtique sibi viuendo, sensuum remissione, aut quæsitione, appetitu, aut fruitione consolationis creaturarum.

Quod spectat ad animas quæ se fideliter habuerunt in aspera absentiæ dilecti sui pugna, reditus eius æquanimiter expectatus, & amorosè concupitus, consolatur eas, plusquam exprimi potest; Adde quod licet non tam citò rediret, neutiquam tamen inquietæ forent, quò fit vt semper æqualiter tranquillæ & hilares sine conscientiæ stimulo intus permaneant: è contrà animæ infideles agunt se præcipites, & magis ac magis immergunt in horrores, mœrores, & inquietudines, vndè fit vt nullius gaudij, nullius boni, pacisque, secum, nec cum alio quocúmque potiantur; quidquid eis ad consolationem vtilius, & conuenientius dici possit.

Cum autem post aliquod tempus misertus, huiusmodi animarum reuertitur Deus, & se illis conuenienti tempore manifestat, nolens eas in perpetuum deserere, hic reditus & possessio, plus illis tristitiæ & doloris, quàm lætitiæ parit, propter voluntariam suam infidelitatem, quæ eas acerrimis conscientiæ stimulis exagitat, quòd huiusmodi substractiones generosâ & heroicâ fortitudine non sustinuerint. Nihilominus anima, quæ se hanc intulisse videt iniuriam tantæ, tamque infinitæ Maiestati, quæ eam adeò tenerè diligit, vt illius vnius curam habere videatur: veniam petit humillimè, quòd tanto videt facitque meliùs, quantò profundiùs & efficaciùs diuino irradiatur lumine, & se illi Deus pleniùs & abundantiùs ostendit.

Ex iis facilè colligis, non esse sitam sanctitatem in sensu aut non sensu Dei in animam fluentis, aut eam inundationibus suis & diuinis irradiationibus attingentis, sed in vero, essentialique amore practico, qui operatur omnia in Deo, sine lumine & deuotione sensibili, tempore durissimarum & asperrimarum ariditatum. Solet enim Deus suos charissimos visitare & exercere, vt similes efficiantur

ciantur Ieſu Chriſto, in morte & paſſione eius; ſicut in moribus, geſtis, ſermonibus, ſenſibus & affectibus vitæ ipſius; qui omnes effectus amoris erant, & bonitatis, diuinitùs in homines fluentis, vt eos diuini fluxus ſui rapiditate, vt ita loquar inuolueret, & amore ſuccenderet, vi exundantis talis Maieſtatis, quæ tantùm in efficiendis amorem hominibus, téque ſingulariter delectatur.

SECTIO QVARTA.

Prærogatiua animæ, quæ præ ſuo in Deum fluxu amor effecta eſt: Et quantùm differt ab ea, quæ actioni dumtaxat incumbit.

CONſequenter igitur ad ſupradicta, oportet vt anima vim patiatur & ſuauem violentiam, ab influxibus internis magis quàm externis, talis & tam profundi amoris, qualis eſt Dei erga ipſam. Sed licet mirabile ſit quod operatur in te Deus, tuámque excedat intelligentiam, huius tamen non habebis rationem tantam, quantam illius quod vult & à te poſtulat, vt te diuinæ ſuæ voluntati perfectè conformem efficiat ſemper in omnibus, & vtique in eminentia actionis, & ſupereminentia mortis, vt per hanc exercitationem ſis deinceps vnum cum illo, abſque vlla diſſimilitudine inter ipſum & te, tuámque & ipſius vitam.

Cæterùm apud te ſtatuendum eſt, vt non ſolùm non permittas extingui ignem diuini amoris in corde tuo, ſed etiam idipſum cor tuum igne eiuſdemmet amoris ardenter, iugitérque accenſum conſerues, vt illic omnes tuæ incidentiæ & defectus qui puræ infirmitatis ſunt, ex tempore conſumantur, & ad nihilum redigantur. Sic ſolus amor ſupererit ſedis Dominus, id eſt animæ & cordis tui totius, & exercendo, vti debes, amorem in totalitate illius, in intimis ſpiritus tui, ab eo omni quod eſt intellectuale & ſenſibile ſumme remoti, inibi talis amoris, taliſque ſponſi qualis eſt tuus, dignis deliciis, pace, & quiete fruêris.

Ha! quam dulcis hæc, adeóque iucunda vita, hominibus eſt ignota, imo etiam multis operantibus magna, ſed ſolum in ordine vitæ ſuæ; hæc enim vita, eſt in multis abſque vlla alia Spiritus negociatione, huiuſmodi delectationem percipientibus in omni

bono

bono opere, quod foris ad iuuandum in necessitatibus proximum possint operari.

Licet autem vita actiua in sua perfectione tam spiritualis, quàm corporea, Deo sit accepta, & vtilis profitentibus illam, hi tamen, priuatis Spiritus adhæsionibus in seipsis abundant, etiam in negotio proprij sui boni, quod plus minúsve optant & expetunt in suis naturalibus proprietatibus, etsi non agnoscant, illorum enim tenebræ & quæsitus, in eo consistunt, quod naturæ vias, quæ eos multis detinet subtilissimis nexibus, & proprietatibus spiritualibus, in seipsis non agnoscunt. Et hoc nunquam agnoscunt, nisi successu diuinarum & frequentium illustrationum in illis acriter manantium, vt eos purgent in vno tempore, illuminent in alio, & in alio vniant, liquentque, liquent, inquam & perficiant in totalitate diuini ignis, in quo deinceps sint æterni, & supra tempus, sicut amor qui eos absorbet, & immergit in se æternus est. Et huiusmodi deinceps in nullo damnum pati, aut lucrari se arbitrabuntur; mortui enim creaturis, vti erunt, sponso suo viuent, & in suo sponso secundum sui totalitatem, quod est omnia complecti. Ibi nil eligendum ampliùs habebunt, viuent enim quocumque in statu & euentu, in omnimoda abstractione & solitudine spiritus, veluti si sponsus & ipsi soli in mundo forent.

Interim nulli desunt debito operi externo, quando cum creaturis aliquid agendum est aut tractandum, quod semper conuenienter præstant, purè, & citò, sine vlla sui detensione, & specierum extranearum impressione, adeò vt ab eis nihil desideretur, quod non exequantur cùm summâ & diuinâ discretione Et reuerâ multum aberraret qui crederet, nos per hæc intendere, quemquam ita solitarium constituere, vt ab officij sui muniis & oneribus eximeretur. His enim expresse astringi à Deo, indubium est, & quantùm vnusquisque proprium Dei bonum & beneplacitum, proximique salutem prosequi tenetur. Porrò hi de quibus hîc loquimur, huiusmodi muneribus exactè persoluendis magis intenti esse debent, cum sint veluti conductores quibus commisit Deus, hæc plus minúsve excellentia munia, vt ab iis, eius prouidentiâ, opera, & fructus maturitate plenos abundanter recipiat.

Verum est igitur, dictu esse impossibile, quantùm progrediatur, & proficiat anima quam Deus eleuat, agit, & amorosè iugitérque

de se, & in se occupatam habet; vnus ille scire potest, qui non percipiendo, sed spiritum factum, agnoscens non viuit ampliùs nisi vitâ, & in vita spiritus, abhorrens tanquam à morte à vitâ sensuum honesti & liciti moralis, quod vulgarium est dumtaxat hominum. Ipse enim in vera spirituum regione constitutus, & in fruitione æterni amoris illorum, suo modo & ipse æternus factus, multum attonitus est, & confusus in sua morte, aut vt melius dicam in sua vita, vbi quid gustet, quidve sentiat in Deo, dici non potest, quem videt & contemplatur, quo fruitur purè & plenè in omni sua immensitate suo possibili modo, adeò vt gustus, vel vt meliùs dicam imagines rerum creatarum, etsi foris tantùm pulsent per externos sensus, tam ægrè, & inuito ferat animo, vt non sit concipere.

Cæterùm isti sic addicti Dei ordinationi, ad exteriora non reflectunt, nisi modo suprà expresso, quod est magna exprimere. Videri poterit radius aliquis huius status in omni hac expositione, etsi propriè nihil illius exprimamus, secundum quod in veritate est: scilicet, huiusmodi simplicitas spiritus non nisi à longè prospici potest, de qua loquemur alibi.

CAPVT TERTIVM.

Debere amorem prodire ad opera virtutum, tanquam ad proprios effectus suos.

SECTIO PRIMA.

Virtutes exerceri posse in proprijs suis motiuis, donec superata sint præ amoris in Deum fluxu.

EX omnibus quæ supra, satis videre est, amandum nobis esse charissimum, & valdè vnicum animarum nostrarum sponsum in ardenti & puro amore, & iuxta ordinem virtutum omnium incessanter occurrentium. Numquam est accipienda vlla exercitatio, aut euentus, tanquam à creaturis, sed à pura & liberalissima Dei manu, qui disponens tantâ cum sapientiâ totius nostræ dire-

ctionis

rectionis ordinem, deducit nos per vias non ſolùm ſuæ Maieſtati acceptas, ſed adhuc magis directè conuenientes, & tendentes ad noſtrum bonum, quod nobis adeò ſtupendum videtur, in effectu infinitæ ipſius bonitatis, vt non poſſimus non acceptare planè altiſſimè & vt ita dicam, abſque reflectione, niſi ad media dumtaxat benè & conuenienter agendi aut patiendi.

Quapropter amorem, tanquam motricem cauſam, Deum, ſuum finem immediatè intendentem, ad omnes occurrentes virtutes tanquam ad proprios ſuos effectus prodire credimus. Verum eſt tamen eum qui ſentit ſe non poſſe excedere motiua & argumenta virtutum in ſeipſis, vt facilè euolet in amorem, per amorem, poſſe delectari virtutibus in ipſiſmet virtutibus. Quod vtique faciet, & in eo tamdiu exercebitur, quamdiu ſe ſentiet illis inferiorem, procedendo ſemper in aduerſam ſui partem, donec ſtrenuis & aſſiduis exercitationibus eas omnes ſit ſupergreſſus. Sic erit illi facillimum habere eas omnes ſubiectas tanquan ancillas obedientiſſimas, & in iugi exercitio altiſſimi puriſſimique amoris qui forti & penetrante obiecti ſui amabilis in fuſione ipſammet infuſionem, & omne creatum excedit, vt deinceps contemplationi vacet, viuátque ſplendoribus, in ipſis ſplendoribus amoris in ſe omnino infiniti.

Per hoc autem dicere non intendo virtutem vt virtutem abſque amore eſſe, nam ſi amor finis ipſius eſt, vtique & ipſa ſubiectum, & materia amoris erit, ſed amor non eſt alterius quam ſui ipſius, egens, nec indiget eo quod ipſo inferius eſt, præ ſubtilitate & celeritate ſui volatus omnia in momento penetrantis, nec ſuſtinentis vllum ſibi oppoſitum medium, quin ex tempore vires ſuas omnes in vnum colligat, actiuitatémque ſuam conduplicet, ratione magis, ſpiritu, & corde, quàm ſenſu & capite, quod vtique in hoc nullomodo contendit; adeo vt numquam quieſcat, donec ſe immediatè ſtatuerit ante Deum; circa quem, ſi ſic loqui licet, habitat ſuum ſupremum fundum, quem obſeruat, & diligentiſſimè colit, prohibens vndique, & præcludens creaturis omnibus aditum, amabilibus ſuis excubiis, viuidis & aſſiduis, ita vt creaturæ circa ſenſum foris deinceps verſare cogantur; ſicque intellectualis homo illic omnino perditus, omnes huiuſmodi ſuperemi-net conatus; qui ſtatus adeò nobilis eſt; & præcellens etiam ſupra

vulgarium ſpiritualium in via ſpiritus minus prouectorum, ſtatum, vt idipſum, ſit etiam concipere maxima. Sed infimorum ad altiora, & altiorum ad altiſſima gradatio eſt.

SECTIO SECVNDA.

Lapſus infirmitatis, & indiſcretiones non eſſe ſemper inutiles amanti Deum animæ.

VIrtutes ad quarum opera exeundum nobis eſt, ardenti & ſtrenuo amore præter alias multas, quæ omni homini ſecundum praxim virtutum morali, conueniunt, hæ ſunt; ſcilicet humilitas, patientia, manſuetudo, paupertas ſpiritus, & affectus, caſtitas, temperantia, cognitio contemptus & odium ſuiipſius, ſobrietas, iuſta compoſitio interioris & exterioris, compaſſio & benignitas erga proximum, clementia & miſericordia, ſimplicitas, humiliationes & mortificationes, diſcretio virtutum omnium magiſtra, & his ſimiles; quæ omnes variis in occaſionibus ſibi inuicem ſuccedentibus occurrunt, quibus vtique vacandum nobis eſt intimo & puro amore, cum iugi & omnimoda noſtriipſorum abnegatione, adeò vt nos propriorum defectuum voluntariorum numquam cor noſtrum conſcientiáque ſtimulet, vt non niſi ex debilitate & infirmitate cadentes, fortiùs inde per amorem reſurgamus ad aſpectum & horrorem propriæ noſtræ infirmitatis, nóſque in Deum amabile noſtrum centrum ardentiùs quàm vmquam immergamus.

In hoc vtique ſenſu vtiles ſunt & proficuæ filiis ſpiritus humanæ incidentiæ, non vt tales, ſed vt excellenter & penitus exinanitæ, ſtrenuo amoris exercitio, adeò vt nihil præcedentis fulgoris amittant, è contra magis ac magis adaugeant actiuâ ſuâ fidelitate, ad ſummum Dei gaudium ſponſi & amoris ipſorum; quò fit vt millies mori malint quàm iacere in terra, id eſt in ſenſibus & creaturis, quantumcúmque præcellentibus, ſed amoroſo appetitu effluentes & prorumpentes acriter ardentérque ſe totis in Deum, in cum ſe irrecuperabiliter immergunt in abundantia ineffabilis lætitiæ Dei, à quo prorſus abſorpti ſunt.

Propter hoc corroboratur amor noſter, vt ad Deum perueniat, & in eo remaneat tanquam in ſede quietis ſuæ, vbi felici ſuo frui-

tur obiecto, quod ex ſe infinite beatum, beatificat in ſe, & de ſe animam, dulci quem operatur in ea effectu, & amabili impetu, conformiter ad facultatem excellentis eius habitus amoris infuſi, & acquiſiti, vt eam magis ac magis, & melius in melius transformans, ſit deinceps vnum, & idem omnino cum eo, eius ſpiritus, eius amor, eius gaudium, eius lumen, eius ſupremum ornamentum, & eius totalitas non quidem naturâ, ſed per gratiam, & amorem.

Ecce qualis eſt effectus incidentiarum filiorum amoris, de quo verum eſt dicere, ſummam eſſe & valdè differentem gradationem, tam eorum, qui labuntur, quàm eorum qui reſurgunt. Quòd ſi verus eſt amor, numquam graues ſunt caſus, etſi profundæ humiliationis argumenta, verus enim amor tantùm verè humilis eſt, quantum verè amor.

Hoc tamen non impedit ſanctæ & bene ordinatæ libertatis ſpiritus effectum; licet enim verum ſit, amorem fortem ſe in anima reperientem, erumpere plerumque ad exceſſus ſpiritus, quod videtur offendere vulgares homines qui horum incapaces ſunt, vtique multo inferioris viæ: Vbi tamen excedentes huiuſmodi exitus inueniuntur, ibi feruentis amoris muſtum nondum ſat bene decoctum eſt. Vnde mirabilis huius, & tam delectabilis ebrietatis ſpiritualis æſtus, hominem extra ſe rapit, ad producendos & eructandos aliis amoris effectus, ei planè dominantis, exiſtimantem eodem omnes ardere igne, & eodem quo ipſe inebriari amore. Vide igitur num tales inordinationes quæ hominem magis patientem efficiunt, & extra ſe abductum, quàm purè actiuum, vel tantillum culpabilem illum conſtituant. Super quo mihi multa forent deducenda, ſed ſatis eſt, quod ex iis mentem meam iuxta rectam & luminoſam rationem, ſufficienter aſſequaris.

SECTIO TERTIA.

Quod aſpectus & iugis repræſentatio Saluatoris noſtri, optimum eſt medium, ad purum amorem acquirendum & cuiuſcumque generis virtutem.

SVnt igitur virtutes omnes, quæ debent conferre pulchritudinem, & ſupremum ornamentum homini tuo ſenſitiuo & exte-

riori, in ordine & motu amoris, vt modò explicui; Quare pro fine & scopo in quem æternùm intendas, increatum & infinitum Dei nostri optimi amorem habere debes, tam in eius diuinitate sola, quàm in humanitate diuina Saluatoris nostri Dei & hominis. Eapropter imago eius interior & exterior debet esse in corde tuo altè defixa & impressa, vt eum in amore ardentissimo incunctanter imiteris, nullam præbens requiem amorosæ sed discretæ, & benè ordinatæ actiuitati tuæ: donec totus homo tuus exterior & interior, infinito eius spiritu, amore, charitate, bonitate, dulcedine, humilitate, fortitudine, patientiâ, mansuetudine, denique diuinâ eius similitudine in eminenti harum omnium virtutum gradu superindutus inueniatur. Et huic seriò tibi incumbendum est. Verùm certò scias, quòd si hac ratione procedens, teipsum funditus exuere volueris, non adhærendo Dei in te donis, vt quiescas in illis, (etsi reiicere non oporteat, vt ex iis fructus quem Deus intendit, percipiatur) certò inquam credas breui te supremum Dei amorem consecuturum, à quo potenter actus, æque facilè te in eum & de eo excitabis, ac respiras & halitum emittis. Cuius ratio est, quod cum amor sit infinitus, eius actio, vtique conatui ipsius conueniens, talis & eiusdem facilitatis esse debet. Sed cum non tam hìc de eo agatur, quàm de amore passiuo, verè & penitus in æuum abnegato, tam vt sentiantur, quàm non sentiantur gratiæ & dona Dei, aliàque similia; hoc vltimum nobis multò conuenientiùs est, quia in illo placere Deo, magis quàm in statu præcedenti possumus. Et huic ergo firmo animo accingere nos debemus, nihil prætermittentes faciendum, aut perferendum, nobis possibile, quod non ad Dei amoris nostri beneplacitum adimpleamus.

Hic autem altissimum tibi secretum aperio, scilicet amorem in seipso summè exercitatum ab omni subiecto, dico ab anima in omni suo obiecto quod est Deus, esse infinitè alium in statu & constitutione: quàm operari & viuere secundùm ordinem voluntatis Dei, purè & simpliciter. Et quando eris funditus immersus in vastum infinitum totalis Oceani ipsiusmet amoris, cognosces vtrum, & quare verum dicam, quod in se multa continet arcana, cuius te volui monitum vt minus nobile pro nobiliori dimittas, & quod est minus, imo & multum, vt totum obtineas, res miranda.

SECTIO

SECTIO QVARTA.

Affectionem amoris esse simillimam priuato amori, & consequenter suspectam; nisi comites habeat virtutes, & mortificationem.

MVlta hîc dicenda forent de affectione amoris quantùm ad summam eius cum naturâ plurimorum mollium conformitatem, & vtique difficillimam diuini amoris à naturali discretionem. Qualemcúmque intentionem habeant, non puto me debere credere, amorem ipsorum esse purum, sanctum, & mundum, cum difficile multum sit in iis, quæ valdè expetuntur naturam non inserere, & opponere Dei gaudio, priuatam suam voluptatem, Quod fit à nobis tam subtiliter in operibus & obiectis delectabilibus, quæ spectant ad concupiscibilem, vt obseruare non sit in nobis, adeo cautè & cito ad nos ipsos propendemus & inclinamur in nostram satirfactionem.

Sed vbi de voluptatibus non agitur, nec etiam de bonis adeò sensibilibus, & naturæ congruis non est tam timendum, in his enim sentimus nos satis indifferentes ad habendum aut non habendum, operandum aut non operandum, dandum aut retinendum, sciendum aut nesciendum, reiiciendum aut acceptandum, intelligendum aut ignorandum; tunc certum est rectam & simplicem sufficere intentionem, vt reddat purum amorem nostrum, nostrum desiderium; nostram electionem & exercitium. Certum est tameu, vbicúmque noster appetitus ardens est ad prosequendum aut appetendum hoc vel illud, ardorem hunc naturalem actiuitatem, manifestare nobis argumentorum impuritatem & motuum, consequentérque appetitus nostri. Tunc tutius est non adhærere illico studiis & propensionibus nostris. Imo etiam quantò maius nobis apparet bonum, tantò subtilius à nobis ipsis cauere debemus, existimantibus vtique amorem boni in nobis, respicere Deum altius, in altissima & strictissima vnione nostri totius in eo toto.

In mortificatione autem, humiliatione, contemptu, morte, odio suiipsius æterna resignatione, plena est secnritas, in iis enim cum pro viribus omnibus exercentur, amorem proprium non inueniri indubium est. Et si verum est duo contraria adeò opposita,

vt

vt ſunt viuere, & mori; vita & amor proprius, & mors amórque gratiæ in gratia; eſſe inſociabilia, neceſſe eſt amorem proprium ſuccumbere, & penitus exhauriri, vbi Dei amor penitùs dominatur, tanquam in proprio ſuo regno.

SECTIO QVINTA.

Concluſio & admonitio ad prædicta.

MVlta hîc tibi expoſui profunda ſecreta, valdè recondita, & myſtica, ſed non refert, ſcies & intelliges aliquando Deo dante in vera & theorica ſcientia, ſubſequente in te amorem, ſcientiam & practicam experientiam ſicut in omni anima fideli. Hæc omnia admiranda ſunt, implentque homines diuerſis temporibus ſtupore, exultatione, & iubilatione. Sed quid? Dei ludus eſt in hominibus, miſeris & infelicibus vaſculis, qui pro eo quod fideliter ei ſeruierunt, ad infinitum ipſius amorem, modo & viâ omnino extraordinariâ à ſua Maieſtate admiſſi ſunt.

Contende igitur in melius, vt ſecundum hæc omnia iugiter opereris viuens in exercitatione tua valdè indifferenter, ſtatuens omne tuum gaudium, & omnes delicias in vita & voluptate vnius ſuæ Majeſtatis, viuénſque in ea omnino perditus, non ſecus ac ſi præter illam, & te, amplius nihil eſſet, ſicut ſupra dixi.

Inſuper rationem habe ſubtiliſſimarum omnium manifeſtationum, expreſſionúmque veritatum huius exercitij, nec quid te fugiat, ita tamen vt liberrimus ſis in tua introuerſione, facilémque habeas introitum, non ſolum ad cor tuum & fundum tuum, ſed etiam ad Deum, vt illic ſis inattingibilis, inuulnerabilis, & impaſſibilis. Super quo tibi iterum dico, quod ſi tantum fueris fortunatus, vt illuc præ tuo in dilectum fluxu, omni virium tuarum nauitate peruenias, ſcies vtrum, & cur verum dicam.

Porrò omnis hæc doctrina, & eius experientia, neque per aures, neque per ſenſus ingreditur, ſed omnis huiuſmodi notitia, hi ſenſus, hæc theoria, omne hoc lumen, gaudium eius, & ineffabiles deliciæ; effectus ſunt diuinæ ſapientiæ abundanter infuſæ cum ipſo amore, amorem ſummum & altiſſimã ſapientiam fundentis in anima, quæ eo frequenter mouetur, trahitur, & illuſtratur, tanquam proprio,

proprio vnico, & vniuerſali ornamento, cuius ſplendor & fulgor conſpici non poſſunt, ab iis qui viæ inferioris ſunt abſque profundo ſtupore.

CAPVT QVARTVM.

De exterioribus quæ fieri debent vnicè in amore.

SECTIO PRIMA.

Quomodo ſe gerere oporteat in actione & externa conuerſatione.

CVm tibi aliquid foris fuerit operandum, caue ne tibi ſpecies eius attrahas, præbeáſque cor tuum & affectum, pluſquàm neceſſe eſt, vt illud benè conuenientérque facias. Enimuerò quidquid ſit, rationabiliter timere debemus huiuſmodi exteriora ad nos conuertere, illiſque depingi, & poſt actionem impediri.

Ne quæras negotia, præter ea quæ tibi facienda ſunt ex conditionis debito. In ſpiritualibus tuis exercitationibus eſto imperuius, & occluſus hominibus, quibus hæc nullomodo conueniunt, velut ea quæ penitùs ignorant.

Eſto ſemper æqualiter idem, & lætus intus & foris, plenè & perfectè tuiipſius Dominus, obſeruans fideliter tuos omnes motus, & cogitationes nulli vmquam ſiue internæ ſiue externæ inordinationi, quauis ſubitaneâ leuique perturbatione, aut indiſcretione, quantùm in te erit, locum præbens. Scias ſemper ſecundario fine, quid, & cur operaris, quid eligis vel admittis intra te, Quomodo & quare vt homo tuus, tam interior, quàm exterior ſit excellentiſſimum Dei viuentis templum, theſauris & diuitiis ſpiritualibus plenum, & tale appareat, in ædificationem ſpiritualem tam tuiipſius, quàm creaturarum, cum quibus tibi humanitus eſt tractandum. Idipſum eſt quod effertur eſſe ſummè & excellenter doctum, & moralem, cùm purè doctis & moralibus, de quo nulla tibi præſcribo documenta, quippè docenti (vt Eccleſiæ Dei doctori, & magiſtro) conformiter ad tuam eminentiam, omne quod tibi ſubiectum eſt, quod eo ipſo doctrinâ tuâ illuſtratur & paſcitur. Nec etiam modò de hoc quæritur, ſed de hoc dumtaxat vt cum

tuis similibus & inferioribus agens, cor tuum & spiritum omnibus quæ dicuntur & audiuntur non præbeas, sequens in hoc Sapientis consilium prohibentis cor omnibus quæ proferuntur accommodare. Verùm à modò scis vsquequo recta debeat actio procedere, siquidem vera grauitas cum effectu & ordine conuenientis ei prudentiæ, hoc minimum potest, vtque in Episcopali dignitate constitutus tanquam fax accensa, omnibus excellenti tuo exemplo prælucere debes.

Ne etiam si sit possibile permittas, præsente te detrahi virtuti, filiisque & magistris, aut patribus vitæ spiritus, sustinens eos omnes æqualiter in ordine sanctæ tuæ & grauis prudentiæ. Quod si qui etiam eorum errasse inueniuntur, excusatos habe pro conditione hominum non confirmatorum in gratia, & vtique suis in luminibus errori obnoxiorum. Siquidem huiusmodi, spiritibus, & à spiritibus, magis quàm ab operibus, diiudicari debent; maximè si opera ex se non sunt peccata, quod tamen semper, sicut & quoduis aliud sit tuæ prudentiæ & discretioni dimissum,

Denique nosti quid in his omnibus exterioribus occasionibus, exposcat à te Deus, scilicet vt lux tua sic luceat coram hominibus, vt te videntes glorificent patrem tuum qui in cælis est.

SECTIO SECVNDA.

Quomodo in actione externa, attentio ad Deum haberi potest.

SIc ergo te in tuis exterioribus negotiis habere debes, vt interioris nihil auferant, nec pacis, nec quietis, nec libertatis spiritus, nec tuæ simplicis & affectiuæ cum Deo negotiationis, vtens omni hoc tempore viuis & vnicis aspirationibus paucorum verborum & imaginibus, sed ex te toto acriter eiaculatarum, harum instar: O chare mi amor! ô chara mea vita! quid mihi hìc agendum & tractandum cum hominibus? ha! quàm bonum est, chara mea vita, quàm bonum est adhærere tibi, amorosè, nudè & simpliciter.

Ha! chara mea vita, foris sum, sed tamen intus viuo, pars mei vtique minima, ô chare mi amor, foris versatur, etiam in ordine amoris tui, dum potior vacat tibi, & in te in quo est vita mea, gaudium meum, & omnis voluptas.

Ha:

Ha! si liceret mihi viuere solitarium, etiam corpore, quales deliciæ! Sed si non est hæc amoris tui dispositio, benè sit; modò in hoc ipso tecum amabiliter negotier omni hoc tempore, essentialiter, subtiliter, nudè & simpliciter, aspectibus, suspiriis, & gemitibus amabilibus, & simplicibus conuersionibus, per simplices imagines & inflammatas, quæ me totum in te dilectum meum abripiant.

His inquam similibus vtêris. Imo etiam cum non aliter quàm sic aspirares ex te toto, ô amor meus, pro vna vice. ô mea vita, chara mea vita! ô totalitas mea; chare mi sponse! vnicè te diligam; in te dormio, & cor meum foris vigilat, ne quid in me sit inordinatum. Quæuis huiusmodi aspirationum pro vnâ vice sufficit. Has omnes amoris flammas, & infinitas alias his similes, & ardentiores, quas accendet in te amor, in externis huiusmodi occupationibus vsurpabis. Porrò amor vehementer accensus in suo subiecto, neque scit, neque seruat modum, neque mensuram; quod semper intelligitur saluâ discretione, ad euitandas naturæ inordinationes, tam intus quàm foris, quæ possunt accidere in appetitu rationabili & intellectuali, cum plus amare cupit, quàm possit, & per amorem liceat, ratione indispositionis, & inhabilitatis subiecti in quo est.

SECTIO TERTIA.

Quomodo possunt amoris filij sine præiudicio sui amoris, magni momenti negotia componere, studere, recreare se, &c.

CVm occurret aliquod magni momenti negotium, quod vt conuenienter assequaris & impleas opere, seriam animi tui deposcet attentionem, præsta illam per omne præfixum quod constitues tempus, vt non cogites amplius de eo. Quod si rès est multum difficilis & abstrusa, cum adinueneris media eam, ad finem suum perducendi, optarem te aliqua illius digerere aduersaria, vt his postea speciebus per orationes tuas non oppugnareris; hic modus est optimus ad figendum cor, rerum imaginibus abductum, quas meditari & versare animo necesse fuit. Quod si his adhuc speciebus postea molestaris, tanquam extraneæ & impertinentes

acriter abigendæ ſunt, quod multò faciliùs præſtabis, ſi vt dixi ſcripto facienda redegeris.

Cùm tibi ſtudio aut lectioni erit incumbendum, eſto in iis vt in omnibus aliis ex ordine tui ipſiuſmet amoris in omni puritate & ſanctitate. Auerte oculos ſæpiùs à libro,& ad amorem id eſt ſponſum tuum, hac ſimplici aſpiratione amabiliter conuertere.

Lego & ſtudeo,ô amor meus, & vita mea, non tam vt ſciam & cognoſcam,quàm vt te amem,quatenus doctrinâ & eruditione ſufficienter inſtructus muneris mei onera ſuſtineam.

Peracto cum attentione ſufficienti ad perficiendum negotio, ne ſis vllo pacto de euentu ſollicitus, ſed omnia Deo committe, & quemuis ſortitum fuerit exitum, gratum habe, tanquam proprium ſanctiſſimæ eius & diuinæ voluntatis effectum,

Quod ſpectat ad triſtitiam aut lætitiam, paucis hoc tantùm dicam, ſcilicet cum te penitus, & omne creatum ſupergreſſus fueris, ſtreuuo in Deum per ardentem & iugem amorem fluxu, triſtitiam tantùm à te abfuturam, quantùm illud quod omnino non eſt, quia verax in tua interna occupatione, ſemper & in omni euentu contentus eris, & lætus in omni lætitia, gloria, & felicitate Dei, qui totus tuus erit in omni ſui totalitate: ſed non erit iſtud niſi poſtquam fueris penitus effluxus, transfuſus, & perditus in eum totum: & antequam illuc peruenias, oportet vt teipſum & omnes occurſus qui tibi triſtitiam parere poterunt, infinito amabilis tui appetitus ardore tranſcendas, quod tibi non erit difficile, ſi fidelis fueris.

Satis animaduertis quomodo ab omni circumferentiâ ſpiritus recedo, id eſt ab eo omni quod ſpectat ad eminentem vitam moralem, vt te inducam in ſpiritum Dei, tanquam in proprium tuum centrum, naturale, ſupernaturrle & æternum. Et certè multò mihi foret difficiliùs, ad has procedere multiplices deductiones, quam eleuare te ſimpliciter in abſtractione & puritate vitæ, qualem poſtulat ſpiritus. Adde quòd ita fusè de moralis huius virtutis exercitationibus ſcripſere ſancti, vt in vnoquóque eorum digeſtæ, omnino & diſtributæ inueniantur, ad multiformem vniuſcuiuſque guſtum & ſpiritum. Equidem hìc tibi, ni fallor, eligo remotiſſimum, ſimpliciſſimum, & abſtractiſſimum ſpiritus fluxum, vt nihil habeas huius exercitationis omittendum, quod non ſtre-

nuè

nuè & nauiter exequaris; non quod non sint status, & viæ alterius omnino cursus, abnegationis & exercitij; sed hic & huic similes aptissimi sunt ad reformandam prorsùs, & summè, excellentérque sanctificandam in Deo obiecto suo, animam.

Quando cum domesticis dabis te honestæ alicui recreationi, quodcumque videris pulchrum, & aspectui iucundum, debet te in admirationem Dei mirabilium rapere, qui tanta támque diuersa in gloriam suam, & bonum voluptatémque hominum operatus est, in quo certè amplissimum habes argumentum. Sed præcipuè ad eius bonitatem, amorem, sapientiam, liberalitatem, misericordiam, scientiàm, pulchritudinem, iustitiam, magnitudinem, & infinitam essentiam, omníque creato & creabili incomprehensibilem attende.

Non dico tibi cum fidelibus tuis domesticis, sicut cum amicis esse agendum, cum sit hoc virtutis verè honestæ & moralis proprium.

SECTIO QVARTA.

Regulæ quædam & consilia ad seruandum Dei amorem in actionibus externis.

NOn tantùm nobis est inueniendus, sed etiam possidendus vbique Deus, viuendúmque eius vitâ, & in eius vita, magis quàm in nostra propria viuentes, semper æqualiter in eo immersi, sensúsque nostros internos & externos eapropter vndique diligenter occludentes, ne mors apud nos irrepens thesaurum nostrum, vtique Deum summum nostrum amorem, aut totum, aut secundùm aliquid nobis surripiat. Scio equidem, esse hoc omnia exprimere & complecti, sed amori paucioribus satisfieri nō potest. Quòd si voluntariè minimùm remittitur in sua intentione & actiuitate, iam ampliùs amor non est, quoad omnem suam possibilem nauitatem, consequentérque adhuc minus amor quoad summum; quandoquidem animæ veraciter amanti nedum sufficeret ipse Seraphinorum ardor & amor, vt amori suo, & sibiipsi secundum sui totalitatem satisfaciat.

Amplectere semper medium, tam in te, quàm in aliis. Hic

ordo summè luminosis singulariter hominibus & discretis dumtaxat conuenit.

Quia frequenter pati, & perferre conuenit plus minúsve nostris commodis aduersantia, consequentérque esse humiles abnegatos, sibiipsi omnino mortuos, charitatisque studiosissimos, in similibus alijsque occasionibus in quibus debebis esse tam in actione, quàm in passione mortuus, vtere huiusmodi aspiratione ex intimis cordis tui; Quis me separabit à charitate Iesu Christi amoris mei; quam poteris prosequi vsque ad finem excessiuæ huius Beati Pauli enumerationis, multùm deductæ, reductæ, concisæ, & essentialis, consequentérque aptissimæ & conuenientissimæ puro spiritui charissimum amorem suum ardenter amanti.

Prætereа si veraciter es abstractus, tantùm aberis à reflectione, quantùm à voluntate agendi.

Curabis insuper diligentissimè fugere omnem tentationem, pro vero falsúm non inducendo, & ab apparenti bono, propter eius cum vero affinitatem, cauendo; in quo sicut & in omnibus aliis, magni momenti negotiis facies sapientissimè, si in materiis puræ doctrinæ doctos, & in purè spiritualibus sanctos, sapientésque consulueris. Demum res inspiciendæ sunt, non vt apparent, sed vt reuerà sunt in seipsis.

Nec etiam aliorum casibus, & quidem magis spiritualium & Sanctorum moueri debes; hi enim motus omnes & sensus quibus afficimur in huiusmodi defectibus, aliud nihil sunt, quàm effectus ignorantiæ suiipsius sui nihili, propriæ miseriæ & vilitatis. Et hoc est non solum temerè exire à Deo, & à seipso, ad quærendum apud alios eorum perfectionem, cum periculo, & magno sui amoris dispendio: sed etiam dedere se prædandum Dæmoni & naturæ, vtique & ad grauiores casus imperfectionésque se exponere. Quod si mortuus es (saluo honore tuo propter dignitatem) facillimè credis te ab omnibus, in diem vsque iudicij pessundandum, qui sensus à propriâ vitâ, zelo erroneo, & falsa compassione valdè est alienus: iuxta quem non erit tibi difficile omnem hominem te meliorem, & digniorémque coram Deo credere. Accipe hanc in meo sensu veritatem, & cum sufficienter à Deo fueris intractus, vt ames illum amore languenti, intelliges ad aspectum tuæ nihileitatis, istud ipsammet esse veritatem. Quod est pauciora tibi

tibi subiicere pro eo quod erit necessariò, ratione amoris in se toto, & in te toto.

Sapienter omnino, si in aliquibus defraudare naturam possis, in omnibus eius necessitatibus, sed attende, difficillimum esse, iustum in hoc nancisci medium, idcirco consultum est, magis c. ntra se paululum excedere, quàm pro se, quod tibi iugiter in vsu, sicut & necessaria mortificatio, iuxta ordinem luminosæ tuæ discretionis & prudentiæ, esse debet.

Etsi contemplatio citra comparationem præstat actioni, conuenientissimum erit tibi, & meritissimum, pauperibus pro viribus, & omnibus tuis facultatibus compati, ordine & virtute ardentis tuæ charitatis, maximè verò ægrotantibus & mendicare non valentibus.

SECTIO QVINTA.

Admonitio circa illusiones Dæmonum, & conclusio totius capitis.

Vix exsurgunt somnia purè naturalia & illusiua in cordibus animisque iugi amoris in seipso exercitationi assuefactis & etiam virtutum, in excellenti & eminenti gradu habitibus instructis. Quòd si permittente Deo, oriuntur in huiusmodi animabus, vtique ad earum exercitationem magis quàm ob vllam aliam rationem, supposito inquam quod verè humiles sint. Cùm autem id accidit amor soluto, aut etiam semisoluto somno, destruit & annihilat huiusmodi imagines, phantasmata & sensus in ardore amabilis earum obiecti, cui se vniunt in ipsamet repulsa & suppressione æquè ardenter & amorosè: ac ægrè & amare. Ex quo penitùs expergefactæ, amabiles suos gemitus, per aliquod temporis spatium prosequuntur; contemnentes insuper omnes huiusmodi effectus, sicut & ipsum dæmonem illorum sæpius artificem. Quod si culpabiles se deprehendunt, propter laxiorem & liberiorem in aliquibus viuendi rationem, veniam humiliter à Deo charissimo suo amore petunt, nec amplius de iis cogitant, quieti suæ vacantes, ac si nihil accidisset, nisi quando confiteri tenentur.

Denique capitulum istud, hoc magni momenti lumine concludo, scilicet exterius ex interiori debere procedere, esseque proprium interioris effectum, exteriora in se conuertere successu temporis

temporis, & numquam è contra, quia de iure & ratione est, magis nobile trahere ad se minus nobile, vt illud ex se, & in seipso nobilitet, omnia autem exterioris sensus opera, comparata ad interiora in se sumpta, aliud non sunt quàm plumbum, hæc autem quasi verum & purum aurum. Quòd si fiant in eminenti aliquo acquisiti amoris gradu, sunt in summo quasi veluti adamantia, & pretiosi carbunculi ad aspectum Dei. Sic clarè perspicis in quónam stare debeat bonum tuum, actio tua, vita, & amor, tam intus quàm foris. Quære igitur vbi quærendum est, & scienter consultóque deesse noli; nisi pro creaturarum omnium quæ natæ sunt, vt amor fiant, præ iugi suo amore, erga tam amabilem & desiderabilem sponsum, qualis est tuus, maximè ingratâ, & infidâ haberi velis.

CAPVT QVINTVM.

De Via Mystica.

SECTIO PRIMA.

Diuinam sapientiam huius viæ esse fundamentum, & quam habeant inter se oppositionem via Scholastica & mystica.

SApientia quam Deus cum amore sanctissimi Spiritus infundit in animas, quas ab æterno ad se summè, & excellenter amãdum elegit, mirabilis est & incomprehensibilis in effectuum suorum diuersitate, quos omnes tam multifariè in infinita viarum itinerúmque diuersitate producit, vt huius admirabilis ratione ordinis, dixerit tanquam admirans Sapiens, multiplicationem ingressus sapientiæ quis intellexit. Ecclesiasti. 1.

Idipsum est quod altissimè mirari debent, qui sapientiæ huic omnino mancipati sunt, quatenus magis ac magis diuinis eius generationibus impleantur, donec illis æternùm supereffluant, in omni Diuinitate, de cuius amabili flumine incessanter bibent, in æterna sua siti, repletione & societate.

Hæc inquam est infinita sapientia, cuius Spiritus sanctus infinitè essentiam

essentiam exaltat & effectus; & hoc vtique fundamento adeo stabili & firmo, quod potuerimus de via Mystica nobis dicendum est.

Non est tamen mea mens ingredi nunc altissimam hanc abyssum, neque loqui de infinita profunditate & altitudine ipsius essentiæ, inintelligibiliúmque effectuum, quos in suis operatur alumnis: vt enim in eam ipsam, ad totalitatem eius transmutati sunt, & omni creato perditi; eorum altitudo & eminentia attingi non potest, etiam eodem fluxu spiritus qui fluit in eis. Mens igitur mea est, ostendere dumtaxat meliorem, vtiliorem, & magis proficuam, breuiorémque & compendiosiorem viam, quâ perueniatur ad mysticam sapientiam, super quo rationum infinitarum, quæ fundi huius maiorem extensionem, circumferentiámque componunt, ambitum prætermitto.

Itaque viarum quæ illuc deducunt, aliæ sunt remotiores, aliæ proximiores, sed naturæ & eruditis maximè consona est speculatio scientificè elicita, cum appetitus dulcedine & voluptate, qua ascendunt ad Deum quomodo possunt, vt eum cognoscant, id est à rebus visibilibus ad intellectuales & inuisibiles, & ad Deum ipsum, vt eum amare possint horum subsidio luminum.

Omnes autem qui hanc sequuntur viam, quam vocant Scholasticam, numquam absque miraculo perueniunt ad viam mysticam, nec ad excellentiam diuinarum huiusmodi vnionum, transformationum, notionum, simplicitatis, & aliorum plurimorum effectuum, qui amorem infinitum, gaudium & delicias, ad totalitatem creaturæ operantur. Hi inquam nesciunt, nec scient vnquam quid sit Spiritus, & quantum Deus suauis est, & amabilis iis qui in immenso eius igne fusi sunt; quod si quando tenui aliquo diuinæ claritatis radio collustrantur, mirum quidem est, sed multò magis mirandum, eos ex hoc non effici amantes Dei, qui eos amabili sua claritate dignatur, cum enim hic radius cordis eorum & sensuum superficiem dumtaxat attingat, huic quidem veraciter intendunt & reuerenter omni hoc tempore, sed eo elapso statim reuertuntur ad primam suam viuendi, intelligendi, & agendi rationem, in impetu vitæ suæ rationabilis & sensibilis, in ordine & actione scientificæ speculationis, vndè numquam intelligent:

in hac vita quid ſit perdere ſe in Deum, & hærebunt ſemper in proprio conatu, & induſtria, nec vnquam tranſcendent vitam purè moralem, ad cuius faſtigium mirum erit, ſi vnquam peruenire poſſint.

Via myſtica in ſeipſa huic omnino contraria eſt, ſi enim quibuſdam vtitur conſiderationibus in initio, ita ſe habet in illis, vt voluntati omnino conuenientes ſint, ſicque dimittens huiuſmodi conſiderationes, voluntatem accendit omnibus omnis generis affectionibus, conformiter ad eas quæ præſentiores ipſi ſunt, tanquam conſiderationis eius partus. Et hæ ſic excitatæ ab huiuſmodi perſonis affectiones, ſibi inuicem ſuccedunt non ſecus ac catenæ vnius annuli, & prima affectio extenditur, & diffunditur in ſeipſa conformiter ad ordinem, & effectum veræ praxis; & indè manat alia alteriùs generis, & deinde adhuc alia; ſicque conſequenter ſecundùm ardorem appetitus operantis. Et huiuſmodi ſic concatenatarum affectionum ſubiecta, ſunt aut neceſſariæ virtutes, aut amor, qui eſt ſtimulus, nutritius, fotor, magiſter, ſanctificator, & totalitas moralium virtutum, ad ſplendorem, & ornamentum ſpiritus neceſſariarum.

Licèt autem hæc myſtica via ſit verè ſimplicium, huius tamen non ſunt omnino incapaces bonæ indolis eruditi, qui quærere ſe nolunt, & ſcientiam naturalem nihili ducunt, vt magis nociuam, quàm vtilem & proficuam amori ſimplici, puro & vnico, non enim maior illis cura eſt de ſcientiis ſuis, quàm de eo quod non eſt, nec illis vtuntur niſi ſuo tempore, & loco, ad docendum, diſputandum, aut concionandum, poſt quæ vacant ſimplici contemplationi operum Dei: infinitæ eius eſſentiæ in ſua veritate, aut in fœcunditate naturæ: perſonarum productarum, & ex hac fœcunditate emanantium, huius quidem viâ generationis diuinæ & æternæ, alterius verò proceſſionis à duabus primis. Quod eminenti, & quodammodo extaticæ contemplationi conuenit, quâ plus aguntur quàm agunt qui ad eam ſublimati ſunt, ſi talis eſt eleuatio qualem ſuppono.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

De altiſſima ſimplicium contemplatione, & quæ ſit eorum occupatio extra diuinum motum & attractionem.

ETiamſi ſpeculatio tam ſpiritualis, quàm naturalis perfectionum,& eſſentiæ Dei pro contẽplatione habeatur & reputetur, vt modò dixi,attamen dicimus contemplationem fieri in ſtabilitate fixæ mentis,ſummè eleuatæ, altè perfuſæ & abreptæ,prorſus adhærentis Deo, firmo intuitu, cuius pulchritudo, & ſuauitas animam abducunt: ſaltem ſupra ſe, & omne creatum, quod tamdiu durat,quamdiu & iſte impetus: ſic eam docti Myſtæ aut non abſimili modo definiunt.

Nihilominus autem Deus, perfectiones eius, & amor illius ſimpliciter ſpiritualitérque conſideratus, effectus ſunt & ſigna multum prouectæ, & proficientis animæ, in via amoris. Sed non omni amanti datur ſic poſſe ſimpliciter ſpeculari, at iis dumtaxat qui ſcientiâ aliquâ, & doctrinâ inſtructi, eâ vtique tanquam ſimplici inſtrumento, ad hanc ſimplicem, amabilem, & vnicam ſpeculationem vtuntur.

Sed ſimplices non carent contemplatione,neque in Deo,neque in eius amore egreſſo, & omnibus effectis ipſius tam ſecundum gratiam, quàm ſecundum naturam, quod eos ita auocat à ſeipſis, vt illic penitus immerſi & perditi ſint, ex quo nonnulli eorum rariſſimè ad ſe redeunt, & qui via communi huius ſtatus incedunt ab eo ſe ſentientes abductos, illico ſe immergunt, & agunt præcipites in hunc diuinum oceanum, in quo eſt verum gaudium, & vera vita, eô quod aſpectus, & ſenſus eorum quæ de foris ſunt, morte illis crudeliores ſunt.

Poſito autem quod illi liberi ſint, nec actu, potenti & extraordinario Dei motu rapti, communis eorum exercitatio eſt aſpirare in Deum, quàm maximè amabiliter, ardenter, & eſſentialiter poſſunt; Quod ipſis tam facilè eſt,& ferè æque ordinarium ac reſpirare, & aſpirare, propter contractum & multoties iteratum habitum.

Hi iam in omnem Dei amplitudinem exceſsêre, nec habent ampliùs aliam quàm eius vitam,neque alium quàm eius ſpiritum,& eorum ſublimis excellentia talis concipi non poteſt qualis eſt.

Variæ autem sunt aspirationum species illis conuenientes, aliæ sunt simpliciores, & remotiores, pro iis qui in sensibus magis versantur, aliæ excellentiores pro iis qui naturali præstant ingenio, eleuatione, lumine, & amore theorico, aliæ adhuc iis excellentiores pro prouectioribus. Denique sunt & aliæ pro animabus funditùs perditis, quarum omnium author, motor, & magister est Spiritus sanctus. Adeò vt huiusmodi homines, & hæc vita, & via diuina, veram efficiens contemplationem ita perditam, suauem, & delectabilem in Dei totalitate, sint deliciæ Dei in terra; & hæc ipsamet vita summè veracitérque contemplatiua, est etiam eorum paradisus in hoc inferiori mundo.

Est igitur negotiatio amoris ardentis, quæ talium est via & exercitatio, per quam illis Deus obuiam occurrit, sicut & illi Deo celeriter occurrunt. Illicque subeunt arctissimi ineffabilésque amantis ad dilectam complexus, in amore, & ineffabili suauitate Dei totius, quod tam sæpè frequentérque quibusdam temporibus accidit, vt mirum valdè sit quomodo tales animæ possint viuere in huiusmodi congressibus tam suauibus & amorosis, & plerúmque valdè rapidis & vehementibus.

SECTIO TERTIA.

Mirabilis animæ in Deum perditio, quem nudè supra amorem amat.

HÆc via mystica, prout, & omnino aliter quàm modò exposuimus, meritò deberet esse via omnium hominum electorum ad cognoscendum Deum, & eum excellenter amandum, non verò alia, quam etiam leuiter & per transennam attigimus, cum huius verum sit obex, & impedimentum. Sed quid? adeo pleni sunt seipsis homines, & amore proprio in hac vita, consequentérque adeò tenebrosi, vt Deus eis appropinquare non possit, si ita loqui licet, vt illuminet illos radio suo viuifico & extraordinario. Qui verò à sua Majestate ad tam nobilem electi sunt statum, maiorem in eo dant ipsi gloriam in hoc mundo, quàm cogitari possit, hic addiscitur scientia mystica, sed citò, licet de ea exprimi nihil possit ad eius eminentiam infinitam; Quidam Sancti de ea

de ea ſcripsêre mirabilia, quæ tamen omnia nihil ſunt, ſi cum illâ prout eſt in ſe comparentur. Hîc induuntur Deo, & omnibus eius proprietatibus tanquam veſtimento. Hîc docti efficiuntur, & diuinis generationibus implentur. Hîc inceſſanter venit Deus de nouo in animam, & anima viciſſim in Deum vadit ex omni ſuo appetitu. Demum tota hîc creatura in æterno eius pelago omnino transfuſa eſt; fitque iſtud, & poſſidetur in creatura, ſupra ipſam.

Sed hæc omnia non tanti ducimus, relinquentes ea qualia ſunt, ſupra omnem diſcretionem, & conſiderationem huius aut illius, habitantes proprium noſtrum fundum, aut potiùs Deum infinitum in ipſo, ſummè intenti fixæ eius contemplationi, acutiſſimo, ſimpliciſſimo, & ardentiſſimo obtutu, qui ſubtiliſſimus eſt, perditiſſimus, & ſimpliciſſimus apud ſummè perfectos, in ſupereminenti eorum ſtatu. Sed vt dixi iſtud eſt cui minus attenditur, & Deum quem videmus, & qui nos inceſſanter rapit, dumtaxat intendimus, dico vt ei placeamus, nos tam intus, quàm foris fideliter obſeruantes. Qua ratione ſupra amorem ſumus amantes, etſi non ſimus ſine amore, imo in amore infinito, qui ſimpliciſſimus eſt intus & extra nos.

Da veniam ſi placet exceſſui meo, ſed non adeo refert, ſiquidem oculis tuis ſubiectus ſum Hanc tibi volui omnem exhibere deductionem, valdè ſecretam & abſconditam, vt in veritate plus & minus agnoſcas, & vile à pretioſo diſcernas, téque verè amantem ipſiuſmet amoris efficias, his quæ hîc meliora ſunt, & tibi conuenientiora mediante amoroſo tuo appetitu. Quo feliciter ſuccedente, vt ex toto corde ſperare debes, primùm dabis te ad cognoſcendum in amore, & deinde alio ſucceſſu efficieris amans ſupra cognitionem, in omni cognitione, quæ haberi poſſit obiecti amabilis in ſeipſo, in maxima luminum, guſtuúmque abundantia. Vnde colligis quanti intereſt amorem ipſum in omni humilitate & reuerentia, & tamen cum plenâ confidentiâ in ardenti & feruido amore exercere. Varij enim ſunt diſpoſitionis gradus propter hoc in habitu ipſiuſmet amoris tam infuſi quàm acquiſiti, iuxta ordinem effectiuum diuerſorum ſucceſſuum effectuum, & motuum, amoroſi Dei fluxus in animam.

Cæterùm non tantum hîc ponderanda eſt amoris plenitudo, in

qua plus patimur quàm agimus. quantum ſubſtractio huius fluxus in qua non ſupereſt quidquam animæ præter ſimplicem fortémque habitum ipſiuſmet amoris,efficientem & operantem amorem, in eminentia ſui ſuperleuati fundi, vbi ſpiritus & intelligentia, & potior nobiliórque animæ pars reſidet, vt iugiter contempletur Deum, eùmque intueatur quantùm, & quo poteſt modo videri in hac vita, quæ tamen conſtitutio in valdè differenti gradatione inuenitur.

Nouiſſimi etiam huius ſtatus, nullis rebus creatis, neque vllâ ſubtili earum proprietate detinentur, & impediuntur, vnde manent ſemper æqualiter intenti fruitioni infinitæ pulchritudinis, quæ eos ex ſe, & de ſe abripit, & hoc ipſo fortes ſunt & generoſi, vt ſeipſos, & omnia tranſgrediantur, etiam atrociora tormenta, non obſtante ſimpli ſpiritus ſui nuditate, quod ad verum,purum,& eſſentialem amorem pertinet.

Eſt igitur ſubſtractio quæ magis conſideranda eſt, & exponenda verè proficientibus, cùm abundantia vt diximus, tantùm conueniat infantibus; Et ſi viſus eſt aliquando torrens diuini amoris per diuturnum tempus plurimos inundare amantes, multi emêre huiuſmodi blanditias eorúmque corpora graui alicui cruci iugiter affixa fuêre, cuius ſunt rationes infinitæ.

Quod ſpectat ad nos qui de vulgo ſumus, valdè indignè, & à longè, noſtrum eſt pro viribus operari, ſecundùm ordinariam & tritam verè myſticorum viam, ad imitationem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, in omnibus nobis, cui non poſſumus eſſe tam perfectè conformes, in totalitate vitæ noſtræ exterioris & interioris, vt magis adhuc fieri non poſſimus, ſatis ſcientes optimum lectiſſimúmque vitæ amoris,& efficaciſſimum medium tranſmutandi hîc amabiliter amatum in amantem, eſſe plenam & æternam conformitatem ſui totius, ipſimet amori; itaut in hoc ipſo vtique in crucibus quæ ſibi inuicem frequentiſſimè ſuccedunt, ad has Apoſtoli erumpamus voces, *Quis nos ſeparabit à Ieſu Chriſto, tribulatio? an perſecutio? an gladius?* Sic vbi amor eſt, aut minor aut maximus, talis quoque eſt eius fortitudo, de quo infinita mihi dicenda forent, ad exponenda tibi varia incommoda, oppugnationes, caſus, & miſerias, debilium, & inertium huius amoris militum. Sed authorum ſcripta his referta ſunt. Tuum eſt obſeruare quid amori

debeas,

debeas amori, vt ei semper, & in omni euentu restituas, nec vel vno puncto deficias.

SECTIO QVINTA.

Continuatio præcedentis materiæ, vbi puri amoris virtus ostenditur.

QVi notabiliter in huiusmodi viis progressi sunt, ex hoc, non indigent vt ipsis fusè, & latè exponantur varij euentus & occursus, quibus præmonendi sunt, nondum ablactati infantes, qui primum ingrediuntur hanc puri amoris viam, quod ingenuè subiecit Apostolus dicens, se cum primùm factus est vir, euacuâsse quæ erant paruuli, quod magna complectitur & ostendit in operibus tam actiuis, quàm passiuis, verè amantis Deum.

Dico igitur verum amantem multò fortiorem esse quàm putat in sua desertione, adeò vt plerúmque cum se prostratum credit, stet in pedes, victor perfectè suiipsius, naturæ, & etiam Dæmonum. O Deus! quàm miseri sumus & indigentes, cùm soli relinquimur, sed quam robusti & diuites, cùm circundamur vndique à charissimo nostro amore, licet nesciamus, est enim ordo secretissimus ipsiusmet nostri amoris, qui vt nos in nostra puritate & diuitiis nostris tueatur, substrahit nobis aspectum, & scientiam donorum suorum, suique ipsius, imò aliquando etiam fidei, spei & charitatis erga se.

Porrò hi sunt languores, in quibus iustus ex fide viuit, & simplex puráque charitas facit eum Deo perenniter adhærere, modo simplici, & nudo pluris ducentem amarum calicem, & duram crucem, cum omnibus quæ eum intus & foris potenter affligunt, pretiosis omnibus donis, quæ Deus vmquam illi contulit, aut conferre potest, vt maneat hoc omni tantæ desolationis tempore, firmiter immobilis in Deo charissimo suo amore. Et supposito quod pessimis, importunisque tentationibus impugnetur, hoc ipso foris tantùm, & extra se affligitur intus autem securus est in pace diuina.

En igitur ad quod creati sumus ad redeundum & refluendum in nostrum infinitum amorem actiuè, ardenter, incomparabiliter, purè, & incessanter, mediante tamen actiuo ipsius, potentérque in nobis

nobis efficaci amore, secus non; & hæc omnia secundum ordinem & effectum amoris ipsius in nos, & nostri respectiuè in eum. Cuius gratiâ, omnia nostra conferre & impendere amorosè debemus, nihil enim vmquam fuisse & contulisse poterimus, quod possit vices rependere, & satisfacere infinito amori nostro, ante quem omnis creatura mendax est, & homo nihilum.

Angeli & homines infinitè plus Deo debent quàm habent, & possunt; & si possent infinitè, hoc ipsum deberent impendere Majestati suæ infinitæ, incessanter, fortiter, & purè, ad exigentiam reciproci & mutui amoris creaturæ erga suum creatorem: sed quia istud esse non potest, cum simus tam arctis finiti limitibus & terminis; demus saltem illi omne suum, & omne nostrum, sine exceptione & restrictione, & absque indulgentia erga nos, saluâ tamen semper discretione.

Quod autem te attinet, amor in suis effectibus extenditur extra, & intra te, secundum verum eminentis tuæ dignitatis munus, ordinémque eorum omnium quæ debes ouibus tuis, & filiis vt verus pater, & naturalis pastor, in quocumque tempore, Amodo scis quomodo & cur istud esse debeat, bonúmque ex omnium partium suarum integritate, constare, sicut & malum ex minori oritur defectu.

Cæterùm non est horum omnium speculata scientia, quæ te beatum facere debet, sed gustus Dei ipsius, qui se gustandum præbet veris suis amantibus in suiipsius totalitate, præ quo reliquum omne mors est, atque mendacium. Quòd autem his omnibus abundantiùs dici potest, latè fuit expositum ab omnibus Mystis præcellentibus, sed tam minutis non indiges inductionibus, satis agnoscens plus & minus in eminenti toto; Quod si minoris egeres, recurrendum tibi esset ad huiusmodi scripta, quæ sunt diuersimode lata & stricta, latéque & strictè theorica & practica, Dicam tamen liberè, alia te non reperturum adeò reducta, & concisa, nec tam puræ praxis, non quod non potuissent authores, sed quia de facto non fecêre. Hæc enim exercitia continent & ostendunt quæcúmque dici possunt in purissimo ipsorum spiritu, fundique latitudine, & eminentia. Sensus illorum suauiores sunt, magis penetrantes & compendiosiores quàm possit concipi, cuius ratio sita est in latitudine, & altitudine spiritus redigentis, & contrahentis omne

omne quod eſt theoricum fermè ad ſuos conceptus ſic conciſos & reductos: quoram fluxus & expreſſio,tantùm profunda eſt,quantùm lata & ſupereminens,adeò vt idipſum,manna ſit ſuauiſſimum, & ei qui dat, & ei qui accipit.

CAPVT SEXTVM.

De Aſpiratione.

SECTIO PRIMA.

Deſinitio Aſpirationis cum primis eius exercitationibus.

HIc igitur conuenit nobis reducere viam Myſticam in ſeipſam, vtique ordine exercitationis & praxis, ſed antequam ad illud procedamus aliquid nobis de aſpirationis effectu dicendum eſt, quod quidem ipsâ eius definitione patebit. Aſpiratio igitur non eſt tantùm affectuoſum colloquium, licet hoc ipſum, optimum ſit exercitium, vnde etiam oritur & manat aſpiratio; ſed aſpiratio eſt amabilis & inflammata cordis & ſpiritus eiaculatio per quam anima ſeipſam protinùs, & omne creatum tranſcendens, arctè ſe Deo vnit in amabilis ſuæ expreſſionis impetu, quæ expreſſio ſic eſſentialiter facta, ſuperat omnem amorem ſenſibilem, rationalem, intellectualem, & comprehenſibilem, pertingens vehementiâ ſpiritus Dei, ſuique conatus, ad diuinam vnionem, non qualitercumque, ſed per ſubitaneam transformationem ſpiritus in Deum. Spiritus inquam ſuperat in Deo ipſo omnem amorem cognoſcibilem, & intelligibilem, in abundantia & ineffabili ſuauitate Dei ipſius, in quo amabiliter eſt abſorptus. Hæc eſt aſpiratio eſſentialis in ſeipſa, in ſua cauſa, & in ſuo effectu.

Adeò eſt excellens hæc aſpirationis via, latè exercitata, colloquio familiari, reuerenti,facili, & amoroſo, animam in Deum efferente, vt breuî, qui eâ vſus fuerit, peruenturus ſit ad perfectionis ſummam, & futurus ipſius amoris amans.

Oportet autem aſpirationem iugis exercitij & praxis, ſuccedere

meditationi & affectiuæ, facilique orationi, dico affectiuæ, & facili, vt ostendam hîc non esse implendum curiositatibus intellectum, sed postquam opera diuina apprehendit, ad se conuertit, considerauit, & sufficienter agnouit, debet ea subiicere voluntati, vt iis inflammetur, & tanquam proprio pabulo nutriatur. Et quemadmodum qui cane ad venandum vtitur, cum prædam inuasit, non eam illi permittit in escam prædatitiam, ita nec intellectus debet plusquam oportet, nec aliter, frui excitato lumine, & veritate exploratâ, nec ei dimittenda est vt placuerit dilatanda, sed cum eam sufficienter penetrauit, debet eam sibi voluntas in proprium & supernaturale alimentum assumere, vt se eâ excitet, & inflammet, secundum omnem virtutis suæ extensionem. De quo multa haberem dicenda, sed hæc humiliora sunt, & nimis effusa in ipsa materia. Hoc Mystæ præstiterunt satis abundè qui prima diuinæ huius scientiæ elementa & institutiones tradidêre. Inter quos maximè R. P. Granatensis. Hoc solùm hîc dicemus, voluntatem omnes huius exercitationis, vt ita dicam, obtinere partes, etsi conuenientissimum sit, considerationem per longum tempus præcedere aspirationem, id est affectionem indigere præcedenti intellectus motu, luminosâque representatione, post quæ lumen illud statim amplectitur, séque eo, in ordine amoris Dei, excitat, & accendit.

SECTIO SECVNDA.

Quinam sint ad hoc aspirationis exercitium idonei, & eius mirabiles effectus.

QVi singulariter proficiunt in hac diuina scientia, citò apti sunt ad hanc aspirationis exercitationem, maximè si naturam habent affectiuam. Sunt enim nonnulli ad hanc nunquam idonei, qui Deo vacant, & in Deo, simplici & amorosâ speculatione, quæ adhuc excellentissima est via Mystica, vt capite præcedenti ostendimus. Cæterùm multùm refert, quod non citiùs, nec prius quàm dixi, suscipiatur hoc exercitium, quod tamen in extensione sua laxiori diuersos recipit gradus. Quòd si quis seriò dare se velit amori prædandum, breui sufficienter instituetur in hac diuina scientia, vt negotietur

negotietur cum ipsomet amore, in ordine omnium eius exercitationum, & succedentium graduum.

Porrò amor medium est ad amorem, minus præcellens ad excellentiorem, & hic iterum ad supremum, summósque & vltimos amoris actiui effectus, quæ omnia media gradúsque, habent suam singulariter theoriam & praxim, & omnia maximè postrema, habent contemplationem leuem, subtilem, altam, profundam, latam, simplicem, vnicam, & eminentem, in obiecto ipsiusmet amoris, quod semper vt ita dicam potenter agit, rapitque fortiter subiectum.

Sed ingressus in hanc viam facilis est affectiuis, & difficilis nullo modo affectiuis, itaque alij notitiâ pulchritudinis obiecti facillimè rapiuntur, alij absque tanta notitia ad amandum abripiuntur; quia obiectum quod eos vehementer trahit, voluntatem eorum simul cum intellectu rapide inuoluit. Et quidem hic amor in multis adeo fortis est, vt amabilem amoris sinum sola voluntas ingrediatur, vbi eum degustat supra omnem intelligentiam ineffabiliter, & supra omnem expressionem. Manente interim intellectu foris ad ianuam, quasi attonito, & ab actione sua suspenso.

Hæc sunt opera, fluxus amoris rapidè in amantes fluentis, qui eas rapit, inundat, & in medio fluctuum suorum inuoluit, vbi sunt vnum cum eo, eius spiritus, & Deitas, quantùm creatura potest esse in hac vita. Ibi nihil est præteritum, nihil futurum, nihil etiam æternum, sed omnia præsentia sunt, in hoc delectabili pelago; vndè egressus & in se reuersus spiritus, minorem se sentit, & videt minimo puncto, & atomo. Ex quo conatum suum non in se sed in Deum vehementius erigit, in cuius lata infinitè extensione, optat immergere se, vt viuat tam ipsius vitâ, quàm suâ propriâ.

Sic amor iste, suus est sibimet effectus, adeo supernaturalis & diuinus in Deo, vt sit & medium, & simul finis: medium quidem quia creatura suum amorosè confert, finis autem, quia hîc quiescit in amore, gaudio, & deliciis ineffabilibus, ad aspectum mirabilis pulchritudinis Dei, eam in sinu suo delectabili quasi sopitam habentis, & hoc supra omnem formarum, & similitudinum expressionem.

SECTIO TERTIA.

Quid vitandum in hoc aſpirationis exercitio: Et quomodo in illud introeundum.

QVod hîc vitandum eſt maximè in initio huius excercitationis, eſt nimia contentio, non ſolum capitis, ſed etiam cordis. Hoc enim fortè animam efficeret inhabilem ad tam nobile & præcellens exercitium, quod tam perfectè, támque facile & potenter conciliat vnionem vltra vnionem, ſi ſic loqui licet amantis creaturæ cum Deo beato ſuo amante. Hoc multùm eſt obſeruandum, & ſedulò euitandum dico ſic vltra menſuram vires intendere, maximè ad ſuam priuatam voluptatem, quod eſſet iniquum & ipſo amore indignum. Licèt enim huiuſmodi eleuationes ſint Dei in creatura, & viciſſim creaturæ in Deo bonum: vult tamen diuina Majeſtas ſufficientes ſibi vires retinere quemlibet, ad obeunda vitæ humanæ miniſteria, & officij proprij, conditioníſque munia.

Quod ſpectat ad multifarios motus, inuaſiones, impetus, raptus, & extaſes, quæ ſeipſo Deus operatur in dilecta ſponſa, ſuſtinendus eſt, Dominus enim eſt, qui vtique frui debet excellenti ſuo dominio, ſuâ videlicet ſponsâ, quæ ſe videns à ſua Majeſtate ſic dilectam, & in deliciis habitam, perferre eum, quibuſuis ſumptibus & pati debet. O quam dulcis mors, dulcem adeò vitam exciperet, ſi illic mori contingeret!

Quod igitur in hac via diuina conuenit tibi faciendum, eſt contendere eam à longè ingredi colloquijs amabilibus, quibus debes te commouere ad amandum ipſummet in ſeipſo amorem, ſuper omnes amoris eius effectus naturæ, gratiæ, & gloriæ. Et ſicut homines inuicem colloquuntur, ſtupentes ad effectus bonitatis alicuius regis, maximè ſi excedentes ſunt, rari, & mirabiles: ſic, ſed à fortiori omnes homines, & tu ſingulariter, mirari debent & obſtupeſcere ad infinita quæ vident & videre debent prodigia Dei noſtri boni, in amore ipſius extatico in ſeipſo qui tam variis adeò ſupernaturalibus modis egreſſus eſt ad nos, viles & miſeros, in gloriam ſuam infinitam, bonúmque noſtrum infinitum; adeo vt ſicut in eo ſumus, viuimus, & mouemur; ſic in eum ſtrenuo

& indefesso amore refluere debemus, non tantum vt eum excellenter agnoscamus, sed etiam ardentissimè, & iugiter amemus, eóque fruamur in omnibus nobis, excellenter, plenè, & perenniter, expectantes plenam & consummatam possessionem nostram beatificam in immensitate totalitatis ipsius, & in amabili fornace, infinitè lata, & ardentè ignis eius infiniti, post miseram hanc vitam. Siquidem illa quantumcúmque sancta & amorosa, satis ostendit, & experientiâ probat viatores nos esse, consequentérque nobis nihil esse miserius.

Porro exhibitâ tibi tam abundè excellentiâ verorum Mysticorum, in via mystica, modisque in eam vtiliter introëundi, proficiendi, & finiendi, saltem secundum ipsius latitudinem, cum cautionibus ad vitanda damna & pericula; hîc tibi insuper practicæ aspirationis specimen relinquo, quæ te feliciter quasi manuducet in hac via tam sancta, tam amabili & delectabili omni animæ scienti & volenti eam suis sumptibus & impensis, obire.

SECTIO QVARTA.

Exercitium aspirationis conueniens animæ incipienti Deo interius vacare.

QVid tibi ô Domine Deus meus cum vniuerso orbe creando, cùm ex hoc non sis in te ipso beatior?

Numquid non tibi ipsi sufficiebas ad tuam infinitam beatitudinem, absque eo quod per creationem te tam diuersis creaturis communicares, quas noueras maximam partem, tanto dono numquam vsuras in vtilitatem suam. O bonitas, ô immense amor! educere voluisti ex æternis tuis ideis, has creaturas in euidentiam suiipsarum, vt te cognoscerent, amarent, & semper operentur conformiter ad excellentem tuum amorem.

Vtique eas creasti vt non cognoscerent, neque amarent aliud præter te, super omnia alia, vt hoc modo semper æqualiter insignitæ manerent diuinâ tuâ similitudine, quæ est earum pulchritudo, & supernaturale complementum. Quidnam est hoc ô amator hominum & Angelorum? quanta distantia entis ad non ens & nihilum, ex quo mundum hunc omnem extraxisti, in tantam,

támque ſublimem quam habet excellentiam. Si mirari hoc Angelis conuenit in infinita infinitate amoris & pulchritudinis Maieſtatis tuæ, quantò magis nobis, qui in comparatione Angelicæ naturæ nihil ſumus.

Eia benè ſit, ipſi & nos mirabiles ſumus effectus amoris tui exceſſiui, & excedentis in te ipſo, in Angelis beatis & ſanctis hominibus. Illic operaris effectus, qui omnes ſufficientes ſunt ad annihilandum homines tuæ operationi in ſeipſis non reſpondentes, accipientes omnia dona tua, & accepta omnia corrumpentes, vtique ea, & ſe, ad vſus peruerſos vſurpantes.

Interim, ô amor meus, contenti ſunt & quieti in naturalibus ſuis bonis & commodis, abſque vlla tui conſideratione, qui eſſe eorum es, & omne bonum.

Ego autem Domine, quiſnam ſum, & vndénam per creationem, & recreationem eduxiſti me, ex limo, & de terra, in qua verè pauperior eram ipſamet paupertate, quantùm ad veram intelligentiam & operationem amoris, & hoc Domine, vt inter principes populi tui electi, & dilecti me collocares.

O amor, ô bonitas, ô miſericordia immenſa, ô Majeſtas infinita, quæ imples omnia, & ſanctificas omnem hominem venientem in hunc mundum, & quæ non diligis mundum.

Quis dabit tibi terminos & limites, in eo ipſo quod operatus es in me, & quod vtique ſum? nemo Domine, nemo poteſt; infinitè enim ſentio me deuinctum infinitæ Maieſtati tuæ, tam ratione eius, quod in ſeipſa eſt, quàm beneficiorum omnium vſque nunc ab ea acceptorum ad completum bene eſſe meum, tam ſecundum gratiam, quàm ſecundum naturam.

Si naturæ dona recenſere volo, coram Majeſtate tua, quot reticebo veritates, & ſubiecta admiratione digna? ſi gratiæ, etiam ſupra communia recreationis, baptiſmi, & electionis munera, quomodo procedam, cum id ipſum ſit quod tam parum promerui, ſed nec promereri potui, abſque ſpeciali gratia tua & amore. Non amor meus, & vita mea, ſuper hoc obmuteſco in admiratione mea, cum nihil habeam meum, & ſi quid habeo ſcilicet meipſum, adeò pauper ſum & corruptibilis; vt meipſum continuò immergam in omnis corruptionis abyſſum, ideſt peccatum.

Sed ô chara mea vita, & chare mi amor, quandoquidē meipſum

mihi

mihi dediſti, vtique libero meo arbitrio: eo ipſo reddo meipſum tibi, in purum & perennè holocauſtum, quantùm in me eſt, infinitéque doleo te tam ſero cognouiſſe & amauiſſe, ô tam noua & & æterna veritas. O quàm ſæpe creaturæ in laxiori ſua vita petierunt à me, vbi eſt Deus tuus? quibus reſpondebam quod non erat conueniens. Tu enim in me es, tanquam in proprio tuo regno, & tamen non ſemper ſciui ſcientiâ & amore efficaci, qui me liberè coëgiſſet vt te quærerem, cognoſcerem, ſentirem, amarem, & poſſiderem apud me, tanquam in proprij regni tui ſede, cuius tibi ſanctificatio in deſideriis ab æterno fuit. Hoc eſt chare mi amor quod infinitè doleo.

Ha! quæ maior poteſt excogitari miſeria, quàm ſibi viuere, & ad ſe, & non operari & intendere ad amorem Dei perfectiuum in ſeipſo.

Quid eſt hoc, ô vita mea, dixiſſe te mihi vt perfectus eſſem & ſanctus ſicut tu es, & tamen ac ſi te non audiuiſſem, huic nullo modo operam me dediſſe.

Sed chare mi amor, & chara mea vita, damnum meum ægrè ferens, non in me, ſed in te per me, cupio nunc ſtrenuè operi manum admouere, quod præſtabo abſque venia, & indulgentia erga me.

Iam nunc refluere volo in te, omni virium mearum internarum actiuitate, & toto corde meo; vt te quouis pretio perenniter amem.

Heu! heu! chare mi amor, olim cor meum iugiter æſtuauit velut mare ſæuis tempeſtatibus agitatum, vnde inſtabilis eram, & ſine quiete cordis, ignarus cauſæ miſeriarum mearum.

Ha! chare mi amor, & chara mea vita, quid eſt de corde quod non applicatur ad amandum te, niſi latronum omnis generis latibulum, quorum vnuſquiſque raptat & diſtrahit illud, quo partem ſuam obtineat, adeò vt homo ſic propriis voluntariiſque hoſpitibus miſerè dilaceratus miſer ſit ſupra miſeriam omnem in captiuitate ſua, cui quiſque inuigilat, ne eum præda effugiat.

O millies & millies inexcogitanda hominum miſeria, tantò miſeriorum, quantò ſibi in ſua miſerabili ſeruitute complacent, quærentium, & exoptantium tot & tantis infelicibus dominis ſe mancipare.

Eia


Eia mi amor, & vita mea, quandoquidem tuâ miſericordiâ diſrupta ſunt vincula, & vtique liberatus ſum ab iis, qui me ſecum in perditionem arreptabant;te,te inquam qui feciſti,amare volo,amore ſummè perfectiuo, amore forti, amore excellenti.

Propter hoc me tantùm bonitati tuæ confido,quantùm mihi ipſi diffidere debeo.

Ex hoc vides latitudinem amoris, qui quantùm creſcit, tantùm conſtringitur viuâ & inflammatâ aſpiratione. Porrò amori vtilia ſunt omnia, qui ſine ordine, & delectu, cordis ſui flammas eructat ardenter, ſimpliciter, abundanter & iugiter, diſcretionem neſciens, modum nec menſuram, quia rapit eum dilectus ſuus, motu ſuo dulci, & ſummè amabili pulchritudine, in quem optat irrecuperabiliter ſe immergere, & de facto magis ac magis immergit.



TRACTATVS



TRACTATVS SECVNDVS.

DE AMORE ASPIRATIVO, Aut de affectuoſa Animæ ad Deum aſpiratione.

CAPVT PRIMVM.

Exercitationem aſpiratiui amoris præſupponere odium & contemptum ſuiipſius.



CERTVM eſt nos non poſſe moueri, & perfundi interiùs, ſapidis delectabilibúſque, quos ardens, & aſpiratiuus amor in anima fundere ſolet affectibus, niſi diuina Maieſtas nos ad ſe pertrahat radio ſuo viuificante, & omnia quæ reperit diſpoſita, conſumente. Hunc autem non operatur effectum, niſi pro ratione actiuæ fidelitatis animæ, in moriendo ſibi ipſi, & ſe æternùm in Deo perdendo.

Ad inchoandum ergo hoc exercitium, ſciendum eſt eſſe abſolutè neceſſarium priùs nobiſmetipſis mori, nóſque deiicere, & perfectè contemnere. Tales eſſe debent odij quo nos debemus proſequi rationabiles effectus, conſiderantes nos Deum, qui infinitæ magnitudinis eſt, peccatis noſtris voluntariis, quantùm erat in nobis deſtruxiſſe & exinaniuiſſe. Eapropter debemus odiſſe nos implacabiliter, cum ordine tamen & diſcretione.

Porrò ad procedendum vt par eſt, contra tam deteſtandum hoſtem, peccatum, & corruptos quos in nobis effundit habitus, ſemper eundum eſt in aduerſam noſtriipſorum partem, perenniter, & indeficienter in omnibus; ſicut in magnis, ita & in paruis, num-

quam ampliùs nobis ipsis sed Deo soli innitentes, eique confidentes amore summè filiali, & fiduciæ pleno Demum in omnibus prosperitatis & aduersitatis euentibus nos ad normam & perpendiculum desideratissimi, & desiderabilis eius beneplaciti, diuinúmque & æternum regimen omnino componere debemus.

Ad hæc oportet vt erecti spiritu,& corde effusi, in eius iugi præsentia viuamus profundè demissi, ad aspectum & intuitum nihili rerum omnium, & nostriipsorum, sub omnipotenti manu eius, & omnis humanæ creaturæ propter amorem eius. Ad quod nos exacuere debemus, argumentis petitis ex infinita magnitudine Dei in seipso, & egressuum eius exituúmque ad nos; cum ipsi necesse nullo modo esset in gloriam & commodum suum. Primò creatione, qua formauit nos quasi Diuinitates quasdam præcellentes, ad imaginem, & similitudinem suam. Deindè redemptione; quippè nos inueniens ab hoc statu diuinæ suæ similitudinis prolapsos, & Dæmonis charactere signatos, motus misericordiâ, vi amoris sui, & infinitæ bonitatis, tempore præfixo, à tali morte, támque durâ, tristi, & anxiâ Dæmonum crudelium nostrorum hostium captiuitate, recuperauit. Hæc est gratia, quam præstitit nobis bonus Deus noster, pretio sui totius infinitè infinito; donans se nobis vtique similem nobis; in humanitate nostra passibilem, egenum, pauperem, miserum, & mortalem, sicut & vnumquemque nostrûm, omnibúsque nostris infirmitatibus exceptâ ignorantiâ & peccato circumdatum.

Ecce ô Religiosæ animæ quæ vestra debet esse æterna meditatio & amorosa negotiatio in amore Dei infinito, tam in seipso, quàm in humanitate nostra, vt vos cum suis omnibus electis deificaret susceptâ: hoc autem non debet, nec potest impleri absque vera & fideli mortis æternæ vobismet ipsis exercitatione,vt possitis moueri, euehi, trahi, perfundi, illuminari, illustrari, & sanctificari ad summum amoris complementum.

Idipsum est quod magis ac magis vos amorem efficere debet, manentes interim in hac vestra altitudine, & eminentia summè perfectæ, & omni Spiritus sancti igne & effectu, septiformique dono ornatæ. Quâ ratione valdè simplices & vnicæ efficiemini omnino mortuæ vitæ sensitiuæ, reflexæ, & animali, virtute obedientissimi, & perfectissimi amoris, à quo sauciabimini, & in eius immensita-

immensitatem prorsus liquabimini, & resoluemini. Quibus omnibus, habitu huiusmodi amoris adeptis quasi impossibile vobis deinceps erit indè egredi velle ad vitam sensibilem & naturæ soli placentem.

CAPVT SECVNDVM.

Vsus exercitij Aspirationis.

AD exercendam in initio nobilem hanc, cum Deo negotiationem, debet intellectus rapere ad se voluntatē, eámque motiuis & argumentis ex intimo amoris eductis, iisdem aut similibus quæ antea protulimus, accendere; si enim videris amorem in seipso, & effectibus suis; & æqualiter vtroque delectatus, vsus fueris industriâ tuâ, & actiuitate naturali, aderit proculdubio tibi Deus secundum suam bonitatem, & immensam misericordiam, quâ numquam præuenire, adiuuare & roborare omittit, exoptantem animam humiliter aggredi hunc amorem in seipso infinitum.

Non oportet tamen contentione caput disrumpere, nec lædere vires naturales, aut eis vim inferre in aspiratione, sed sensim procedendum est moderatâ actiuitate æque rationabili ac sensibili.

Nec etiam patiaris tædio te affici si potes, sed quiescere debebis aliquandiù solo spiritu operans, donec remittantur vires diu nimis intensæ. Et interim manere fixus & stabilis, in contemplatione obiecti tui infiniti, cum maxima admiratione, simplici obtutu, & altissimo silentio, vsque dum sentias te exindè deiectum, séque in seipsa effundentem naturam, tunc suauiter & per frequentia temporis interualla, ad humilem tuam, reuerentem, & amabilem redibis actionem, quam semper hac ratione prosequêris.

Nihilominus cum ad certum amoris statum gradúmque perueneris, multò melius erit contemplari & intueri diuinum tuum obiectum, quàm loqui aut operari: ad quid enim nostra industria, nisi vt nos mediante Dei attrahente auxilio eleuet? Quod si iam, vel solo eius amabili motu, quo præuenti sumus, vel nostrâ simul industria eleuati sumus, ad quid tunc tam multiplices actus?

Fateor istud bene multos supponere gradus, sed vbicumque est amor, illic etiam sunt omnes amoris rationes in aspectu, actu, scientia & eminentia eiusdem amoris, adeò vt quò magis amor est acquisitus, eò etiam eminentiùs contineat rationes eius quod refertur ad rem amatam: & sic meritissimo iure dici debet, amorem nostrum diuinum in nobis, & pro nobis scientiarum & rerum omnium rationes, (hocque eminentissimè) tanquam vnum continere.

Itaque amorem dumtaxat & eius fluxum, tam extra, quàm intra nos reueremur & admittimus; sed alio omnino amore reueremur ipsum amorem per nos ipsos in seipso prorsus extra nos; adeò vt supremum reductionis amorosæ punctum, eleuet nos, & constituat in tali altitudine, eminentia, & nuditate, vt homines etiam mediocris bonitatis, nihil videndum in nobis & inuestigandum habeant, vt nos iudicent, arguant, aut condemnent, quia præter corpus in mundo nihil habemus, animâ vtique in Deum cum omnibus suis viribus penitus immersa: & eam in se absorbet, rapit, & satiat seipso, in fruitione quam habet illius, magis delectabiliter quàm sit concipere. Illic & in huiusmodi fruitione, ineffabilia sunt omnia, distante ab hinc subter nos infinite, (etiam vt eo quod prorsus non est) imaginum regione. Sed ad propositum rediens, dico eos quibus liberum est agere fortiter, & validè in eminentia amoris, hoc vtique debere, tam in contemplando, & quiescendo: quam in actione, permittentes se subiectis & notionibus, quibus rapiet eos Deus, reuerentes eius in semetipsis multiformes operationes, nec aliter quàm par est ad illas reflectentes. Itaque semper suum iter prosequi debent pariter contenti in paupertate & abundantia, in lumine & tenebris, in vita & morte; semper sequentes amabilem se trahentem ductum, quocumque, & quo volet modo.

Porrò qua ratione quis in hac via amoris proficiet, poterit diffundere se, aut comprimere in amore magis essentiali intra se, sed hoc fieri debet mediis valdè vnicis & essentialibus. Et eum successu temporis destituentur facultates virtute suâ actiuâ, tunc vi amoris simplicis, eleuati, & luminosi, elicere conueniet paucarum vocum aspirationes; sic sæpissimè procedendo, sequendo impetum motus amabilis, trahentis & excitantis intus, ad se conuertendum & liquandum in dilecto suo.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

De spirituali dulcedine quam affert hic aspiratiuus amor, & de fidelitate cum qua debet anima internas destitutiones sustinere.

NOn est exprimere, quantùm amorosæ animæ, in quibus Spiritui sancto complacet suum amorem effundere, recipiant discretionis, cognitionis, & experimentalis scientiæ, in simplicissimis saporibus & deliciis, hoc in excercitio amoris aspiratui. Non est possibile exponere huiusmodi animæ, quas ipsa experietur multifarias amoris operationes; quas habebit manifestationes peccatorum suorum, & postea secretiorum suarum imperfectionum, bonique & perfecti nis quam exigit ipsemet amor, ad complementum amantis animæ Videbit hæc omnia, & sciet indubitanter, cum stupore & confusione suiipsius, quam comitabitur compunctio & gaudium diuersimodè producta, & percepta: Quod eam magis ac magis in excellenti suo habitu innouabit, & ad profundam coram Deo adducet sui abiectionem in iis diuinis abyssis, nescientem vtique quid faciat, quidue cogitet vt respondeat infinito amori, eam omnino absorbenti, & deglutienti, in ardentissimi & consumentis sui ignis infinita immensitate.

Sed sciendum est hoc esse dumtaxat introitum ad verum amorem ex parte creaturæ, cui conuenit probari, & purgari igne vrentium tribulationum, paupertatum, miseriarum, destitutionum, languorum, & mortium spiritus, quarum ignoratur & numerus & modus; quibus in omnibus probationibus, longissimè abest sancta anima à conuersione suiipsius ad sensus; sed suum prosequens iter, tranquilla viuit, & læta intra se, vtique cupiens, viuens & æternum Dei amoris sui infiniti, in infernalibus suis & æternis mortibus, esse holocaustum. Hoc eam terrere nullomodo debet, nec auertere à cursus sui contentione, in amoris stadio, cum omnibus veris & fidelibus Dei amantibus, siquidem ei indubitanter & planè fecundus erit, quòd si aliter sentires, vide ne credideris: nimia enim esset ignauia erga amorem tuum infinitum, qui bonum tuum

magis ardenter expetit in gloriam suam infinitam quàm possis vnquam apprehendere. Demum probatio veri amoris in fideli amante Dei, est abundans fortitudo, quâ eum amorosè sustinet sumptibus suis & impensis propriis, in diuersis mortibus, quas ei sufferre conuenit in amore suo, supra amorem; etsi non sine amore, imò virili & robusto amore, quo omnia patitur & operatur, absque lumine & gustu in nuda, & viuida simplicitate fruentis suæ propensionis, quâ semper suauissimè & simpliciter agitur; adeò vt qui hunc attigit statum experientiæ, altitudinis, simplicitatis, & amorosæ profunditatis, iam in eo ampliùs non sit (vt ita dicam) non sic amare, propter profundos sibi succedentes diuini amoris attactus, imò etiam amoris mutui, & vicissim agentis & passi.

Hic omnia (vt ita loquar) subter hæc sunt, licet alia sit via, & vita absque comparatione altior: sed non refert, hæc, quæ est amoris vita amorosè exercitata vtilissima est, summè proficua alta & eleuata, eiusque finis dispositio est ad alteram; vnde etiam seipsâ potens est beatum facere possidentem. Sed multò meliùs & certius; si extra illam in vigore & subtili fortitudine amoris sui infiniti, anima ei foris, & vltra seipsam in amore suo nudo & essentiali satisfaciat, conformiter ad eminentiam sui fundi, qui non lucet tempori, sed æternitati, supra omnes gustus & delicias perceptas & fluentes ab amore suo in vires suas.

CAPVT QVARTVM.

Imagines creatas, & reflectiones, huic exercitio plurimum nocere, & de libertate & puritate interna, quam operatur in anima.

CVm fueris intractus, & amoris in seipso dulcedine perfusus, tunc experieris quid sit impedimentum imaginum, & quantùm res creatæ noceant introductioni animæ in Deum. Ab huiusmodi impedimento liberaberis hac amabili aspirationis exercitatione, & efficieris nudus, simplex, quietus, recollectus, & liber intra teipsum; vbi non secus ac purissimum speculum, excellentiam

tiam & pulchritudinem Dei intrinsecùs sincerè referes, foris verò sacram humanitatem charissimi & amantissimi nostri Saluatoris & sponsi. Sic eris compositus interius & exterius, velut amans fidelis, quæ semper assistit in conspectu Dei, dilecti sui.

Porrò hoc habet qui amorem hunc exercet, quod res omnes in se transmutet, & conuertat; credátque omnes eundem secum habere spiritum; alioquin dimittens illas pro vt in se sunt, nequaquam eis implicatur, & rectâ viâ pergit in aspectu continuo & simplicissimo obiecti sui, cui soli placere & probare se cupit ex se toto, in perpetuum, in amore ardenti, & vnico, quouis in euentu.

Ratio eius & norma, vnica est, æternúmque motiuum, voluntas Dei infinita; consequentérque ipsemet Deus. Vndè numquam excurrit obiectû suum vllo modo, nec extra illud abiectè reflectit, etiam in asperioribus pœnis & mortibus, cum huiusmodi sensus & reflectiones indignæ sint animâ generosâ exoptante omnia transcendere, & reuerâ transcendente, impetu amoris sui actiui aut passiui longè vltra actionem. Quòd si quando reflectere videtur humiliter, vtique dumtaxat ad momentum illico agens se præcipitem amabili suo conatu, aut amorosâ patientiâ, in infinitam sui amoris obiectiui abyssum.

In hoc autem sincero amore ita est vnum anima cum dilecto suo, vt quasi non habeat ampliùs ordinem, rationem, nec reflectionem ad diuersitatem temporum; quippe cui suus vnicus amor semper vnus in omnibus est, & in seipso; eo quòd amor est omnis voluptas, omnis ignis, omne gaudium, gloria, felicitas, repletio, sanctitas, essentia, & totalitas infiniti ipsius obiecti.

Qui igitur in amore est perditus, felicissimè viuit in imagine Iesu Christi & in sua summè amabili vita interna, diuina, gloriosâ, & summè vnicâ, quæ multis occultissima est, & multis notissima. huiusmodi amor felicissimè & totaliter immersus est in abysso huius diuinæ vitæ & viuificantis charissimi nostri Saluatoris, & sponsi veri Dei, & veri hominis; amore hominum hominis facti, & vt trahat potenter & validè intimos suos ad se amicos, ne vmquam ampliùs à se diuellantur; sed per gratiam non per naturam, æternùm sint in illo toto vnum.

Quòd si ad hunc aspectum, veritatémque liber remanes, cum pleno

pleno amatoris facultatis vſu, qui te perfundet amor, coget vbique ſuaui ſuo, amabili, & facili impulſu ſuper hoc ſubiecto aut ſimilibus, in hanc exclamationem aut ſimiles erumpere.

O dulcis, ô ineffabilis, ô ſummè penetrans, ô abyſſalis, ô profundiſſimè, ô incomparabilis amor! quis dabit tibi terminos & limites non dico in teipſo, cum ſit impoſſibile; ſed in egreſſionibus tuis & amoroſis eruptionibus erga ſanctos Angelos & ſanctos homines, in quibus adeò excellenter tuum accendis ignem, vt eo æternùm comburantur, ad infinitam ipſius voluptatem & dulcedinem? ô amor ſummè delectabilis, de quibuſnam colloquuntur & loqui poſſunt creaturæ, in quibus es, & viuis, modo dumtaxat communi. Exceſſus eſt, quo erga te vtor ô amor mi, & chara vita mea, comſumptus enim amoris tui igne; reor & ſapio omnes homines mihi ſimiles eſſe debere. Sed tam pauci ſunt qui intus quieſcant, aut ſi faciunt, adeò imperfectè, vt propriis inuentionibus & exercitiis abundent, neſcientes verum in ſeipſis bonum, & in te, amor mi, qui ſummè amabilis es, & digniſſimus qui ameris ſuſtinearíſque in exercitio, ſupra omne proprium exercitium. Tibi vni eſt adhærendum, ô amor mi, nudè in ſimpliciſſima quiete & attentione, in intentione & ſenſu ſimpliciſſimo, ſumméque vniformi, nec vmquam aliò reflectendum.

CAPVT QVINTVM.

De eſſentiali aſpiratione, & propenſione fruitiua animæ perfectè introuerſæ, & Deum amantis.

POſito igitur quòd hunc gradum attigerit anima, videbit & percipiet nihil eſſe ampliùs in ſe, quàm ſimplicem inclinationem, ſimplicem ſpiritum, ſimplicem fundum, ſimpliciſſimam vniformitatem, ſimplicem cogitationem, denique ſimplicem eſſentiam. Quibus ſic ſtantibus oportet vt ſimpliciſſimè, & eſſentialiter inibi negotietur, velut in momento, & in ictu oculi, frequentibus & aſſiduis aſpectibus, intimis & omnia complectentibus, ſimpliciſſimis & eminentibus. Adeóque ſic mortua manere debet, imò

imò prorsùs consepulta & perdita, in abyssali & profundissima Iesu Christi charissimi sui amoris, & sponsi essentia. Vnde numquam exire debet vel minimo affectionis reflexæ motu.

Statue igitur apud te maturè, nullo modo quiescere in obiectorum multiplicitate, videlicet in eo quod cernitur pulchrum, bonum, perfectum, excellens, & similibus, quibus ordinariè immorantur, qui Deum dumtaxat foris quærunt, & propter seipsos, magnæ scilicet mercedis, & meritorum quæ præstolantur, gratiâ: sed nullâ habitâ exteriorum omnium ratione, quæ videntur spectabilia & delectabilia, esto vnus in omnibus simplex, solutus, & perditus in nuda & simplici abstractione, quæ non sit coacta; Dei enim est eam in te efficere; ita tamen vt ei tali eleuatione, & exercitatione, qualem suppono, iugiter respondeas.

Tunc cogitatio tua vertetur in affectum, vt elicias amorem tuum, eúmque reduceas in actum insignis notitiæ & extensionis; vnde impressiones purissimi & profundissimi spiritus accipies, millies, magis diffusas, simplices & sapidas quàm antea; adeò vt ampliùs alio non indigeas quàm tuarum eiaculationum vsu, sicut dixi, valdè simpliciter & vnicè, in amore tuo summè diffuso & omnia penetrante.

In hoc enim statu oculus tuæ mentis semper apertus erit, iugitérque suâ simplici fruitiuâ propensione intuebitur beatum suum obiectum, actu, & aspectu simplici, summo, eminenti, & continuo. Sic simplex tua mens Deo collustrata tanquam purissimum & perlucidum efficietur speculum, referens excellenter Deo diuinam ipsius imaginem, quæ omnem hominem exteriorem, & interiorem inundabit, vt totum excellenter intus abripiat, vnitate simplici, supra omnem considerationem, & cuiuscumque rei discretionem.

Tui tamen foras egressus, & quæcumque operaberis ad extra numquam erunt sine præuisione rationis altissimæ, summè & latissimè illuminatæ. Sed non contingunt huiusmodi eleuationes, aut certè rarò iis qui modicum exercitantur, & quibus satis est talem qualem viuere vitam, bis in die mentaliter orare, & frigidam in seipsis Dei præsentiam remissè colere. Nec etiam pro illis est hæc exercitatio, sed pro iis qui vehementer commoti, & intracti à Deo in ipsum, à vita animali tanquam à morte abhorrescunt; nuntium,

K remittentes

remittentes omni ſuper ſe reflectioni, aliter quàm conueuit, & ſupra quodcumque infra Deum..

Sunt præterea naturæ ſenſuales multum ſeipſas amantes, quarum affectio & amor mollities naturæ tantùm eſt: his etiam non conuenit affectuoſum hoc exercitium, ſed iis tantùm qui per rationabilem amorem, mediantibus Dei in illis operationibus puriſſimum hunc, & ſpiritualem amorem acquiſierint.. Vndè non ſcribimus hæc infantibus, aut effeminatis, & mollibus; ſed generoſis animabus robuſtiſſimis & fortiſſimis, quæ verè ſunt Saluatoris noſtri ſponſæ, fortiſſimis inquam in omni extenſione amoris eius infiniti, vt magis ac magis exaltent in eo, illuſtrent & magnificent diuinam eius in ſeipſis imaginem, prout eſt hac in exercitatione digeſtum. Adeóque qui illam motu ſuo, & abſque directione vſurpare præſumeret, nil niſi ſcopulos, præcipitia & cautes in ea reperiret.

CAPVT SEXTVM..

Quid facere debeat Anima, cùm ſentit ſe eleuatam ſupra ſuam induſtriam, & propriam operationem..

CVm habueris comparatum excellentiſſimum aſpiratiui amoris habitum, in omni ſimpliciſſimo ipſiuſmet amoris fundo; illic te ſenties omnino reductum & immerſum, in ſimpliciſſima & altiſſima fundi tui totius penetratione, in qua dilataberis ad tot aſpectus & guſtus, in altitudine, longitudine, latitudine, profunditate, & ſimplicitate, vt nullâ ad te illuc efferendum amoroſæ tuæ induſtriæ indigens operâ.

Sic in hoc ſtatu eleuatur anima in ſimplicitatem, & eminentem aſpectum, intuitum & contemplationem Dei, vltra propriam omnem induſtriam; adeò vt ſæpius ſentiat ſe induſtriæ ſuæ, & actiuitati reſilire dulci impetu & effectu, ſimplicis, nudæ, delectabiliſque cogitationis, obiectiui amoris, qui Deus eſt. Tunc autem Deus altè & nudè cōſideratus non vult animam aliter operari, quàm ſimplicibus quibuſdam ſui habitus actibus, qui ſufficientes ſint illam occupare.

pare, figere, & quietare illic, tanquam in Deo ipso, summo eius bono, supra sublimiores quas elicere posset propter hoc affectiones.

Porrò ratio talis repulsæ, & contrarietatis spiritus est, quòd tunc simplicior est altiúsque eleuatus, quàm posset eleuari sedulâ suâ negotiatione diutius protractâ. Vndè in hac lucta & agendi ratione, aut vt meliùs dicam contrarietate, sufficit quosdam amatorios identidem actus elicere, magísque immorari in considerando, contemplando, pereffluendo, & sibi complacendo, in intuitu & aspectu infiniti sui amoris, quàm in sermocinando quibusuis collocutionibus quantumcúmque affectiuis. Sic standum est tempus inter & æternitatem in simplici consideratione obiecti sui infiniti, longè vltra formas omnes & imagines.

Contemplatio in hoc gradu scientia est sine scientiâ, & quæ nescit modum, quæ percipitur & possidetur sine admiratione; cuius regressus admiratio est, quod addo ex meo sensu definitioni à Mystis traditæ. Dico igitur contemplationem esse in hoc & per hoc impetum effectúmque spiritus diuini trahentis, eleuantis & rapientis ad se humanum spiritum, in quem diuinum spiritum, iste non tali quali modo receptus est, in altissima eius vnitate: sed prætereа aliquando, imò etiam sæpissimè ita penetratur & præuenitur amabili motu quo agitur, vt se sentiat liquefactum & penitus effluxum, in immensum mare amabilis ignis, illic eum ardentis suæ penetrantísque actiuitatis virtute consumentis. Illic videt se ita immersum & absorptum in hoc igne, vt sit æternùm idem cum illo, & in illo: sicut est eadem vita, tam in viuendo, quàm in moriendo.

Etsi autem status hic & eleuatio, effectus sit singularis fructus, & maximi progressus, summa tamen desideratur prudentia vt non sit diuturnior sine actione, & vsu aliquo actiuitatis mora, procedẽdo ad hoc non cum sensu nimio, nec in seipso, sed quasi simplicibus spiritus exclamationibus, & gemitibus, intimisque propositis æternæ & strenuæ Iesu Christi imitationis, infiniti sui exemplaris diuini & humani, tam intus quàm foris. Deindè sic te habere debes per actualem hunc & iugẽ aspectum, vt nulli vmquam desis occurrenti occasioni, cum imitandi, sicut in paruis ita & in magnis, quatenus amor tuus non tantùm sincerus sit, sed etiam purus, excellens, &

eleuatus; quòd eò magis fiet, quò fidelior eris, vsque ad supremum grauissimarum & æternarum mortium gradum.

Quòd si omnis hæc exercitatio complectitur & peruadit multas veritates, notitias, diuitias & perfectiones, quæ splendorem & complementum animæ efficiunt, in amabili ipsius obiecto: propterea est, quod illam nec minoris nec pro minori viuere opportet: quæ porrò minora desiderabuntur, vt reuerâ etiam diuturniori tempore desiderari possunt; apud authores Mysticos inuenientur deducta & digesta. Nihilhominus istud à longè multum sumitur, etsi plenum affectibus, & fundis persuasibilibus, ac reductis, consequentérque excitantibus, & intus ad simplicem vnitatem trahentibus. Insuper moneo, licet summum huius exercitationis, videatur esse finis omnis actionis, & introitus in veram quietem: non oportere tamen in eo esse otiosum, nisi prout superiùs dictum est. Ideo subiiciemus hîc specimina quædam, & exemplaria aspirationum, quibus vti quilibet pro maiori facilitate poterit, & ex iis, quod erit statui suo conuenientiùs, educere.

CAPVT SEPTIMVM.

Soliloquium affectuosum Animæ ad Deum conuersæ, super Iesu Christi passione.

QVid faciam, quò ibo Domine, qui te in omne hoc miseriarum mare demersi? mare quod in sua longitudine, latitudine, & profunditate, non est vltimò nisi morte finitum.

Sed Deus meus, qualis mors? quia dicet? mors est crucis, magis acerba, magis crudelis, magis ignominiosa & infamis, quæ in æternum excogitari possit, quam sustinuisti Domine Deus meus, vt satisfaceres, plenè, & æmulatè pro me, & pro mille millenis mundis, si tot fuissent, ad summum rigorem, infinite Dei patris tui iustitiæ.

Sed quod est mirabilius in hac tam paterna & viscerali amoris abysso, est vtique, quòd etsi non habuisses alium præter me redimendum, sanctificandum & excellenter saluandum, hæc omnia pro me

me vno, sicut pro omni electorum tuorum multitudine prodegisses.

Heu, Domine Deus meus, & omnia mea! hæc est abyssus in qua penitus deficio, nesciens quid faciam, quid dicam, aut quò vadam vt amabiliter regratier in ardenti & continuo amore, amori tuo infinitè infinito. Apage (amor meus, & vita mea) apagè voluntarias meæ effusiones, multò minus nugas, ludos, & pueriles cum creaturis recreationes, licet honestas & licitas; nisi quantùm & quomodo volueris, aut per teïpsum apud me, aut per superiores meos, qui mihi semper erunt fideles voluntatum tuarum interpretes, explanatores, & denunciatores in omnibus meis exercitationibus, tam in agendo quàm in patiendo His enim in exercitationibus & institutis altissimè per totam vitam meam quiescere peropto & intendo.

Quid est hoc amor meus & vita mea, fornax tua vehementer est succensa in terra, in qua omnes sapientes & sancti amici tui intimi, iam consummati sunt, aut consummandi: de me autem quid fiet? quæ mihi sors minor erit apud te? ô chara mea vita! non, non, nunquam minus, nec aliud præter te, in te toto, in omni immensitate & profunditate huius tuæ fornacis amorosæ.

Heu! chara mea vita, quid cogitant homines? quid intendunt? quomodo viuunt? Possibiléne est, ô Deus meus éstne! possibile, hominem aliquem belluinam vitam viuere, dum ignis tuus ardendenter est accensus in terra, expectans qui se in eum præcipitem agat, vt se comburat, & suauiter, delectabiliter, amabilitérque consumat. O miseri homines, vbi est sensus vester? vbi intellectus? quidnam de animabus vestris intenditis, quas morti prædandas permittitis, tanquam ignari veritatis vitæ vestræ, sanctificationis vestræ, & eius qui vult eam vobiscum, sed non sine vobis operari.

Sed de hoc non hìc agitur, vtique de nobis Domine cogitandum est, siquidem cæteri simul homines, non æque ac ego vnus, tibi deuincti sunt.

Statuo igitur Domine Deus meus, amor meus, æternùm me perdere funditus in amabili tua fornace, quę operata est, & produxit hominibus, & pro hominibus omnes omnino sibi similes effectus; dico in amabili passione tua, acerba, ignominiosa & amorosa, atque in sanctissimo, & augustissimo, altaris Sacramento, vbi certè videtur exhausta omnis tua potentia; sed non amor tuus; quem

amorem largiris aliquibus, & infundis abundantiùs quàm aliis, ſecundum vniuſcuiúſque capacitatem, & menſuram amoris, quo tibi amoroſè reſpondet. Quod ſi magnus eſt, & intenſus, multùm eum diligis, ſi modicus, cogeris eum modicè diligere, ſum mo tuo dolore, ô amor meus, & vita mea.

Sed dimittens vnumquemque operari in meliùs, opto & ego ſeriò operari, inceſſanter, & vſque ad exanimationem, ſaluâ diſcretione requiſitâ neceſſariâ ad hunc effectum, diſplicet enim tibi ſponſarum tuarum dilectio, & charitas inordinata.

Ideo ſuauiter tecum negotiari volo, in nobiliſſimis & ſummè amabilibus infiniti amoris tui effectibus, digerens eos in eodem tuo amore, quàm potero ſuauiſſimis, & maximè affectiuis colloquiis, pro deſiderio & virtutę quam mihi largieris, vt ſpero in omni humilitate, & reuerentia mihi poſſibili.

Quid? ipſi Angeli, etiam ſublimiores Seraphini tremunt & ad nihilum rediguntur coram tuâ infinitâ Maieſtate, & ego qui puluis ſum & cinis dumtaxat, auſim loqui tibi de rebus tam abſconditis, & manifeſtis, tam cognitis & incognitis.

Vtique amor meus & vita mea, quia tale eſt beneplacitum tuum, honor tuus, gloria & laus tua. Itaque his & omnibus aliis ſimilibus ſpiritus negotiationibus opto, volo & intendo viribus meis omnibus reuerti & refluere in te, ex quo infeliciter exiui iniquè & crudeliter peccatis meis, quorum tu vnus ſcis grauitatem & numerum.

Qui enim amor meus & vita mea, non eſt in te, vbinam eſt, niſi in ſe? & qui in ſe dumtaxat eſt, vbinam eſt niſi in vita beſtiali, aut minimùm in vita humana & mortali, accipiendo illam in altioribus eius gradibus, aſpectibus, exercitiis, & ſenſibus.

Hoc continet amor meus magnam ſecretarum notionum multitudinem, quas ardentes tuæ amantes percipiunt, tanquam ſummè eleuatæ, perditæ, fixæ, & ſtabilitæ in te, vt te firmiter intueantur indeficienti ſuâ, & amabili contentione in humili ſuâ æternáque in te confidentia & ſui diffidentia; vbi, & in quo vrente iugiter earum amore, virtutes quoque illarum nec diſcretionem patiuntur, nec differentiam eiuſdemmet amoris, cum ſint ipſius effectus continui.

Norunt enim optimè tam in theoria quàm in vſu, quòd deeſſe etiam

etiam ſemel virtutibus, cum ſe dat occaſio, eſt deeſſe amori, aut vt meliùs dicam carere amore, & non amare; quod huiuſmodi animabus adeò graue eſſet & exorbitans, vt ſeipſas ferre & pati non poſſent.

Non rarò tamen, ô amor meus, negligentiâ deficiunt, aut in dimittendis creaturis, aut in ſe introuertendis, & in te recipiendis, aut ſe ex omni parte obſeruandis, in ſuis motibus, geſtibus, actionibus & verbis. Sed ô amor meus, minimæ ſunt, & quaſi nihil ante te, tales incidentiæ, quia promptus & ſtrenuus earum ad te ex omnibus viribus, & omni actiuitate reditus, delet hæc, & exhaurit penitus, in immenſitate ignis tui amabilis, & omnia conſumentis.

In hac autem omni deductione, & reductione affectuoſa, ô chara mea vita, intendo comprehendere languores omnes virium mearum ſenſitiuarum, & aliarum, cùm mihi tuam ſubtrahes præſentiam, & dulcedinem ſenſibilem; & peto à te millies magis mori, quàm ſimilem fieri quibuſdam, qui ſi non à te potenter moueantur cum ipſis libet, illico remittuntur, & deficiunt in via, & exercitio amoris tui; quem poſtea omnino dimittunt, redeuntes ad ſuam propriam vitam animalem, & ſic viuentes quaſi te omnino non cognouiſſent.

O amor meus, nonne iſtud euidens eſt argumentum, quod te non amabant, ſed magis ſeipſos? quod non te, nec amorem tuum, ſed dona tua, & dulcedines tuas aucupabantur? Operarij mercenarij, qui dumtaxat ad oblectationem & retributionem ſeruiunt, quibus ſi fruſtrantur ad tempus, reuertuntur ad ſeipſos & creaturas, cum quibus deliciis & voluptatibus ingurgitantur. O amor vnice, mille potius mortes quàm huiuſmodi infortunatis ſimilem fieri, quamuis merear à te deſeri, multò iuſtiùs quàm illi, tam propter rationes quas vides, & ſcis infinitas, quàm propter verum meum nihilum, qui enim nihil eſt, vtique nihil meretur.

Sic amor meus & vita mea, dona tua non quæro, delectabiléſque guſtus, ſed te ſolum in illis & ſupra illos; me enim haud dubiè chare mi amor, multò meliùs & excellentiùs in te tranſmutabis, quamdiu me ad infinitã tuam voluntatem plenè componam, æque ad languores, & cruces, ad paſſiones & mortes: ac ad dulcem diuinarum tuarum deliciarum ebrietatem; quàm ſi in ignis tui delectabilis

lectabilis immensitate iugiter immergerer.

Sed Deus meus, amor meus, quàm hoc facile dictu est, ei qui horum nihil est expertus; qui non est passus, nec scit, quidnam est sibiipsi mori, ei inquam qui ad hoc potente & abundanti spiritus tui infiniti gratiâ destitutus est.

CAPVT OCTAVVM.

Hîc Anima amore languens dissolutionem suam cupit, se tamen resignans Dei beneplacito.

QVidnam est viuere? ô amor, quidnam est hîc viuere? ô amor meus, & vita mea? est mori, est mori, vtique sibi, est pati est languere, est reuerâ mori, siue intus & secundùm purum spiritum, siue quantùm ad corpus secundùm naturalem vitam, quod in his languoribus exinanitur, & paulatim languore, & debilitate consumitur, donec eius vita funditus exhauriatur.

Agedum amor meus & vita mea, tale est desiderium meum, & qui inter nos est mutuus amor illud in me accendit, vt æternùm tibi satisfaciam, super hac cruce, & omni quæ tibi placuerit aliâ, & etiam omnino aliter, si mihi constitueris.

Heu! care mi amor! quidnam est hæc vita, vbi tantùm in vnici expectatione boni sui viuitur, quo numquam aliter fruimur, quàm cum comburimur, redigimur in amoris ignem, & penitus consumimur. Quandónam amor meus, ero funditus redacta, fusa, & transfusa, ita, vt sim omnino idem cum illo, & in illo. O tristis & ardua vita, vitæ amoris mei adeò contraria; sed qualiscúmque sit amor meus & vita mea, talis exhibenda tibi est, qualem habeo & sentio, cum iisdem suis in me contrariis effectibus. Scis vtique amor meus, quod reuerâ est, & quod sum, conformiter ad id quod possum.

Heu, amor meus, nihil sum & nihil possum, & hæc nihilominus notitia & scientia, toties à me experimento probata, est & perenniter erit omne gaudium meum, tam in vita quàm in morte, tam in actione quàm in passione, tam in æternitate quàm in tēpore.

Numquid

Numquid amor meus es? vita mea, & omnia mea: numquid Deus meus es? & carissimus sponsus? hoc mihi sufficit, vt semper æqualis mihiipsi maneam in igne paupertatis & resignationis amorosæ, valdè internæ & nudæ, vt perenniter, simpliciter, & nudè tibi adhæream in simplici animi quiete, & simplicissima intentione & attentione.

Sed super hæc omnia maneo & manebo fixè stabilita in pace, & quiete spiritus simplicissima & summè vnica, in conatibus amabilium meorum gemituum externorum, & super ipsos in hoc tempore, & in idipsum,

Enimuerò per hoc ipsum intendo amor meus, & vita mea, exprimere tibi efficaciter ardorem amoris mei, qui me flammis suis acriter adurit, vt me præcipitem agam in abyssum ignis eius omnia consumentis, rationabiliter, & secundùm omnes eiusdemmet amoris æqualis, & inter nos mutui, rationes, vt idemmet ignis me totum possit in se transmutare, ad infinitum eius æternúmque gaudium, omnimodâ mei totius amissione, & æternâ desertione.

Quâ ratione amor meus, & vita mea, quidquid videris, & omne quod videbitur, & audietur ex me, tam ab Angelis quàm ab hominibus, amabile meum probabit sacrificium, in æternum infinitæ tuæ Maiestati holocaustum.

Ha! amor meus & vita mea, quàm longè abes ab animo frustrandi me tuo in meipso, in ardore amoris mei; & ego tibi dico cum omni humilitate, & confidentiâ, mequoque te non frustraturũ tuo, quod vtique tribuis mihi, & semper ad eundem tribues effectum, magis ac magis, & meliùs in meliùs. Quod si de effectu impræsentiarum quæritur, iam quoad hoc & per hoc ipsum, mutui nostri desiderij fruitionem & possessionem adepti sumus.

Quod me attinet cara mea vita, nosti quidem vtrum famelicus sit & insatiabilis appetitus meus, an non; quòd si plus, imò multò plus, æternùm à me exigis, da mihi idipsum, fac tu ipse, & tuum est.

CAPVT NONVM.

Anima amore vndique perfusa credit se non amare, & huic est intenta vt se in cruce sacrificet.

O Mea totalitas quàm infelix est qui te non amat, quantùm ad me scio te, & cognosco sufficienter ad amandum, sed heu! mi amor charissime, non amo te sufficienter, nam desiderium meum infinitum est, vel saltem ad minimum amandi te in puritate, & ardore seraphico, in hoc mortali & terreno sacco, in quo amore langueo, vt strenuè & conuenienter expugnem, & in bono ordine, tam intus quàm foris, omne quod amori meo contrarium est. Idipsum præstabis in me ô chara mea vita, in veritate & perfectione consummata, & ego te patiar præstantem, & sustinebo ad voluptatem, mediante tuà bonitate & amore; in hoc versatur & positum est hic, æternùm meum gaudium & quies mea, donec te penitus fruar omnimodâ, grauis huius terreni, & difficilis corporis dissolutione.

Illic amor meus & vita mea, illic omnia possidebo, te videndo, illic amabo te plenè, perfectè, & valdè deiformiter.

O qualis distantia, ô qualis mutatio, ô qualis maris abyssus, ô qualis immensitas ignis omnia deuorantis, & in se transformantis, vt in simplicissima eius æternitate vnum simus in illo, non naturâ sed amore summo & indicibili.

Quòd ergo quæritur, est amare, ô amor meus & vita mea, est languere, & amore mori, sed multùm & multò meliùs in ardore cordis mei, & in meipsa tota quàm in solo corpore.

Videtur mihi amor meus, & vita mea, quas proferre possem amoris mei similitudines & expressiones, his multò esse inferiores, cum amor meus essencialis sit, & perditus secundum aliquem bonum sensum, in omni tua deitate humanata, in te inquam Saluator meus, amor meus, sponsus meus, charissimus, cum quo crucifigit me, & æternùm crucifiget amor.

Non loquantur mihi ampliùs creaturæ de re vlla in æternum, quàm de gloriatione in cruce tua, in tuis doloribus & sufferentiis,

& in-

& in morte tua acerbissima & amarissima ; Quia hæc omnia pro me passus es ; ipsa quoque sunt amoris mei obiectum, & ipse amor meus ô chara mea vita, & totalitas mea ; siquidem minora præstare, & his omnibus esse minorem, vtique amorem in ore, non in corde, habere est.

Ha ! chara mea vita, numquam dicit amor sufficit, sed multò plus dare, quàm habet, quàm est, & quàm potest, semper exoptat; sed in vera veritate, quodnam est amoris tempus ? istud vtique amor meus & vita mea, & adhuc omne aliud, & omnino aliter quàm istud.

Cæterùm enixè te obsecro, charissime mi amor, vt me ita à meipso, & omnibus priuatis subtilibus quæsitionibus liberes, vt nulla vmquam ampliùs inter vitam tuam, & meam dissimilitudo inueniatur.

O quanta videre & comprehendere est, hoc amor meus, & vita mea, sed summum quo teneris præstandi desiderium, ansam mihi præbet sperandi, & plenè confidendi te præstiturum, & istud vtique futurum ; quòd si semper plus pro minori tribuis, & plus adhuc tanquam dispositionem ad maius : ego quoque tibi reciprocè, & mutuò totum pro toto, & totum ad totum iugiter rependam.

Agedum, amor meus, solus ad solum, nec vmquam ex parte mea quidquam nobis impedimentum ponat & medium.

CAPVT DECIMVM.

Amor passiuus moriens & abnegatus.

EXpressiones meæ affectuosæ, ô chare mi amor, & vita mea, ludus sunt, & omnis voluptas intimorum tuorum & vnicorum amatorum. Capis me amor meus : quid ? vita mea, delectari de te, & negotiari tecum, & in te, numquid est omne gaudium creaturarum omnium, sed specialiter te amantium ? adeò vt sinceram meam & affectuosam tecum negotiationem, secundùm meam totalitatem, non secùs ac propriam suam diligant, propter amoris infinitatem, operantis & recipientis amorem, vt refluat ex tempore in eundem amorem, strenuâ & ardenti actiuitate suâ, aut super hæc,

in pura sustinentia, & nudissima, simplicissimáque contem-p'atione.

Illic ô vita mea, amatores amoris infiniti contemplantur fixè, & nudè infinitum suum & beatum obiectum, ad minimum simplicissimâ admiratione.

Porrò in impotentia maximè, multùm agendi, fidelis anima erigit se, & attollit ad examinationem; sed vt melius dicam, ad vltimam vsque oculorum aciem, simplicibus obtutibus, multùm expressiuis, magnáque exprimentibus magnæ extensionis, vti subtilissimo, & leuissimo spiritus impetu, aptissimo & conuenientissimo spiritui affectuoso, saucio, & languenti amore, tali qualem hîc suppono in charissimo suo sponso.

Ha! meus amor & mea vita, quam bonum est adhærere tibi, supra sensum, supra tempus, & rationem. Gusto & experior quod dico, expecto in altissima mea fiducia, ardentis mei & vnici desiderij effectum; de hoc in æternùm, & quidem ex hinc quæritur. O amor meus, quam actiuus est & penetrans intimorum tuorum amatorum amoris intentus; quis intuebitur & dicet, nisi ipsiusmet amoris filij? qui & intimæ eius sponsæ sunt.

O amor, ô bonitas, ô magnitudo, quis tibi conceptu suo, terminos & limites assignabit, sed de hoc non est hic quæstio, ô omnia mea, verùm de amore meo tibi perennè, firmiter, vnicè, & incessanter impendendo, quomodo te scio, & qualem te video, cuius Maiestati respondere non valens nisi distantiâ infinitâ propter meum nihilum, cogor manere suspensus supra propriam meam actionem, & quamuis aliam.

Sic ô vita mea, amari non potest, nisi à longè, sed longissimè, quamuis multùm apud te foret, si vtique fieret, pro omni conatu & virtute creaturæ humanæ. Noui istud apprimè & sentio, sed quid? pendet à te, & semper pendebit chara mea vita, vi scilicet & virtute tui proprij, id est amoris tui erga me intimi.

Quî enim fieri posset ô charissime mi amor, vt ex meipso & mea infirmitate totalitati tuæ nihilum meum vnirem. Sed hoc non hîc quæritur, verum fidelem tibi esse amãtem, supra distinctionem, & discretionem sentiendi, & non sentiendi. Vide charissime mi amor, quomodo tibi exprimo omne quod debet & potest exprimi, supra omnem expressionem, sensum, manifestationem, & huius

aut

aut iſtius aſpectum, vtique quia quod appeto, & intendo in eminentia obtutus mei, ſupereminet omnia.

Denique de hoc quæritur, ſcilicet de amando amore infinito in ſeipſo, æternis meis ſumptibus & impenſis, hoc eſt tibi omnia dicere, omnia complecti, & omnia videre, ſicut eſt omnia velle, omnia operari, & eſſe totum ad fluxum, & ſupra fluxum ſenſibilis exuberantis tui amoris, in vnicis intimiſque tuis ſponſis.

Heu! heu! cara mea vita, quàm triſte & durum mihi eſt hoc exilium, quàm diuturnum & moleſtum, præ infinito meo deſiderio poſſidendi te plenè, & integrè, in te ipſo toto.

CAPVT VNDECIMVM.

Proteſtationes affectuoſæ Animæ ad ſuam diſſolutionem propinquantis.

O Deus amor meus, & vita mea, quid eſt creatum omne, niſi amor ex tua parte? vtique ſtupendum eſt infinitè ô ſponſe mi, & omnia mea, idipſummet omne creatum non eſſe amorem ex ſuâ parte. Sed cui bono iſta profari? cùm tam expreſſe agatur de amore meo mutuo, reciproco, & infinito, ſi fieri poſſet, amori tuo erga me infinito. Facillimè mihi perſuadeo quamlibet tuarum amantium, tantùm velle, deſiderare, & loqui quod eſt infinitum meum gaudium, quia ſaltem inuenientur ex eis aliquæ, quæ melius & maius reſpectu mei ſemper operabuntur: attamen credere non poſſum, nec in animum meum inducere maius eſſe meo deſiderium illarum, in hac noſtra exercitatione vnica, in qua totus ſum, & æternùm incumbo amori tuo. Enimuerò quid mea intereſt amor mi cariſſime? gaudium meum eſt, plus, plus eſſe, & multum, multum; modo in totalitate mea quod amori debeo rependam, numquam mutando ad quodcúmque nec pro quocúmque, quòd eſt omnia complecti, & proſpicere. O amor meus, & vita mea, plena eſt terra amore & miſericordiâ, & exundat ſuperfluitque, quid interim minus faciam, tanto amore, tam potenter acta, & mota? minúſne quàm dico amans ero, & penitus

immersa in mari infinito amabilis & felicissimi amoris mei, qui alius non est, quàm tu ipse.

O chara mea vita & amor meus, quid hoc esset? qualis infidelitas? quàm ingratus animus quid amabo cernitur ex te in me, quàm amor & misericdrdia? quid videbitur, & videri vmquam debet in me, quàm amor amans amorem, amori blandiens, exaltans & magnificans amorem, in totalitate ipsiusmet, in qua fusa sum & perdita, simplex & affectuosa, supra sensum, & omnem comprehensionem, & indè numquam exire volo, vt mihiipsi creatóque viuam, quomodocúmque nec propter quodcúmque, quia illic ita cumulatè contenta sum, vt nihil vnquam optatis meis sit defuturum.

Ha, amor meus, & vita mea, hîc est, vbi videbis, & habebis ad infinitum tuum gaudium plenissimam meam, vnicam & æternam conformitatem, secundum debitum amoris mutui & reciproci amantis tuæ intimæ, in infinito suo amante. Inde fit chara mea vita, quòd de reliquo parum sim sollicita, déque eo omni quod deforis est, sicut tu nosti & vides optimè care mi amor, satis sciens hæc omnia futura mihi, cum postulauerit necessitas secunda, tanquam effectus tuiipsiusmet amoris, qui tunc nequaquam deerit.

Tu es igitur ipse ô vita mea, quem semper vnicè fixéque intuebor tanquam omnia mea, finale meum obiectum, amorem meum infinitum, & omne gaudium meum & lætitiam; sed quod hîc facio ô amor meus & vita mea, est Reginam amoris adiurare, & omnes sanctos & sanctas, qui sunt omnes humillimi, amantissimi, & beatissimi eius famuli, vt me plenissimè adiuuent, in amore meo integrè & perfectè implendo, quatenùs talis reuerâ inueniatur, qualis est in desiderio meo, in verbis meis & affectuosis protestationibus.

Ha! quàm felix est amor meus, & vita mea, qui tibi ad gaudium, sed omne gaudium & oblectamentum pro viribus famulatur; quid amor meus! hoc præstabunt omnes & ego non præstabo? non, non ô amor meus & vita mea, non ita fiet iuuante me gratiâ tuâ & auxilio,

Quòd si langueo amore, & amando, quid mirum videre me inter diuinas tuas manus morientem, amoréque & amando expirantem. Accende igitur amor meus, & vita mea, amabile tuum holocaustum

holocaustum, quod ego sum amore ipso vehementer infuso & effluente in animam meam, & in omnes vires meas, ad hunc effectum, quatenùs consumer accerrimo & dulcissimo igne ipsiusmet amoris, in eo ipso toto, qui non est alius quam tu ipse.

Hoc operare in me, ô cara mea vita, & quantùm est in me, nec impedimentum afferam, nec remissionem vllam; vt se tibi plenissimè probet indignissima, sed humillima & pauperrima creatura tua & sponsa.

Hoc est obiectum admirationis Sanctorum omnium amatorum tuorum, ô amor meus, quòd sim ego sponsa tua, qui propter hoc tantùm abest, vt me dedignari velint, quod è contrà subleuare me cupiunt, & efferre inter brachia sua amabilia, vt meipsum excedam, superem, & supergrediar, omniáque pericula, & inimicorum meorum insidias hoc in vltimo mortis discrimine, penitus euadam, mortis vtique mihi optatissimæ, cum sit introitus & initium beatæ vitæ meæ, & plenæ possessionis quam habebo tui, ô chare mi amor.

Quò te morti propinquiorem senties, eò magis inuoca sanctissimum Iesu nomen, semper ei aliquam ipsius perfectionem comitem adiungens, maximè verò amoris, bonitatis & misericordiæ, ad formam sequentem.

CAPVT DVODECIMVM.

Aspirationes agonisantis animæ ad dilectum suum Iesum.

O Iesus! meus Iesus! ô Iesus, amor meus, & vita mea, ô Iesus misericordia mea, spes mea, & omne bonum meum! ô Iesus fortitudo mea, constantia, & lætitia in hoc periculo! ô Iesus meus Iesus, ad quid passio tua amabilis? cui & pro quo plagæ tuæ amabiles?

O Iesus misericordia mea, & charissimum meum refugium! ô Iesus vnicum meum solatium, cui sanguis iste pretiosus tam amabiliter, & acerbè fusus pro peccatoribus? nonne mihi charissima mea vita?

O amor meus! surge festina auxiliari mihi, O bene Iesu, O om-

nia mea: in necessitate enim amicus agnoscitur, ò Iesus amor meus: absit hoc à me diffidere tibi, & infinito tuo amori in hoc articulo: si enim æternùm me amasti, quantò magis, meliùs, & omnino aliter amabis in amara & amabili mea agonia.

O bone Iesu, in tuo corde, & in tuis tenerrimis visceribus me recondo, & æternùm perdo, vt ne minimùm quidem voces aduersariorum meorum audiam. Tu es in me, & pro me, Iesus meus amor, quid metuendum est mihi? non vita mea, nihil omnino, nihil metuam, sed deridebo inimicos meos, in conspectu tuæ infinitæ Maiestatis, & amoris tui infiniti.

O Iesus ignis comburens, & omnia consumens: consume totum meum, & nihilum meum in immenso tuo toto: inimicíque tui & mei æternùm confundantur. Plena mea contra illos victoria, omnino erit tua, ò Iesus meus, & non mea, licet bonum eius infinitum, quod es tu, ego percipiam, ò mea felicitas, & completus paradisus.

O bone Iesu! ò Iesus amabilis! ò sanctissime Iesu, ò sanctificator meus Iesus meus, esto mihi Iesus, Saluator & sponsus. Salua nunc per teipsum, & amorem tuum infinitum, miseram tuam sponsam, & ab hiantibus communium nostrorum inimicorum faucibus eripe.

O Iesus meus amor meus, & vita mea! hoc te sancti tui omnes, & sanctæ, pro me instanter obtestantur, ad affectuosam meam & humillimam instantiam. De momento isto agitur ó amor meus pro amabili æternitate, pro amanda & laudanda æternùm Maiestate tua, in plena illius fruitione, cum principibus populi tui, & charis amabilibúsque tuis sponsis. Sit mea sors hæc, & hæreditas æterna & infinita, ô chare mi amor, ad instantiam sanctarum tuarum & amantium creaturarum.

O dulcis amplexus! hæccine est igitur hora benedicta, in qua debeo te frui, & delectabilibus tuis amplexibus? ô quàm magna merces est pro tam modico, pro tam modicis laboribus. Sed ô amor meus dare non vis minorem amori meo ardentissimo & purissimo erga te mercedem, te ipso, clarè & intuitiuè videndo, infinitéque dulcem & suauem gustando.

Ha! Deus vitæ meæ, ô amor meus, quies mea, & totalitas mea, anhelo ad te omni contentione, plusquam ceruus ad decursus

aquarum,

aquarum, vt ardorem suum refrigeret. Sitio te infinitè, ô Deus fortissime, fons viuus, quando veniam exutus graui hoc & terreno corpore? quandonam apparebo ante faciem Dei mei, quem tam sollicite quæro.

O meus Iesus! ô meus amor! sponsus animæ meæ! ô chara mea vita & totalitas mea, in manus tuas diuinas commendo spiritum meum, suscipe velut tuum in mutuo amore nostro.

Tandem charissime mi sponse, ostende mihi faciem tuam benedictam, sonet hæc vox tua in anima mea, & in corde meo: Veni sponsa mea, amica mea, columba mea, & accipe à me paratam tibi ab æterno coronam, in infinitate amoris mei, vtique videndo me, & possidendo me, ad plenum optatum tuum, & gaudium, in omni mea æternitate. Amen.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Aliæ aspirationes pro infirmis & agonisantibus.

CVius est vita mea Domine? cuius-nam est vita mea? nonne tua est, non solum quia tu illam dedisti mihi, sed etiam quia tibi eam consecraui quamuis nimis imperfectè vt tuam.

Iterum ô Deus meus, & vnicum cordis mei centrum, offero tibi eam, & meipsum totum; possi de me ad tuum beneplacitum, & fac, vt in extremo hoc discrimine vitam meam tibi fideliter exoluam.

Quis Domine? quis te carne induit? nonne amor & misericordia? indue me ergo te, ô Iesus & vita mea, vt sim fortis & generosa in hoc conflictu vltimo, non enim illum cupio, nisi propter te, & in te, vtique exoptans non solum in agonia & mortis colluctatione, sed etiam perenniter tibi omnino placere & satisfacere.

Quomodo potero tot & tam crudeles hostes, nisi in te, & per te vincere Domine: Diligam te fortitudo mea, firmamentum meum, & omnia mea, inuitis omnibus inferis: idipsum enim mihi præstabis ò amor meus, pro fide mea, & confidentia; & ego quoque ex me ipso toto rependam.

Agedum, Deus meus, refugium meum, amor meus & totalitas mea, festina auxiliari mihi. Adesto mihi, si non vis me videre pereuntem; salua me ô Deus, erue me ab hostium meorum impetu, aut actum est de me. Pereo, surge, adiuua me, & per sanctissimi nominis tui amorem libera me. Ad quid Domine, & quibus vita tua, passio tua, sanguis tuus, & mors tua? Nonne peccatoribus, quorum ô Deus! pessimus ego sum. Hæc omnia merita diuinique effectus pro peccatoribus sunt, & vtique pro me: imo ô vita mea, secundum amorem tuum, bonitatem, & misericordiam, meliùs & ampliùs pro me quàm pro illis. Capis me ò Deus cordis mei, cor meum, & caro mea exultant in te, O Deus viuens, qui pro me mortuus es, vt mihi vitam præberes.

O Deus! ecce punctum habendi me in plenam tuam hæreditatem, puram & immaculatam. Ecce tempus ô bone Iesu, ô Deus meus, fauendi mihi plenissime, secundum amorem tuum, bonitatem & misericordiam.

O Deus infinite! ô bone Iesu! si pro me stas, quis erit contra? si causam meam defendis, quem timebo? non amor meus, non vita mea, tu es protector meus, præsidium meum, & defensio mea. Etiamsi insurgat contra me infernus in hoc articulo, non timebo, tu es enim Deus meus, turris mea, & inexpugnabile propugnaculum, tu es mea totalitas; & quantò magis apud me ipsum debeo metuere, quando sine te sum: tantò magis ò Deus bonus, inimicorum meorum victoriam sperare debeo, habens te pro me, in me, & mecum.

Non, non, O bone Deus! non ampliùs mea sed tua, tua omnino res agitur, ô Iesus meus, ô amor meus, ô vita mea, ô totalitas mea; quàm apertè me vides, quàm optimè nosti, meam auxilij tui præsentis & efficacis necessitatem.

Ha! Deus æterne, & infinite, amicus in angustia, & amans in periculo cernitur. Pro me periculum maius esse non potest, esto mihi igitur omnino propitius, fer opem in hoc tam arduo desolationis articulo.

O Deus! quidnam esset, si præualerent hîc contra me inimici mei? quid de fide mea dicerent, quid de confidentia in te, & de meo amore? sed quid de te dicerent? nisi quod me irridentes modò dicunt: vbi est Deus tuus, qui non curat liberare te nunc ab insultibus

insultibus nostris, & qui te dimittit in manibus nostris, vtique futuram inferorum nobiscum prædam, pro tuis demeritis? quid esset hoc ô bone Deus?

Non amor meus & vita mea: quia in te speraui, & spero constanter, tu me exaudies in extrema necessitate mea; hoc enim à te, pro me postulant bonitas & misericordia tua infinita, non obstante iustâ tuâ iustitiâ.

Verum est Domine, verum est te esse iustum, & iudicium tuum rectum & æquum, adeò vt si volueris erga quemcumque tuam exercere iustitiam, nihil sit quod te prohibere possit; quod si verum est de sanctis tuis, ô vita mea, quantò magis de tam maledicto & infausto peccatore qualis ego sum.

Sed in hoc ipso audeo confidenter ad te accedere, clamare post te, & in te sperare, proiiciendo me in infinitum mare misericordiæ tuæ, & amoris tui, vt conuertam me, protegam, & saluem in dulcibus & amabilibus tuis fluctibus.

Non amor meus, & vita mea, spero in te ex toto corde meo, & ex omnibus meis viribus, quod numquam confundar ab inimicis meis & tuis, & quod me ab eorum manibus eripies in tua iustitia infinita.

Propterea igitur ô Deus meus, festina liberare me, quandoquidem Deus meus es tu, saluator meus, protector meus, refugium meum, & omnia mea. Vides, ô Deus infinite, quos mihi tetenderunt inimici mei laqueos, vt me ad lapsum impellant, & prædam suam faciant æternam.

Ha! Deus meus, amor meus, & vita mea, illabere cordi meo, & omnibus meis facultatibus, eásque omnes in te recipe, vt tibi arctè vnita & coniuncta perfectè, secura sim, & ab omnibus inimicorum meorum inuasionibus immunis. Tunc ô Deus meus parabunt, & foris instruent omnes suas machinas, intus autem abundanti pace & securitate fruar apud te. Saltem ô amor meus & vita mea, da mihi spiritus tui diuini fortitudinem vt te in hoc extremo sustineam conflictu.

Quidnam esset ô bone Deus? quidnam esset, si velles intrare in iudicium mecum tam indignâ & maculatâ creaturâ, cum nullus apud te iustificare se possit viuens? ha! Deus æternè absque numero sunt tuæ misericordiæ, absque pondere, absque termino &

menſura, ideo abyſſus mei nihili, tuam inuocat abyſſum infinitam.

Ha! Domine, verè ſumma nox eſt pro me, ſi non ades mihi protinus, proculdubio præualebunt dæmones aduerſum me tanquam propriam ſuam prædam, ſed ô Deus meus, amor meus, ſaluator meus, quale tutius quæram contra funeſtos eorum conatus præſidium, quàm benedictas & amabiles plagas tuas, quas idcirco accepiſti & retinuiſti in tuo corpore.

Idcirco, ô chare mi amor, & chara mea vita, illuc confugio tanquam ad proprium aſilum meum. Illic eſt fortitudo mea, iuſtificatio mea, omne bonum meum, vnica quies mea & futura gloria, & omnia mea. Illic inimicorum meorum clamoribus obſurdeſcam. Illic apud te receptus, ſpiritu, penitus innouabor in abundantia diuinarum tuarum illuſtrationum, expulsiſque tenebris, turba dæmonum, clariſſimi, profundi, & ſimplicis aduentus tui virtute, debellabitur.

Sed ô bone Deus, etiamſi non venires ita abundanter ad me, ſaltem certò ſcio in infinita mea fiducia, daturum te mihi fortitudinem ſuſtinendi abſentiam tuam valdè ſenſibilem, & præliandi fortiter atque animosè aduerſos hoſtes meos in agonia mea

O benedictæ & ſacratiſſimæ plagæ, quæ continetis affluenter omnes hominum diuitias, imò quæ eſtis paradiſus illorum, in qualeſcúmque venire poſſint malorum anguſtias, tam in vita quàm in morte: apud vos, & in vobis, omnes omnis generis abyſſus in infinitum inuenio, vtique Dei hominis facti, Dei naſcentis Dei pœnitentem vitam ad exemplum hominum ducentis, Dei patientis & morientis in cruce, pro remedio & ſalute infinita, heroicóque hominum exemplo.

O fornax amoris quæ homines aduris illic ſe perdendi animum habentes! ha, quàm felix eſt qui tuo igne diuino ſuccenſus eſt, quocumque in ſtatu poſſit eſſe in hac vita. Indè amor mi, exeunt & erumpunt ardentes amoris tui flammæ, quæ videntur debere & velle mundum vniuerſum amore & ſuauitate inenarrabili inundare. Idipſum eſt, quod conuenienti fortitudine munit ſeruos & ſanctos tuos, in amoroſis quas ſuſtinent impugnationibus, ſimpliciſſimâ virtute ſecretæ in eis tuæ operationis.

Ha! Deus infinite, Deus cordis mei & omnia mea, propter hoc lætatur

lætatur in te infinitè cor meum, Deus meus salutaris meus, ad cuius amabilem aspectum oculi mei lætitiâ & admiratione deficiunt. Agedum, amor meus, vide obsecro cuius amoris & gaudij ignem in terra accendisti, ignem destruentem ignem, & omne quod contingit in se conuertentem.

Ha! Deus! introduxisti me in hunc diuinum ignem, ne permittas me vmquam ab illo pro quacumque re exire, ne permittas me vmquam aliò quàm ad illum reflectere, & aliud præter illum ex omnibus meis viribus appetere. Tu es enim idem ipse ignis, & ideò in quocumque statu sim, sufferentiæ, languoris, agoniæ, aut mortis, semper es optatissimum, & desideratissimum cordis mei centrum.

Quomodo ergo tristarer, etsi inimicus meus coram te ruinam meam moliatur; non, non, in hoc ipso sperabo firmiùs in te Deo meo, & mea totalitate, qui vis me viuere vt laudem te, & benedicam tibi in perpetuum, non verò mori, & cum Dæmonibus interire.

Si igitur ambulo in medio vmbræ mortis vti nunc facio, non timebo mala, quoniam tu mecum es, & pro me; & in fortitudine, virtutéque sancti nominis tui misericorditer saluabis me, ad cuius probationem fugient omnes aduersæ partes meæ.

Sit igitur amor pro amore, virtus pro virtute, tolerantia pro tolerantia, vita pro vita, mors pro morte. Quod si hæc omnia nihil sunt pro ratione tuæ Maiestatis infinitæ: vide quæso, ô amor meus, esse istud omne quod in me est, & quod possum. Sed si per intimam & omnino præsentem spiritus tui infiniti cum meo vnionem, vis me in te ipso, & pro te vno, efficere præcellentem, talem me omnino habebis, totali amore meo.

Ad hæc si mihi dixeris, te in summa mea destitutione, sincerè, & essentialiter amasse me: de hoc ipso tibi in infinitum gratias ago, ô chara mea vita, & quantò minùs ex me possum, & per me solum, tantò maius, & meliùs idipsum præstabo, vtique eò excellentiùs, quò me diuina & secretâ operatione tuâ in purissimo fundo, & centro cordis mei corroboras, quod præstabis ad vltimum vsque vitæ meæ spiritum.

Sic video, ò chare mi amor, supra omnem sensum, me in tua esse sancta diuináque protectione, in qua sentio præsentissimum

amoris tui intimi effectum, etsi nudè & simplicissimè, expectans à te, quod maius & melius est, si tibi beneplacuerit. Alioqui ô amor meus, abundè mihi est perennè, beneplacitum tuum, in omni puritate affectuosæ, & intimæ resignationis, ex omni corde meo, ex omni sensu, ex omni spiritu, & ex me toto adimplere. Malo te habere, amando te, & tuam ferendo duram absentiam sensibilem: quàm sentire te, cognoscere te, & intelligere in abundantibus tuis, & radiantibus manifestationibus affectuosis, & in amore tuo simplici, profundo & luminoso, longè latéque diffluentibus.

Non, amor meus, non irrideant me inimici mei, etenim verissimum est, eos qui te sustinent & humili, patienti, fidentíque amore expectant numquam esse confundendos.

Ha! infinita Maiestas, nonne pondus meum es, & ego tuum in tua amabili acceptatione, in virtute & veritate amoris tui, secundum totalitatem meam? capis me, mi amor charïssime; & hic vtique recollecta, perdita & omnino exinanita manere volo, in profundo mari amoris tui, vt in admiratione supra admirationem contempler te in omni tua immensa immensitate, quæ in te essentialiter immanens, à te diffluit per infinita amoris tui opera, hoc est quod etiam foris vastissimum & altissimum fundit mare, in bonum & æternam salutem charissimarum diuinarúmque tuarum sponsarum, vt efficiat illas tui amantes in infinitum.

Non ô vita mea, non, scilicet intus est requies mea, in diuitate & humanitate; incarnatæ Majestatis tuæ pro me in carne mea. Et quid volo super terram, nisi te solum; sed quid volo ô vita mea in omnibus creatis nisi te solum, à te enim ipso perfectè & totaliter comprehenderis, à me autem & ab omnibus tuis creaturis es in infinitum amabilis.

Ha! si mihi liceret sublimioribus Seraphinis suam inuidere beatitudinem, non propter altissimam suam & eminentem gloriam, sed propter summum & ardentissimum amorem erga te; quàm magno corde & volenti animo inuiderem; sed ô amor meus cum sim tantum vilis creatura humana, & omnium aliarum simul vilissima, non est hoc in potestate mea, diligam te tamen infinitè, imò, quantùm illi omnes in impetu & ardore mei desiderij; etsi nihil sint omnes conatus mei, nihil refert, satis mihi sẽper & abundè erit


dè erit iam iam mori in ardore mei desiderij. Scio apprimè, ô vita mea, scio conformiter ad hæc, non habiturum te rationem præteriti, sed præsentis, planè præsentis, quo se sic habente quietissimus sum in plenissima possessione & fruitione quam habeo tui, quantùm permittit status meus.

In manus tuas benedictas commendo spiritum meum, ô Domine, qui me tam abundanter & copiosè redemisti. Tu es, ô Domine, qui pars es meæ hereditatis; quin potius integra hæreditas mea, calix meus, bonum meum, & totalitas mea.

Tu es, ô amor meus, & vita mea, qui nihilum pro toto mercatus, pretio tui totius, das semper totum pro nihilo intimis tuis amantibus, & hoc in amabili dignatione abiectorum nostrorum desideriorum, & nostri impuri amoris.

Agedum, amor meus, fixis oculis infinitam tu am Maiestatem nudè contemplor, super his omnibus amoris erga homines portentis, & adhuc alio planè modo, supra hæc omnia ad totalitatem illius, à qua spero & expecto omne meum bonum, ex tempore, præsenti meâ dissolutione, in plena, & secura quiete, donec te perfectè fruar, reuelatâ facie, planè, plenissimè, & facie ad faciem, vndè cumulatissimè satiabor, & simplici, diuinâque lætitiâ cum omnibus Angelis, & sacra cœlesti curia vndique superefluam.

TRACTA



TRACTATVS TERTIVS.

De suprema Animæ in Deum per amorem consummatione: Simplici Theoriâ praxique expositus.

CAPVT PRIMVM.

In quo consistat iste status.



Ic status consistit in eleuatione spiritus supra omne sensibile creatúmque obiectum, qua fixè sistitur anima intra se, Deum stabiliter intuendo, qui trahit eam in simplici vnitate, & nuditate spiritus: hoc vocatur simplex otiositas, per quam passiuè possidetur anima supra omnem speciem sensibilem, in simplicitate quietis, quâ fruitur in idipsum semper æqualiter, siue aliquid operetur interiùs, siue exteriùs, actione quauis, aut actu rationis discretiuo.

Habitus illius qui in huiusmodi statu est, simplex est, nudus, obscurus, & absque scientia etiam Dei ipsius in nuditate & obscuritate spiritus, eleuatus super omne lumen hoc statu inferius; in quo operari non potest internis suis viribus, quæ omnes vnanimiter intrahuntur & sistuntur, vi vnici & simplicis obiecti, quod Deus ipse est: detinentis eas simpliciter & nudè, in supereminentia notitiæ & essentiæ, in apice spiritus supra spiritum, & hoc in nuditate & obscuritate fundi prorsus incomprehensibilis. Illic enim omne quod sensibile est specificum & creatum, in vnitate spiritus,

aut potius in ſimplicitate eſſentiæ & ſpiritus ſolutum eſt. Tunc animæ vires fixè ſiſtuntur interiùs, omnes intentæ Deo ſtabiliter intuendo, eas figenti & detinenti ſimul æqualiter omnes in ſui contemplatione; rapit enim eas, & ſimpliciter occupatas habet, iugi operatione aſpectus ſui ad animam, & animæ viciſſim ad ipſum. Iſte eſt continuus aſpectus ſpiritus qui purè agitur modo paſſiuo, quique aliud nihil agit quàm intueri ſuum obiectum, & iugiter contemplari in ſua nuda, profunda & ſimplici fruitione. Et quantò magis ignoratur hoc à patiente, tantò melius, propter altitudinem & excellentiam ſtatus huius.

Hoc in ſtatu ſiue habitu, neque eſt creatum, neque creatura, neque ſcientia, neque ignorantia, neque totum, neque nihilum, neque terminus, neque nomen, neque ſpecies, neque admiratio, neque differentia temporis præteriti, aut futuri, nec etiam præſentis, imò nec etiam, nunc, æterni. Omne iſtud fuſum eſt, & ſolutum in hac obſcura caligine quam Deus ipſe operatur; ſic complacens ſibi in animabus, in quibus nobilem hanc operationem exercere dignatur.

CAPVT SECVNDVM.

Quam fidelitatem, & amoris correlationem Anima Deo debeat in hoc ſtatu. Déque intolerandis quas in eo reperit mortibus.

SIc nobilitatæ animæ, & in fundo, luminéque ſupereſſentiali transformatæ, conuenit ex ſe tota reſpondere ei quem videt, & qui illam in ſeipſum ſimplici rapit extaſi. Illic iugiter intenta eſſe debet, vt non patiatur ſe naturalibus & ſpiritualibus obiectis, ferè continuò, licet ſimpliciſſimè, ex rationali facultate pullulantibus impediri; morémque gerat naturæ, ipſam perpetuò, ſollicitanti, vt cognoſcat & ſentiat ſtatum ſuum, reflectàtque ſuper eo quod intuetur, & quod eſt. Vult enim natura, ſemper aliquod ſecretò poſſidere cui adhæreat obiectum, iugem ſui ferre non ſuſtinens, vt conuenit, abnegationem, extra ſenſum, extra ſpecificum, & extra

& extra creatum. Quod tamen est necessarium vt facile in alta totius spiritus pace possideatur obiectum, in simplici & vnica quiete, cum simplicissimis & intimis luminibus, amore, & deliciis.

Porrò si hæc anima verè fidelis est, quidquid foris patiatur siue in naturali commotione suarum virium, siue in suo corpore; huiusmodi motus eam magis ac magis, & profundiùs intentam obtutui suo diuino, simplicique quieti efficiunt, fruentem inidipsum aliquâ ratione paradiso in terra: sed multò meliùs & altiùs in veritate perfectæ suæ attentionis, & virium suarum sinceritate; si modò ei quem videt & contemplatur vnicè sempérque respondeat. Quapropter illius est animæ quæ bonum hoc accepit infinitum, immergere se incessanter simplici suâ & omnimodâ attentione, in abyssalem Dei, ipsam de se, per se, & in se rapientis essentiam, & quantò magis sentit se aggrauatam distractámque ad sensus: tantò magis attentione suâ debet colligere se, & contrahere, quatenus mutuum suum munus fideliter obiens, beatum suum nudè & simpliciter, semper æqualiter contempletur obiectum, quantùm possibile est animæ, bonitate Dei ad hanc sublimem dignitatem & status supereminentiam subleuatæ.

Sed multifariæ & innumerabiles quas pati necesse est mortes, in hac simplici nuditate, penè intolerabiles sunt, & nisi simplex fortitudo, cæteráque Dei dona simpliciter possiderentur, sustineri nequaquam possent; & adhuc benè multi sunt, non sustinentes, nisi cum magna impatientia, prodeuntes ad creaturas, & sensuum oblectamenta, aut etiam ad actiua sua exercitia regredi tentantes. Hoc prouenit ex eo quod neque possunt, neque volunt esse sine sensu & adhæsione aliqua; nec dare se ad moriendum semper æqualiter sensibus & non sensibus, vtique ad se tam verè, & eo modo, dimittendum, vt hæc omnia sint illis vnum, in contemplatione & fruitione perpetua sui obiecti; quo in obiecto fusi & refusi, funditus esse debent etiam vltra transfusionem, quantumcumque penetrans, profunda & abyssalis esse possit, in qua simplicissima, subtilissima, & altissima perfusione, anima in Deo est suummet obiectum, sine distinctione & differentia, modo quo aliàs explicui; & quò minor est horum scientia, perceptio & sensus in facultatibus: eò sunt illa profundiùs & excellentiùs.

CAPVT TERTIVM.

Anima in hoc statu transiens in Deum modo incognito, fit ipsemet Deus, & eo ineffabiliter fruitur.

HÆc est nobilissima & simplicissima operatio attractiua, in qua vires animæ intimè attrahuntur, & fixè sistuntur, in hac abysso obiectiua Dei ipsius, trahentis eas, & sic rapientis nobilissimâ suâ & summè penetrante actione. Tunc anima profundè intenta contemplando stabiliter simplici suo, vnico, & abyssali obiecto, gustat & sapit Deum, in simplici & vnica quiete, in fruitionis plenitudine, si sic loqui licet; quod dico propter simplicissimas & efficacissimas ipsiusmet Dei, obiecti eius delicias, qui est, & qui operatur hanc quietem, in seipso, & in abyssali vnitate, omnino mirabili totius suæ fœcunditatis. Vbi nihil est aliud quàm notitia & scientia in ignorantia, quàm claritas & lumen in obscuritate, quàm amor simplicissimus, in purissima & simplicissima charitate, quàm ineffabilis experientia vltra hoc, & in hoc ipso.

Non est enim concipere humanâ ratione, & adhuc infinitè minus exprimere, mirabilem saporem, suauémque lætitiam, quàm operatur & continet hæc vnica, simpléxque quies, quæ est ipse Deus, quâ fruitur anima in idipsum quantùm possibile est. Et hoc tantò meliùs tenetur experientiâ, possidetúrque extra se, supra facultates, in proprio suo spiritu, in omnimoda & simplicissima ignorantia, & nuditate spiritus, quantò idipsum est sibi ipsi supremus cumulus totalis felicitatis suæ, suúsque paradisus propriâ & omnimodè omnimodâ sua felicitate. Hoc ipsum est, aut vt meliùs dicam, Deus ipse est, & paradisus eius, qui demittit & demergit animam in proprium suum fundum, non taliter qualiter, in totalem totius diuinitatis essentiam, vt amplius non sit aliud quàm ipsemet, de illo & in illo; Vbi funditus perdita per totalem suarum facultatum, & appetitus refusionem, sic omninò felicitate eius fruitur, secundùm quod possibile est creatæ subsistentiæ, in hoc mortali corpore; cui felicitati prorsus intenta est, & affixa, vt eam

magis

magis ac magis, & meliùs in meliùs contempletur, eáque fruatur absque impedimento, etiam ineffabiliter.

Ad hanc superessentialem contemplationem sentit se anima secretò abreptam simplicissimâ suâ, summè vnicâ, & secretissimâ operatione, quæ fit in fundo vsque ad imum ipsiusmet vnitatis & essentiæ diuinæ, propter ipsam, & infinitam omnimodámque ipsius quietem. Sicque anima penitùs absorpta in diuina sua fruitione obiectiua ipsasmet possidet delicias eius obiectiuas, quæ ei præsentes omnino sunt, in experientia gustus & saporis ineffabilis, etiam supra id quod ineffabile exprimit; vnde patet, & ex necessitate, & ex reuerentia, his operationibus diuinis debitâ, creaturam debere tacere, & non progredi vltra terminos proprij sui nihili, tentando inutili suâ & imbecilli virtute, has sine fundo & ripa comprehendere & exprimere abyssos.

CAPVT QVARTVM.

De Inundatione & supereffusione amoris, vbi Anima deliciis diuinis superabundat.

ADdendum est ad dicta superiùs, illic ibidem esse, vbi aliquando paradisus elabitur in animam, qui eam inundat deliciis diuinis simplici amore, & lumine, in omnibus suis facultatibus, suauiùs intensiùs, & magis vnicè quàm sit concipere. Sunt tamen aliqui, quibus hoc numquam contigit, nec continget vmquam, nisi in mortis articulo, qui nihilominus hìc constituti sunt, & detenti Deo fixè intuendo in seipso, modis omnibus supradictis simplici suâ nudâque fide; ex qua tanquam iusti viuunt super terram, etiam in ipsis durioribus mortibus.

At sunt alij excellentioris luminis & perfectionis, quibus sæpius, & alij quibus sæpissimè panditur paradisus, vnde omni beatitudinis & perfectionis genere ita abundè cumulantur, vt facillimè in alios sese foris effundant.

Attamen altissimus, & intimus huius viæ status, est in simplicissima & intima Dei & spiritus operatione, quâ Deum incessan-

ter contemplatur in imperceptione, vt ita dicam, eorum quæ videt, & ſentit; & tamen probè ſcit, & percipit videre ſe & contemplari, in detentione & ſtabilitate firma, atque immobili diuinum ſuum obiectum in illo, & per illud ipſum. In quo, ſic in ſpiritu ſibi ſecretè pleniſſimè ſatisfacit, ſicut diximus. Et hoc non poteſt ſic non eſſe, ſaltem quamdiu fidelis erit anima introuerſioni ſuæ, & ſimpliciſſimæ, ſumméque vnicæ attentioni.

Quodcumque addi poſſet, & his ampliùs adduci, multò minus eſſet, quàm quod reuerâ eſt, ideóque ſilentio prætereundum, quandoquidem effectus eſt diuinarum illuſtrationum in ſeipſis, aut potius in propriis illarum ſubiectis, in ſecretiſſimo ſilentio, in quo contemplatur ſe Deus, & omne quod in ſe, & ex ſe eſt.

Et reipsâ ſimplex hæc fruitio, perpetuáque puriſſimæ & ſimpliciſſimæ contemplationis ſcintilla, reſiduum eſt præcedentis gloriæ, acceptæ in pura & totali animæ ſubſtantia totaliter reſoluta & conſummata, in acri & omnia deuorante ipſiuſmet Deitatis igne; quæ accendit & operatur ignem hunc in omni propria ſua ſubſtantia.

Illic anima tota conſumitur, & exhauritur à creaturalitate ſua, abſque eo quod illius quidquam ſuperſit ei, præter ſimpliciſſimam illam fruitionem à ſe poſſeſſam eminentiùs, quàm dici & concipi poſſit. Deus enim eſt ipſe qui operatur hanc quietem, ſimpliciſſimâ actione ſuâ, quâ ſecretiſſimè rapit animam ad ſe & in ſe; implens illam ſimpliciſſimis deliciis, lumine & charitate, vt fruatur in ſimplici quiete omni eo quod creatum comprehendere non poteſt.

Et verè adeſt etiam hîc ipſamet Deitas in ſeipſa tota, in qua ſpiritus ſibiipſis mortui, iugiter innouantur ad totalitatem huius abyſſi, in æternam ſuam, & omnimodam conſummationem.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

In quo consistat punctum integræ consummationis Animæ in Deum. Excellentia huius status. Et quomodo Anima in illo efficitur diuina.

VT finis cuiuscumque rei in seipso & iusto suo complemento, media omnia excedit ad ipsum ordinata: sic vltimus iste status de quo sub finem capituli præcedentis loquebamur, excedit infinitè in seipso omnes manifestationes, cognitiones, & notiones illuminantes, purgantes, accendentes & consummantes omnium tactuum, attactuum, multifariarúmque operationum, sanctissimæ Trinitatis.

Posthæc, fiunt huiusmodi operationes successiuè in amore, in anima omnino substantiata, ad totalem, & immensam totius vnicæ fœcunditatis abyssum, & hoc ad certum tempus, & ad gloriam & propriam Dei felicitatem: sicut etiam fit istud in alio tempore, per successum, vltra hæc omnia, in infinita extensione simplicium abyssuum imperceptibilium Diuinitatis, infinitè vltra omnem præsentem & possibilem creaturalitatem.

Omnis autem hæc obiectiua fruitio, tempore sui totalis fluxus & refluxus sic successiui, paradisus est effusus in terram, id est in animam corpori vnitam, qui paradisus vi suarum operationum potentissimarum & efficacissimarum, diuiníque huius & actiui lusus, fundit in anima immensitatem amoris, luminis, scientiæ, cognitionis, & deliciarum. Nonne ergo ex iis inferendum est, animam esse prorsus liquefactam, resolutam & omnino consummatam in omni substantia Dei obiecti sui beatifici, amabilémque impetum ardorum totaliter consumentium, infinitarum ipsius & continuarum operationum, velut ignem deuorantem, aut fulgura, & coruscationes summè penetrantes, exinanire creaturalitatem eius; & ex toto redigere, atque transformare eam in omnem Dei substantiam, vsque ad completam amoris consummationem. Quæ igitur anima fideliter respondendo pro viribus consummanti diuino amori, beatam hanc attigit consummationem, ampliùs non distinguit

ſtinguit hoc & illud, nec etiam æternos, fulgurantes, & ſummè penetrantes ſplendores, quos ante paſſa eſt, vi ignis amoris vehementer accenſi; qui eam infinitè meliùs ſubſtantiauit, liquefecit & in ſe conuertit, quàm ignis materialis quæ ipſi metalla ſubiiciuntur. Tranſactis autem iis omnibus omnino incendiis, media omnia iam tum ad vnum reducuntur in hac abyſſo vnicè fœcunda, & hoc ſupra fœcunditatem, tàm in vnitate quàm in fœcunditate, vbi fruitio & contemplatio eſt æterna, & æqualiter æqualis tam in fœcunditate quàm in vnitate. Denique hoc eſt omnimodæ conſummationis punctum, in quo notitia & cognitio huius abyſſi vniuerſalis eſt, ſicut & ipſa abyſſus in theoria & praxi, ſupra omnem theoriam & praxim, ſecundùm ordinem purè theoricum mediorum omnium ſine mediis hoc præcedentium.

CAPVT SEXTVM.

Quod ignis amoris agit ſemper in anima, quandiu in ea eſt aliquid conſumendum.

QVandiu ſupereſt vis aliqua in creatura conſumenda, ignis iſte diuinus agit ſemper ſecundùm ſuam totalitatem, vt conuertat creaturam in propriā ſuam ſubſtanciam, & totaliter transformet in omnem infinitam diuinæ ſuæ ſubſtanriæ extenſionem, vnde exire velle, eſt impoſſibile, quia idipſum eſt omnimoda animæ felicitas, & ſupremum ipſius in hac vita complementum. Quod ſi ſemper habuiſſet naturales vires conſumendas, ignis iſte immenſi amoris omnia conſumentis, ſemper etiam perſeueraſſet, & operatus fuiſſet actione ſuâ nobili, & omnia in ſe conuertente. Sed quia fuit & eſt neceſſe, omne quod ex creatura eſt cedere conſummanti amoris actioni, inde eſt; quod hæc fruitio & æterna contemplatio, adeò pura eſt, ſimplex & intima, in ſimplicitate quietis, & deliciarum, ſicuti eſt in hoc perfectæ conſummationis ſtatu.

Omnis horum theoria à Myſtis eſt quomodo potuêre, expreſſa, ſcilicet ſimilitudinibus ſumptis ab effectibus naturæ, ſecundum quod

quod aptiores & conuenientiores arbitrati sunt, ad ostendenda, & explicanda hæc omnia media statúsque simplicium manifestationum & notionum, quibus dilatantur & diffunduntur valdè luminosè & simpliciter, satis iudicantes quam habet super ipsos vim, ignis amoris æterni, vos incendentis vsque ad omnimodam eorum consummationem; vndè viuit in illis sic consummatis iste ignis, & fruuntur felicitate infinitè abyssali quæ ad eum pertinet, plenissimè & totaliter, in omni extensione actualis eius, æternæ & omnimodæ comprehensionis,& hac ratione omne quod transmutauit & conuertit in se hic ignis, fit & est ipsemet, absque differentia & distinctione, quantùm hoc in creatura verum esse potest.

Et verè,possibile non est amplius animæ sic consummatæ,diuertere se ab hac simplici fruitione ex intentione & voluntate; quia vires eius omnes exhaustæ sunt, vt nihil vnquam contrarium appetat; dico ex intentione & voluntate, quia vita quâ hîc viuitur æterna est, simplex, in quiete & fruitione essentiæ diuinæ æternæ & superessentialis.

Anima enim in sua consummatione est omnino recepta & perdita in hac diuina essentia, cum beatis omnibus spiritibus, qui in ea continuis amabilibus, & validis suis immersionibus absorbentur.

In quam transgressis omnino,& nihil eorum ampliùs remanente, facit hoc intima hæc vnio, vt vna sit ampliùs dumtaxat simplex, affectuosa, & amabilis essentia, & substantia, ex qua omnes, & in qua, eadem vita, & eodem gaudio quo ipsa, viuunt.

Cæterùm omne quod viuit æternùm patri, viuit etiam æternùm filio, & omne quod viuit filio & patri, viuit pariter Spiritui sancto, qui complectitur & rapit ad se, & in se omnem fœcunditatem, nósque cum ea, in omni extensione huius superessentialis essentiæ, cuius personæ iugiter prodeunt ad beatificam suam actionem, & nos cum eis, introregredientes incessanter nobiscum, in hanc suam ineffabilem, & infinitam quietem.

CAPVT SEPTIMVM.

Quod hic sublimis status non cadit sub sensum, nec potest exprimi.

STatus omnes qui hunc præcedunt, habentur apud authores Mysticos deducti in qualicumque via. Sed iste eos omnes modo satis diuino supereminenter continet, quo vtique se videt & sentit anima ad punctum tenuissimum redacta, & soluta, quod est vnicum centrum, vndè ducuntur lineæ omnes quæ concipi possunt. Hîc, sensus, & simplex specificáque perceptio, videntur potius demonstrare, creatum excellenti modo, quàm increatum in quo sistimur, & cui purè affigimur, supra omnem amorem in nuditate & simplicitate vnica, omninóque superessentiali, vltra omnes supradictos effectus diuini ignis incendentis & conuertentis in se omnem animam, actionis suæ tempore. Adeò vt anima quæ huc peruenit, nihil inueniat quod dicat, neque quod cogitet, nec etiam quo exprimat quod videt aut percepit in præcedentibus statibus, multò minus in isto. Vndè plurimùm aberraret, qui formas & discursus intellectualiter deductos, ad aliquid eorum exprimendum aptos esse crederet, cum quantumcũque simpliciter deducantur & reducantur; nihil adhuc sit exprimere in comparatione eorum quæ visa sunt, & percepta, & adhuc infinitè minus respectu eorum quæ actu percipiuntur.

Quapropter eodem tempore quo diuinus ignis totum hominem incendit actione suâ, ille qui eum tam acriter, suauitérque in omnibus facultatibus suis operantem percipit, magis ac magis eo comburitur & consumitur, in omni eius infinita amplitudine. Vt igitur ineffabili, & inconceptibili voluptate animus illius afficitur, conatur aliquid eius foris prodere ad proprium suum solatium, educens & reducens, provt potest, id quod exprimit, vt per idipsum, morientem suam vitam, adeò suauium & delectabilium attractionum effectibus corroboret, sed satis experientiâ probat, se nihil eius reuerâ exprimere, quia huiusmodi diuinæ operationes totum hominem sic incendentes & consumentes, non cadunt sub sensum,

sensum, sicut nec ipse Deus qui eas operatur; non solum in eo quod Deus est propter se, & in se; sed etiam in eo quod est, & operatur potentissimis suis & ardentissimis manifestationibus, in creatura in qua hæc adimplentur; quæ vtique cum sustinet, non solùm vt tota trahatur & videatur, sed etiam vt tota transmutetur in hanc superessentialem essentiam, sicut est reuerâ secundùm se totam in eam transformata, omnimodâ sui amissione, & defectione in hunc diuinum ignem superessentialiter superessentialem.

CAPVT OCTAVVM.

Differentia singularis status inundationis amoris, & superessentialis animæ in Deum consummationis.

DIfferentia autem harum omnium operationum diuinarum, quæ diuinum hunc ignem in creatura semper accendunt, quóque magis ac magis in ipsum transformatur, secundùm omnem illius extensionem, differentia inquam status huius ab hóc præsenti, hæc est, quod Deus tunc secundùm suam totam substantiam totalitati creaturæ aderat, quæ ex eo quod Deus erat & coperabatur in illa, & quod illi manifestabat, tota abrepta & omnino Deo plena erat vsque ad superéffluxum amoris & deliciarum, in infinitum, si ita dicendum est. In primo hoc statu felix anima infinitè diffusa est & dilatata, in omni hac vastitate diuina, tota amore inundata, lumine & gloria; & in eo statu quasi numquam vidisset aut sensisset res creatas, nec à Deo ad seipsam intracta fuisset. Quod eam magis ac magis secundùm suam totalitatem consumit, liquans eam & semper absorbens, in hoc infinitum, æternúmque pelagus. Et consequenter his adeò nobilibus & diuinis effectibus magis ac magis deificatur, nec vmquam cessat Deus ab hoc diuino omnia consumente ludo; quin ad vsque omnimodam consummationem redegerit sponsam suam sustinentē continuas operationes suas valdè diuersas & sibi inuicem succedentes, tam propter voluptatem & felicitatem Dei eas operantis, quàm animæ ipsius & sponsæ, quæ eas patitur, & gratissimis suis sumptibus pati semper debet.

Huc igitur feliciter adducta, inuenit se in statu præsenti, qui consistit in eo quod supra dictum est; iámque nihil videt, nihílque habet suiipsius, licet sit penes ipsam; esse, creaturas videre, & ad illas exire, si vellet esse sui tantùm immemor, summâ suâ dementia, sed vt est omnino secundum suas vires, facultates & essenciam resoluta, & exhausta: hîc sistitur & stabilitur infinitè supra præteritum omne in Deo. Sistitur inquam & figitur secundùm altissimum virium suarum apicem, ad contemplandam in fruitione & quiete infinitam Dei in seipso immensitatem, in amore iugi sanctissimi Spiritus, sanctissimæque Trinitatis. Vbi, & in quam omnino trahitur, hac æternâ & infinitâ productione cum personis diuinis; & constituitur in quiete fruente, in amore infinito & æterno sancti spiritus, qui omnem ad se personalitatem trahit. Et quò magis creatura exuitur & destituitur omni horum sensu, eò meliùs, & quantò magis illic est, tantò etiam magis talis est, qualem dicimus in hac superessentiali essentia, in qua quies eius & fruitio omnem infinitè comprehensionem excedit, & tam subtili modo, quàm Deus ipse præstare potest quique reipsa præstat illud in ea, amore vtique ipsius iugiter agente, & iugiter patiente.

CAPVT NONVM.

Quod omnia quæ dicuntur de hoc statu nihil sunt, habita ratione eius quod in se est, & quare de eo Mystæ non nisi excessibus loquuntur.

HIc infinita conformiter ad hunc sublimem statum exponenda forent; Nonnulla hîc, & aliàs expressi, sed hæc omnia nil aliud sunt, quàm balbuties & tenebræ, præ eo quod in se est. Mystici authores diuino hoc amore pleni, multos disertè scripsêre constituêreque status & vias, quibus vtitur Deus vt accendat amorem suum infinitum in abiecta sua creatura, & eam in se transmutet. Quibus omnibus viis & statibus à se inuicem procedentibus, velut quibusdam gradibus, magna intulêre, & expressêre omnino incredibilia ei qui non est expertus; sed hæc omnia nihil fuêre

fuère nec ſunt, quàm excellentia ineffabiliáque media ad ſuum ineffabilem ſupereminentémque finem inſtituta. Ad quem cum feliciter peruenit anima, omnimodâ ſuâ conſummatione, aliquâ ratione paradiſum ſuum poſſidet, ſiue in amore practico, ſiue in amore fruente, quod eſt omnia dicere & complecti in hac materia.

Porrò qui, vt ſupra dixi, hoc amore præueniuntur, & ad eum euehuntur, ſcribunt ſibi digerúntque quod poſſunt. Videntes autem ſe nec ſpiritum nec voces habere vt ſe exprimant, conformiter ad ea quæ ſentiunt & vident, in hac infinita diuitiarum omnium, deliciarúmque abyſſo, ſæpe ad exceſſus ſoluuntur, exprimendi ſe gratiâ; vti ſunt hæc, *pluſquam Deus, vltra Deum*, &c. quod quidem duriſſimum videtur; ſed quia deficiunt illos termini, & nomina reſpondentia iis quæ vident, & quibus incenduntur tanquam igne deuorante, in hac immenſa æternáque amoris abyſſo, exprimunt ſe & aperiunt quomodo poſſunt. Quod vtique faciunt non ex ignorantia, ſed altiſſimâ prorſus experientiæ ſcientiâ quam habent eius quod eſt Deus in ſeipſo, quia videtur, guſtatur, & poſſidetur in omni infinita extenſione ſua. Sic non eſt hærendum in his ſimilibus verbis, quæ verè terminos locutionis ſcientiarum communium prætergrediuntur; ſed in affectu & ſpiritu ſub illis contento, aut, vt meliùs dicam, æſtuantibus qui eas foras emittunt motibus, nobis ipſis quod de Deo ſentimus, & ſumus in illo, aperientibus.

Verum eſt autem, quod quantò ſimpliciores ſunt expreſſiones & loquendi formulæ, tantò meliùs & conuenientiùs ad id quod Deus eſt, & operatur in nobis. Effundimus itaque & exprimimus motus noſtros, notitias & ſenſus, ſimpliciſſimos, vrentes & vnicos, qui cum ſint diuinarum in nobis operationum effectus: nobis produnt hanc infinitam amoris & luminis abyſſum, vehementer & efficaciter operantem, fundendo vtique & producendo ſeipſam, cum implet omnino ſeipsâ vires noſtras, ſecundùm iugem totalémque ſuæ felicitatis actum, ſecundum quem funditus effuſi, extenſi, & penitus abſorpti ſumus in vnitate eius infinitè ſuperextenſa, & ſupereſſentiali. Illic manemus in amore puriſſimo quietiſſimo, & ſummè æterno, ſi ſic dicendum eſt, quia inibi etiam ſupra æternitatem æterni ſumus, in quantùm totaliter perditi ſumus, etiam iſtis

ſenſibus & notionibus vel minimùm diſtinctis ab eodem obiecto, nos immergente & abſorbente magis ac magis in ſeipſo. Vnde fit vt nullo teneamur hinc exeundi ſtudio, vt reflectamus tantiſper ſuper nos, & videamus vbi, & quid ſumus. Habemus enim certiſſimam ſcientiam ſtatus præſentis, per quem ſumus omnino mortui & annihilati nobis ipſis, & omni enti, operatione Dei, ſed præcipuè nobis ipſis, quod eſt omnia complecti.

Et illic hæremus ſic in eo fuſi, & perditi, cuius operatione viuimus fruitiuo & fruente aſpectu infinitæ eius eſſentiæ diuinæ, pro ratione & modo quem ſeruat Deus in detenſione & conſtitutione noſtrarum virium.

CAPVT DECIMVM.

Quod modus exprimendi hunc ſtatum, eò nobilior eſt, quo magis ad praxim accedit.

VErum eſt deductiones & reductiones practicas omnis huius ſtatus longè nobiliores eſſe affectibus & notionibus theoricis, quibus manifeſtatur idem ſtatus. Theoricæ enim expreſſiones foras penitus abducunt, idque quaſi arte, & ſcientiâ; vt exponant quod vider, & ſentitur ſuper hoc. E contra reductæ expreſſiones diuinæ huius praxis, & trahunt & colligunt in Deum ipſum, qui operatur eas, & producit omne quod foras videntur emittere. Et hoc, ſub formis & expreſſionibus ſimpliciſſimis, conformiter ad ſimplicem & viuidum fundum, qui eas effundit in ſimplici ſuo & ſupereminenti aſpectu, ad ſupremum ſuum bonum; & tanquam ſpeculum ad vſum animæ, quæ videt inibi lucentem Deum, in immenſa & ineffabili claritate.

Eſt tamen theoria his valdè conformis æque practica ac theorica, quæ prodit ad expreſſionem ſuam modo valdè ſimplici, reducto & conciſo: ſollicitè deuitans omnem explicitatem contentam ſub ſimpliciſſimis ſuis ſpeciebus & loquendi formulis, quod eſt ſummatim omne quod authores Myſtici in lucem edidêre. Hæc theoria ſic in ſimpliciſſimo manans fluxu, huic puriſſimæ & ſimpliciſſimæ

cissimæ praxi simillima, trahit ad extra per intra, etiam ad intra; tota rediens ad locum vnde fluxit, ad imum fundum simplicissimum qui eam effudit, veluti per superefluxum amoris, luminis, gustus, & simplicissimarum, valdéque diuinarum deliciarum. hæc theoria ostendit, & attrahit animæ Deum totum secundùm omnem suam Diuinitatem, omnem claritatem, omnem amorem, omnem pulchritudinem & omnem felicitatis eius cumulum, quantùm capax est in hac mortali vita; Adeóque anima quæ sic succensa est igne huius superdiuinæ & superessentialis vnitatis, plenum deliciis paradisum possidet, hoc ipso quod simplices eius formæ & manifestationes sapere eam faciunt in infinitum de ipsamet Deitate, quæ ipsas videtur infundere.

Anima nihilominus, quantùm in se est permanere debet in fruitione tam secundùm subtiliorem effectum virium suarum interius nudarum, quàm in sensibus, in corpore, & exterius; manens verè mortua, non solùm fide sed etiam actione, tam foris quàm intus vt diximus. Et licet esse debeat ad practicum puræ obedientiæ amorem summè disposita: Directores tamen illius diligenter attendere debent, vt eam si fieri potest in sua quiete dimittant, aut saltem obseruare quibus eam operibus applicant, ne Dei in illa actionem impediant; sed homines, huiusmodi labore non grauantur, cum vix inueniatur aliquis in hoc statu, vel etiam in itinere quo ad eum perueniat.

Sed abstrahendo ab hoc ipso, dico multùm referre & magni esse momenti, verè esse mortuum, etiam, vt ita dicam sine actione mystica, & super ipsam mysticitatem in suo obiecto æterno & infinito: illic operando secundum regulam subtiliorum spiritus proprietatum, quas alibi tractaui.

Non tamen tantùm referret, saluo omni meliori iudicio, mysticè agere, sed oporteret vt hoc imperatiue fieret, perspecto scilicet & expiscato, (minimo quouis signo, vel actione variis in occursibus diuersarum necessitatum foris prodeunte,) suo studio; si dicatur & hoc ipsum posse esse adhæsionem, non contradico, cum regula mea adhuc subtilior sit.

Attamen lumine & discretione vti necesse est in simili agendi ratione; & meminisse minus habentem foris, aut circa seipsum discretionis, meliùs esse mortuum, & in æterna sua abysso immersum.

ſum. Idipſum eſt quod exprimere intendo in ſimplici, profunda & lata vnitáte ſcriptorum meorum.

Porrò deploranda res eſt, oportuiſſe talis exercitationis & ſtatus homines tam longas & peruerſas experiri vias, nec earum exploraſſe cauſas, licet bonâ fide fuerit factum. Huic igitur ſtandum eſt regulæ, ſiue ad reformandum ſe, ſiue ad ſe tuendum; reiiciendo quas paſſim videor permiſiſſe licentias, etiam imaginis Saluatoris noſtri, pro quocumque, & ad quodcumque ſit; conſiſtendúmque in centrali ſua, vnica, & obiectiua quiete, ſecundùm puriſſimum; ſimpliciſſimum, latiſſimum & altiſſimum ſcriptorum meorum, aut aliorum ſimilium meliorumve fundum. Huiuſmodi enim perditiſſima ſunt, & valdè ſupereminenter continentia omne quod in aliis authoribus, qualeſcúmque eſſe poſſint, inuenitur; quia ſunt in theoria & praxi valdè vna, valdè perdita, valdè lata, profunda, longa, & ſublimi, compoſita.

CAPVT VNDECIMVM.

Quòd reflectiones ſuper ſeipſam, ſtatúmque ſuum, quibuſdam in occaſionibus prohibitæ non ſunt Animæ contemplatiuæ.

SI quid eſſet capax affligendi nos, maximè poteſtas reflectendi ſuper nos ipſos, in quo videmur non eſſe in puriſſima charitate, hoc reipsâ verum eſt, ſecundùm nos, & ſenſum noſtrum, vtique & facultates noſtras, quæ ſemper in nobis in potentia ſunt naturaliter operandi: ſed quatenus, fide & veritate, ſecundùm hoc mortui ſumus nobis ipſis, & in Deo viuentes, vt demus illi plenam & totalem vitæ noſtræ fruitionem, ad infinitum eius æternúmque gaudium & ſatisfactionem; hac inquam ratione, & ſecundùm hanc veritatem infallibilem in puriſſima charitate ſumus; quia omne quod in nobis eſt naturale, eſt & fit ſine nobis, & iſtud, eſt practicæ noſtræ exinanitionis effectus.

Sed caute aduertendum eſt, vera hæc eſſe omnia in acceptatione difficultatum innumerabilium, qualeſcumque nobis Deus etiam

etiam in infinitum suscitare possit, adeo vt ad implendum supremum harum omnium veritatum cumulum, munire nos debeamus armaturâ fidei & fortitudinis, quod aliud non est nec esse debet in nobis quàm Deus ipse, tam in vita sua diuina, quàm in diuinis suis effectibus.

Porrò quamuis dixerimus cauendum esse sibi à conuersione ad sensus, licitum tamen aliquando esse poterit, scilicet ad videndos defectus suos, ordinémque suum, maxime verò ad perspiciendum quid esse, operari, & pati conueniat, ibique explorandum, debere nos iugiter mori, & expirare in hac infinita essentia, vt in ea verè, & perfectè permaneamus; & ad obseruandas circunstantias omnes, quas illuminata ratio tam foris quàm intus, conformiter ad hanc viam, suggeret obseruandas.

Anima igitur diligenter obseruabit se à creaturis, & præcipuè à seipsa, ratione malignorum & subtilissimorum naturæ instinctuum quos in se non aduertit, non obstante omni attentione, quatenus ita sit pura in introuersione sua, vt numquam vel minimùm Dei esse sibi vsurpet (sic enim est dicendum) ad vitam voluptatémque esse sui priuati, quod nihil est quàm miseria & mendacium. Denique attendat sibi ipsi vt se obseruet, ne quid, quocúmque modo suâ propriâ voluntate faciat.

CAPVT DVODECIMVM.

Lumen ad explorandas subtiliores naturæ adhæsiones.

DIximus superiùs non oportere seipsum quærere secundùm naturam, sed quia difficillimum est videre illam, si in seipsa, & per exteriora exercitia, spiritualis effecta est, propter maximam eius cum spiritu similitudinem; regulæ quædam ad eam explorandam hîc tradendæ sunt. Quod viâ spiritus præstandum est; cum enim externæ exercitationes naturæ sint delectabiles, iis inescatur, & maiori minorive auiditate in illis versatur. Hoc optimè demonstrarunt præcellentes omnes Mystici, & ego illis non comparandus, vix credidissem eam ita ad se conuertere priuata sua exercitia, vti verè conuertit; in omnibus enim quæ expetit, operatur,

aut omittit, priuatum ſuum bonum, & quam intendit mercedem, dumtaxat aucupatur.

Apparet hoc manifeſtè, quando exinde auocanda eſt, & in aduerſam ſenſus ſui partem agenda, cúmque priuatur (vt illi videtur) conuenientioribus mediis & efficacioribus ad ſalutem ſuam, quæ tanquam ſupremum bonum reſpicit, vt in iis quieſcat, & æternùm delectetur; nihil enim ſcit aut ſentit his melius & deſiderabilius: Idcirco excitat ſe foris ſuper hoc contentione ſenſuum ad lachrymas, lamentationes & gemitus; effundens ſe, & prodens omnibus concitatis affectibus, modò hac ratione, modò illâ. Sic oſtendit ſe quaſi veſanam in ſeipſa, commouens rationem ad inquietam ſollicitudinem, & maiorem aut maiorem indignationem: & quod eſt præcipuum, credit ſic eſſe faciendum. Hunc in modum maxima pars eorum qui ſic reguntur, ad hoc ſe vehementer excitat, & ad omnes hos motus, conatúſque conſultò & ſponte cogit.

Ex iis videre eſt, quàm miſeranda res eſt, & abiecta, non ferri in Deum internis exercitationibus, quibus cognoſcitur, ſentitur, & guſtatur Deus in ſeipſo, per verum ipſum amorem; qui amor creaturam ab exterioribus auocat alliciendo ſimpliciter ad intra, vt eam conſtituat, ſtabiliat, & firmet vera quiete in Deo ſolo, qualicúnique ſiue actionis ſiue ſuſtinentiæ pretio. Ideo in nullo magis decipiuntur homines, quàm in iudicando ſpiritus; in videndo & apprehendendo per ſpiritum, quod iudicatur & manifeſtatur ſpiritu, & guſtu, excedente omnem notitiam, & rationis moralis ſpeculationem. Huiuſmodi enim perſonarum miſerabilium amor & deuotio, aliud nihil eſt quàm concupiſcentia, priuatique commodi ſtudium. E contra amor & deuotio verè internorum hominum, eſt puræ erga Deum amicitiæ, abſque conſideratione huius aut illius.

Optimè norunt voluntatem ſuam ſemper ex toto ad diuinam eius voluntatem componere, etſi nihil vmquam illis ſuorum guſtuum, nec hîc, nec in cœlo, largiturus eſſet in gloria ſua; ſcite & ſapienter inter vtramque rerum illarum, diſtinguentes.

Iuxta igitur has omnes veritates, omne quod lucet aurum non eſt. Spiritu vtique & ex ſpiritu iudicandum eſt, non ex ſenſu, qui ſpiritum enentitur; multò minus ex corpore; cuius plerúmque tota.

tota est huiuscemodi actio; sed vero spiritu, & ex vero spiritu, & per internam soliditatem iudicium eliciendum est, tam quoad verè incipientes, quàm quoad verè proficientes. Verum quidem est multos his laqueis æternùm irretiri; alij disrumpunt eos abundanti Dei gratiâ, sed hoc pertinet ad proborum & expertorum directorum scientiam, quibus qui se perfectè mancipabit, ad verum ordinem allicietur & deducetur, mediis solidarum virtutum exercitationibus, fundatus vtique in profunda cordis humilitate, secundum omnimodam suiipsius exinanitionem & contemptum.

CAPVT XIII.

De constanti & suprema resignatione Animæ consummatæ in Deo.

NEgari non potest superessentialem animæ nostræ quietem in Deo, non esse nobis summè delectabilem & iucundam; quæ quidem quies supergreditur infinitè appetitum, qui in nobis funditus eradicatus est: hac enim quiete aliquo modo comprehensores sumus, licèt cum maxima distantia, & absque comparatione, eius quod expectamus, & speramus aliquando in omnimoda nostrarum virium creatarum repletione. Nihilominus cum præsenti statu qui in nobis est extra nos, adeóque à totalitate nostra ita remotus, non sumus immunes à continuis miseriis, quibus grauamur in earum causis, id est subtilibus naturæ inclinationibus, viuentibus vtique omnino in nobis. Hoc inquam nobis non sine sensus dolore probat, non esse nos vel infinitâ distantiâ, beatos: sustinemus enim in infinitum intus, & foris pugnas, & dolores. Sed, specialiter quantùm ad ea quæ foris sunt, debemus esse ad omnes huiusmodi tam acerbos, molestósque impetus, stabiles; & tanquam scopuli medio in mari fluctuum æstu efferuescente, omnino immoti. Sic quodcumque nobis vndecumque accidat, in via in qua viuimus (si tamen mortui sumus) cor nostrum nullatenus attingere debet, imò nec supremas vires, nec etiam sensitiuas; quia Deus qui in nobis viuit, mouet, agit, & patitur in nobis, omnia

hæc sine sui alteratione per nos acceptat. Quod si qua inuenitur ex parte nostra voluntaria alteratio, hoc non pertinet ad ipsius esse, vitamque diuinam & beatissimam, sed ad infidelitatem nostram, quâ viuimus nobis eo ipso, & per hoc ipsum,vt aliàs exposui.

Quaproter nobis ipsis diligenter attendere necesse est, & obseruare, ne quid ex nobis quocumque modo operemur. Quod si esse mortuum, est esse sibi, & omnibus omnino perditum: oportet vt tales permaneamus in nostra sepultura, quæ est abyssus infinita & æterna Dei, Et hæc est abyssus ex qua numquam exire viuentes volumus. Ideò, quæ retro sunt dimittentes, ad anteriora semper extendimus nos, prosequimúrque ex animo, & ex vltimis viribus, cuius habemus tam diuinas arrhas (iam in hoc exilio) pretium. Scilicet quod Deus habet, & est in seipso, futurus vtique nostrum continuum obiectum, & continua, æternáque fruitio.

Certum est tamen nos in via esse quauis creaturâ pauperiores, propter vitæ nostræ exterioris dissimilitudines cum vita beati nostri Saluatoris; dico quantùm ad id quod contrarium ipsi intus & foris sentire nobis conuenit,propter nostram simplicem spiritus nuditatem,& quia non adeò vitam eius diuinam & humanam ad germanam speciem in nostra humanitate (sicut exoptaremus & conueniens esset) ex omnibus nobis exprimimus: sed in infinitum resignamus nos, tam super hoc defectu, quàm aliis quibuscumque euentibus. Sic resignatio nostra infinita est, & absque fine, & nec præsens habet, nec æternum, etsi verum sit finem nobiscum habituram. Cæterùm non cogitamus de iis omnibus distinctionibus, & reflectionibus, quia non sumus, vtique nobis ipsis perfectè exinaniti.

CAPVT XIV.

Quod Anima in Deo consummata vero paradiso fruitur, etiam cum omnibus præsentis huius vitæ miserijs.

DEus etiam cum infinitis quæ nos hîc inuoluunt miseriis,causa est nostri hîc paradisi, in eo quod est, quod possidet, & quod operatur:

operatur in seipso, & per seipsum, quod est totalis eius infinita felicitas. Quòd si ea foret ipsius voluntas, vt numquam eum aliter possideremus, quàm modò possidemus per nostram transfusionem omnimodam in omnem eius diuinam extensionem, hoc ipso & in idipsum nostro potiremur paradiso omnibus in euentibus, etiam in ipsis inferis. Beatorum enim felicitas non est sita duntaxat in gloria & felicitate, quam videndo eum & comprehendendo adæquatè possident, sed suprema & præcipua eorum felicitas, est ipsamet infinita Dei felicitas: quâ fruuntur in inundatione & exuberantia amoris eius erga ipsos consummati. Quo eos eleuat, & induit suâmet gloriâ & felicitate, in qua & per quam eum comprehendunt, in maxima fame, & plenissima saturitate, absque vlla contrarietate. Et ex eorum amore, scientia & gaudio, manant omnia essentialis & beatifici amoris argumenta, in plenitudine claritatis & lætitiæ accidentalis in eis. Quod interminabilem ab ipso Deo ducit originem, & ab omni influxu æterno infinitarum eius communicationum gloriosarum: maiorem faciens hoc ipso quòd in eis amorosè & gloriosè operatur, vniuscuiusque gloriam, de momento ad momentum quasi in infinitum. Vnde fit vt vnusquisque beatorum possideat gaudium & gloriam aliorum omnium, & eâ fruatur tanquam suâ propriâ, in multifariis & differentibus gradibus, pro ratione eius quam hîc habuerit erga Deum charitatis.

Actus autem charitatis quo nunc nostrum obiectum in seipso infinitum prosequimur, quando lumine gloriæ illustrabimur, erit tunc omnino plenus, perfectus atque completus, in immenso amore, claritate, ardore, gaudio & latitudine totius animæ nostræ; quæ consequenter ad æternam suam repletionem, inundabit proprium corpus suum, his omnibus, & eo omni quod est. Adeóque homo sic Deo plenus, erit Deus ipse, omnimodâ participatione immensæ & infinitæ gloriæ, vt creatura tamen, non vt Deus, quod impræsentiarum ampliùs perscrutari nolo.

CAPVT XV.

Quod fideliter ſequi debet diuinum radium, qui ad ſupereſſentialem vnitatem, & conſummationem in Deo cupit peruenire.

HEu! nolle hominem cognoſcere Deum, neque ſeipſum, ſapientiâ diuinâ ſupernaturali,& ſenſibili, ſed ſuâ dumtaxat naturali ſcientiâ, quâ conſiderat & ſpeculatur non quod eſt, ſed quod poteſt, & quod vtique naturaliter operatur viribus ſuis naturaliter reformatis, aut non reformatis. Idipſum eſt cui vacat homo nauiter: non autem affectuoſo Dei ſtudio, & áctuali amori, vt cognoſcat, & guſtet eum diuinâ ſapientiâ, conuertendo ſe ad eum verâ amoris & virtutis exercitatione. Effectus enim huius ſapientiæ eſt diuortium facere prorſus inter nos & carnem, vt viuamus Deo, illíque adhæreamus potenti virtute viui & amabilis radij, quo noſtri cordis intima penetrans, omnes ad ſe vires noſtras fortiter attrahit, cùm ipſius amoris exercitationi ſedulò incumbimus.

Tunc inquam videt homo, ex quo excellentiæ & altitudinis excidit ſtatu, & ad quam redactus eſt miſeriam vtique impotens ex ſe ipſo ſummum adire bonum, & infinitè minus ei adhærere, niſi hoc Deus ipſe in eo præſtet aſſiduis, & fortiſſimis radij ſui viuidi effluxibus.

Quidam autem benè vtuntur hoc radio diuino, alij eum negligunt quaſi rem leuiſſimam,quam numquam acceperunt, nec viderunt, nec perceperunt, imò etiam poſtquam acceperunt, ſecuti ſunt,& amiciſſimè complexi ſunt; ſed prudentiores & verè fideles, radium hunc in ſeipſis perfectiuum ſemper proſequuti ſunt, eumque coëgerunt, ſi ſic loqui licet, valido & indeficienti ſuo amore, redigere ipſos, & omnino conuertere in ſe. Poſt quæ ex toto ſibiipſis exinaniti, in eo ſunt funditus immerſi & reſoluti, fluitantes ad longitudinem & latitudinem eſſentiæ ipſius, in eius ſimilitudinem omnem, & diſtinctionem actionis & cognitionis ſupra ſuas vires, viuentes in poſterum propriâ ipſius vitâ, extra diſtinctionem & differentiam, eo modo quo veri concipiunt Myſtæ vt ſimplices

simplices & vnici in hac fruitione quiescant; quâ ratione vitam viuunt adeò diuinam in hac ineffabili quiete, vt illius nulla sit species & forma, iugi & sollicitâ suiipsorum morte; sic se magis ac magis immergunt in suum fundum congenitum, vndè ab omni creaturalitate abhorrescunt ingemiscentes, grauati sub durissimo corporis huius onere, quod non fruuntur diuinâ essentia totaliter & cumulatè.

Sic conscenditur gradus amoris diuini, amore & virtute simul inseparabiliter iunctis, & tandem aliquando ad obiecti finalis amorem consummatum deducentibus, vbi variis diuinarum operationum successibus, anima magis ac magis impletur diuinis generationibus, continentibus infinitas veritates simplices, sapientiæ æternæ & infinitæ. Adeóque postquam se totaliter perdidit, inuenit se ibi omnino exinanitam & consummatam; omnimodâ suiipsius, omnis studij, omnis doni, omnis scientiæ & cognitionis refusione: illic Deum in seipso possidentem supra omnem modum perceptum & perceptibilem.

Hoc autem omne possidetur & continetur in hac infinitè superessentiali vnitate, in quâ illud penitus possidemus modo inconceptibili supra hæc omnia, & omne quod exprimi potest. Et hæc firma detentio, hæc immobilitas, hæc scientia infinita, hæc duplex fœcunditas, hæc simplex vnitas, hæc effusio & refusio, hic subtilissimus gustus, hæc ignorantia, hæc cognitio, hæc vita, & hæc quies, proprij sunt effectus inconceptibilis sapientiæ, quæ operatur & continet in se totâ, omne hoc nostrum, infinitum æternúmque obiectum, in cuius & ex cuius vita omnino perditi & absorpti sumus; & demum prorsus consummati in ea, ex ea, & propter eam, irrecuperabiliter vt dixi.

CAPVT XVI.

Documenta & lumina magni momenti, ad se tuendum in hac superessentiali vnitate maximè vtilia.

OPortet animam esse summè intentam considerationi obiecti sui, secundùm id quod est maximè nudum & purum: in hac exercitatione

exercitatione; id eſt, conformiter ad obtutum ſuum puriſſimum, ſimpliciſſimum, & maximè nudum & ſummè vnicum, ſequens attentè propenſionem ſuam, ſimpliciſſimam, ſummè actiuam & fluentem, quæ nos trahit in abyſſum increatam obiecti noſtri infiniti; ſed, vt meliùs dicam, quæ cum aliquando nos in eam traxerit, ſiſtit nos, & valdè immobiliter ei affigit, ad eam in ſeipſa contemplandam ſummè extentos & perditos in omni eius totalitate ſupra omnem diſtinctionem & differentiam provt ſemper dicere & intelligere debuimus. Quod ſi quis ſupereſt in creatura agendi modus, in eo conſiſtit, quod modò dixi, & quaſi non diſtinguitur nec eſt diſtinguibilis ab ipſa operatione Dei in hac ſimpliciſſima & perditiſſima ipſius negotiatione; vnde cautè illi prouidendum eſt, vt numquam exinde ad quodcumque, & propter quodcumque moueatur.

Hîc illi viuendum eſt incognita in ignorantia, & in puritate, prohibendo naturam ab adhæſione ſubtili ſpeciebus procedentibus à ſtudio ſciendi, cognoſcendi, ſentiendi, & iſtud in ſubtiliſſima eius propenſione; hæc enim fiunt alio omnino modo, & infinitè ſubtiliori quàm antea in initio, & in progreſſu; quia anima hîc fortis eſt, & firma poteſtatem habens in ſubtiles ſuas propenſiones, vt cohibeat, ſi ſic eſt dicendum, ſimplici modo ſubtiliſſimam virium ſuarum actionem. Sed ſumma ad hoc requiritur attentio, omnéſque multiplicitates cautè vitandæ ſunt: ſtatuendúmque illi eſt mori & expirare in ſpiritu, vt omnino fixa permaneat in ſua fruitione & diuina contemplatione.

Porrò quod eſt in hoc magis moleſtum, eſt facilis facultatum ſtupor, qui communis eſt, & frequentiſſimus animabus in hoc ſtatu exiſtentibus, propter earum totalem deſtitutionem; cui medendum eſt ſeruando induſtriè liberas & alacres eaſdem facultates diuertendo eas ſimpliciter, tam hîc, quàm alibi ab omnibus obiectis, & imaginibus naturæ delectabilibus, vitando omnem curioſitatem & multiplicitatem; eáſque habendo omnino perditas & mortuas rebus creatis omnibus, qualeſcumque ſint. Et quia corporis moles ad hunc ſtuporem plurimum confert, excutiendus eſt frequenti ſitus mutatione, ſi neceſſe ſit.

Cauendum eſt etiam diligenter, ne impediatur in ſua pace & detentione anima, excedentibus & indiſcretis corporis auſteritatibus

tibus & ſufferentiis; nam quando nobis à Deo veniunt ſine nobis, multifaciendæ ſunt, ſed ſi per indiſcretionem vt alibi dixi, tota effunditur & elabitur in huiuſmodi auſteritatibus anima, quaſi per vim trahens omnes ad ſe creatas omnis generis imagines, illæ imagines etſi valdè ſpirituales, ſubtiliſſimæ & tenuiſſimæ ſint, ſemper tamen phantaſmata ſunt, quæ animam aliquo modo detinent & implicant, vndè hoc ipſo non fruitur perfectè, & vt conuenit ſuâ quiete ſecundùm omnem actiuitatem ſuæ ſimpliciſſimæ inclinationis, & tranſcendentiæ; ſed meliùs eſt hîc dicere ſimpliciſſimæ inclinationis, quàm tranſcendentiæ; & adhuc meliùs diceretur, neutrum illorum eſſe, ſed eſſe ſimpliciſſimum & ſummè vnicum Dei tractum, qui nos apud ſe ſiſtit & conſtituit, modo imperceptibiliter perceptibili, & vt plurimum omnino imperceptibili: quod quantò magis ſe ſic habet, & ſic fit, tantò magis & meliùs ſimplices ſumus, vnici, extenſi, & perditi, in totalitate obiecti noſtri infiniti; & hoc ſcientiâ & notione excedente ſcientiam omnem & notionem eorum omnium, quæ hinc fœcundè fluere poſſent, ad exprimendum & manifeſtandum ſtatum hunc perditum & vnicùm. Soluens enim & reducens omnia in ſuam propriam abyſſum, nihil ſcit, nec videt, nec ſentit rerum omnium creatarum & increatarum, abſque differentia ſuiipſius, cum nihil aliud ſit quàm altiſſima abyſſus eiuſdem obiecti, quod produxit & firmauit in nobis, aut potius extra nos in ſeipſa tota.



CAPVT XVII.

De vexationibus quas perfecti ſuſtinent à Dæmonibus, & quàm ſollicitè ſeipſos obſeruare debent.

QVidquid aliàs dixerim de moleſtia quam perfectiores à Dæmonibus patiuntur, valdè timendum eſt, ne ipſimet cauſa eius ſint, ſcilicet ſubtili ſuiipſorum quæſitione, retinentes actiuitatis aliquid, ſiue mentale, ſiue vocale, & ſecundùm hoc viuentes, aut quoduis aliud; ſub prætextu metus excæcandi ſe, & obtenebrandi conſcientiam ſuam; vndè non viuunt vt mortui, ſed vt ſibiipſis viuentes. Et videtur illis quod tales actus, ſunt actus mor-

tis sub obtentu actiuæ exinanitionis, sicque viuunt sæpissimè in aliqua subtili suiipsorum, circa hoc aut illud proprietate, ex quo dæmonibus ansam præbent ipsos per noctes diuersimodè vexandi; vt aliàs dixi; præter alias subtiles suiipsorum quæsitiones, quæ in eorum vita esse possunt. Quod vtique semper erit donec funditus, & omnino perditi sint. Quod si verè mortui adhuc vexarentur, nihil refert, ad ipsammet mortem recurrere debent, quæ vnicum est remedium.

Porrò quod hîc intendunt dæmones, est superbia, in eo scilicet quòd illusiones eorum sæpè nullius momenti iudicamus, nec aperimus confessariis & superioribus, vndè huiusmodi homines superbos arbitrantur, sed grauiter hallucinantur, cum videantur hæc, & iudicentur leuis adeò momenti, vt non mereantur exponi. Bonum est tamen, semel & non ampliùs eam manifestare, si copia & plena habeatur libertas, ad quod summa requiritur discretio.

Ex hôc patet, illos de quibus hîc loquimur adhuc multa in seipsis habere metuenda, in hac vita, quæ optimè norunt, adeóque manere debere verè abstractos, absque vllo quocumque impedimento. Cæterùm qui impedimentum ab aliquo patitur in hoc statu, imbecillitatem, aut indiscretionem, aut defectum veræ humilitatis & suiipsius diffidentiæ, aut vt meliùs dicam exinanitionis omnimodæ probat, quæ dum in aliquo existunt, dicere potest multa esse in se reformanda.

Multùm igitur cauendum est sibi, & externum omne cum interno statu cautè conciliandum; scilicet coërcitione sensuum, & totius corporis angustiâ, absque consideratione & differentia huius aut illius. Sed propter aliquas circunstantias, quæ sunt extra nos, & effectus, praxisque nostræ simplicissimæ, & vnicæ libertatis spiritus; omnes ad nihilum redigendæ sunt, ad perfectionem & complementum vnicæ & essentialis nostræ exercitationis. Nescitur fortè quod hic dico, sed nil refert, capio me, & intelligo; capiet qui poterit.

CAPVT

CAPVT XVIII.

De obscuritate diuina, & quomodo in ea se gerere oporteat.

ALiàs locutus sum de circumstante & premente Dei obscuritate, quâ, & in quam trahit quas libet illi animas, in maiorem aut minorem anxietatem & angustiam, vires eius acriter suâ suspensione constringens, vsque ad suppressionem virtutis reflexiuæ, sed non actus eliciti & imperati, qui foras egreditur. Quare hîc de ea, hoc tantùm dico, scilicet diuinam hanc obscuritatem esse ipsammet diuinitatem, quæ sic obscura animæ efficitur, maximè verò intellectui, qui eâ inuoluitur præ abundantia ingentis sui luminis, quo intellectus offuscatur, & in quod diuinitus eleuatur & suspenditur in admiratione supra admirationem, in summè admirabilem obiecti pulchritudinem; quod eum implet seipso & magis ac magis rapit in sui contemplationem supe-essentialiter, in abundantia & etiam in plenitudine deliciarum. Quod fit modo omnino nudo, & abstracto, simplicique, in vnitate superessentiali Dei ipsius, vbi homo sæpè nesciens eleuatur, & vbinam sit ignorans; de quo nec etiam loqui volo, cùm hoc Mystici diuinitus præstiterint.

Sed quod hîc dicere intendo, est vtique eos qui ad huiusmodi æterna spectacula rapiuntur, vbi inuoluuntur obscuritate diuinâ, quæ est ipse Deus operans illam, propter supremam suam gloriam, & propter creaturæ perfectionem, eos inquam, si adhuc imperfecti, & absque habitibus virtutum, ad hunc statum assumantur & eleuentur, vt verè dicam, perditos esse in hoc statu; etsi præter intentionem Dei, & propriâ dumtaxat eorum culpâ; & hoc propter causas quas hic amplius promere nolo, satis est mihi, verum esse quod dixi statum hunc nullomodo ipsis conuenire, supposito huiusmodi defectu, & inordinatione. Indubium tamen est, quod si vellent, in ruinam illis non verteretur, vt permultis accidit. Cæterùm hos inter, Deus puorum vult miseretur, vt non sinat eos morte æternâ in suis peccatis spiritualibus occumbere, qualia sunt cæcitas, superbia, præcipitatio, & omne id genus miseriarum.

Sed ei qui multùm est exercitatus, & habitus virtutum acquisiuit in morte suiipsius, maximè verò amabilem vnionem in sapida ipsiusmet amoris consideratione, hæc diuina obscuritas nullomodo nocet. Vt enim est humilis & mortuus, est vtique dispositus ad eam sustinendam, in virtute diuini spiritus, & sapientiæ, discretionisque suæ. Cui tamen inniti non præsumens, omnia sua negotia sensúsque aperit ei quem debet, scilicet quem scit, in hac omni theoria & praxi, ad tutam suam directionem, esse perfectum.

CAPVT XIX.

Quod silentium deserti interni præstat incomparabiliter omni exitu, & productione sublimis huius status superessentialis amoris.

INcolatus spiritualis deserti infinitè melior est, & quiuis alius, liberà foras egressione: etsi vtrúmque si conuenienter accipiatur, debeat esse vnum & idem in hoc statu, si modò pura dumtaxat necessitas, & profunda charitatis discretio, nos ad modicum tempus exinde auocet. Idipsum est cuius rationem summam habere debent, qui in eo sunt constituti; dimittentes creata omnia, quæ non magis afficere & impedire eos debent, quàm quæ nullo modo sunt, cum nihil veræ & essentiali solitudini profundissimi deserti comparandum sit, propter infinitas quas alibi protuli rationes.

Cui referendum est omne quod in hoc tractatu de eo locutus sum, cum vnum & idem sint, id est fundus summè superessentialis in infinita abysso obiectiua totius creati & creabilis. De quo fundo iterum dico omne quod ex eo egreditur, secundum aliquam distinctionem & notionem, quantumcumque supereminentem, etiam ad modum fluxus huius: nihil esse eius quod sumus, illicque videmus.

Quod si qui egressus, notionésque aliquid horum nostris consimilibus exprimunt, in hoc vtique, nos omnes non sumus alij, nec alibi, quàm in hoc statu, adeóque formarum nostrarum intelligentia apud nos remanet, in nostra fruitione & possessione obiectiua

super

supereſſentiali & vnica. Cuius expreſſio, deductio, & explanatio, nobis, temeritati magis tribueretur, quàm iuſtæ & veræ rationi; nec etiam facimus, cautéque curabimus hæc vltra non egredi, quod nullo modo extra eſt, ſed intra in ipſamet abyſſo, ſicut & illa. Quod ſi eſt aliqua diſtinctio, etiam in hoc ipſo, tanquam egreſſo: eſt vtique ad aperiendam nobis, & manifeſtandam longè latéque hanc abyſſum, ſicut eſt in ſeipſa, & in nobis extra nos: & omnino aliter extra nos, quàm in nobis. Hic eſt, vbi nobis eſt manendum ad totale complementum vitæ noſtræ, viæ noſtræ, & fruitionis noſtræ. Saluo eo quod in eadem abyſſo nos ab ea facit egredi, non egrediendo: vtique immanendo, ſine egreſſus & manſionis diſtinctione.

CAPVT XX.

Concluſio totius huius ſtatus. Vbi Author rationem reddit, quare plus quàm alij Authores Myſtici deſcenderit ad ſingularitatem rerum mirabilium huius ſtatus.

VErum eſt nonnullos ſanctiſſimos Myſtas, & hoc infinito amore pleniſſimos, de quo in hocce omni tractatu locuti ſumus, mira dé eo dixiſſe, quod in puram ardentémque deduxêre & contraxêre praxim; quâ ratione videntur debere ſuccendere & liquare ſpiritus omnes, qui eos vident, immenſo infiniti huius amoris igne; cuius vnicam effuſam in inferno guttam, exhauſturam illum, & in paradiſum verſuram dicunt. Hoc verum eſt, & hic amor fuit in eis adeò fortis, adeò viuax, & tam ardenter accenſus, tótque ſtupendos in ei operatus eſt effectus, vt mirum ſit eos de momento ad momentum non expiráſſe.


Porro non ſunt auſi omnes propter profundam ſuam humilitatem, hunc accerrimum ardentiſſimumque amorem, & omnes eius infinitos effectus ad purum actum praximque redigere, ſed ſatis illis fuit, de eo agere theoricè vt diximus, ſimul tamen quidpiam oſtendentes effectuum eius, conformiter ad theoriam quam edidêre. Et nos, eos admirantes in profunda ſua humilitate &

doctrina, accipimus ab eis, eorúmque eruditione quod nobis prodeſt, conformiter ad id quod noſtrum eſt, iuxta id quod Deus operatus eſt in nobis, & iugiter operatur, amore ſuo infinito & bonitate; quod deducimus & reducimus expreſsè; vt in eo tanquam in exemplari & ſpeculo Deum lucere videamus in infinita claritate ſua, & in eo omni quod eſt & quod habet, vt iam à nobis dictum eſt.

Quod ſi etiam viri præcellentes priuatæ exercitationis, hoc non concipiunt, & non intelligunt, dimittere poterunt iis, qui conſtituti in vita, & via conſummata, ſecundùm viam, capiunt me, & & intelligunt optimè, ſi non fortè in omnibus, ſaltem in permultis ſcriptis meis, ſi inquam tales ſunt, quales eos ſuppono. Veritates enim improbare quæ leguntur, quia non comprehenduntur, ad leuitatem magis, & temeritatem pertinet, (ſemper autem ad ignorantiam) quàm ad ſanum ſenſum, & ſapientiam. Quare huiuſmodi, ſi illis placet, nullatenus eis implicabuntur, memores inſuper viam ſpiritus ignotam prorſus eſſe debere, eam in inferiori gradu poſſidentibus. Quæ cùm ita ſint, vt reuerâ ſunt, frænare debent & continere mundum omnem, vt quæ concipere & comprehendere non valet, demiretur.

FINIS.

INDEX



INDEX RERVM Memorabilium, quæ in hoc libro continentur.

Numerus paginam designat: litera, v, Vitam: litera, t, Theoremata, & litera, o, Opuscula.

In quibus numerus signatus quærendus est.

A

Amoris

nec

B

C

Augustum

D

de

F

Languet

G

H

humilitatis

I

Libertas

M

Obedientia

O

P

Mirâ

R

S

T

V

Z

FINIS.

